13
15 K
15

MAG 2131

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

22
Ca
24 13-15 D.19

BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Rescriptorum &c. quæ à Sede Apostolica pro Ordine Capucino emanârunt.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

P. SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius dicti Ordinis Ministri Generalis,

Variis Notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejusdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMUS SEPTIMUS

IN TRES PARTES DIVISUS

Quarum prima Documenta & Decreta Apostolica de Officio Divino, SS. Missæ Sacrificio, cultu Sanctorum &c. pro dicto potissimum Ordine edita, serie chronologica continet, cum Appendice Decretorum circa Beatificationem, & Canonizationem Servorum Dei in communi observandorum.

Secunda, Documenta Apostolica, Missiones Ordinis Capucini extra Provincias, & speciatim in partibus Infidelium constitutas concernentia recenset.

Tertia verò Supplementum, seu prosecutionem priorum Sex Tomorum cum generali totius Operis Indice concludit.

PARS PRIMA

De Divino Officio, SS. Missæ Sacrificio, cultu Sanctorum &c.

ROMÆ MDCCLII.

Typis Joannis Zempel Austriaco-Viennensis prope Montem Jordânum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. ad Phil. 3.7.

Ludovicus Sterro inv.et pin. Joseph Strutt sculp. Reg.

VENERABILI SERVO DEI,

FR. LAURENTIO A BRUNDUSIO

Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI Generali &c.

Oncluditur in Laureato tuo Nomine opus Ordinis, cujus Tu, Venerabilis Serve Dei, Generale fuisti Caput. Ritè quoque hujus ultimi Tomi Monu-

mentum tuæ conſecratur memorię , cum Te inter-& ipſum Tomum accomoda intercedat analogia. Hic in ſua compage unus eſt, & ex materiæ varietate in tres diviſus partes. Unus fuiſti & Tu, non tam mole corporis, quàm virtute, dum juxta Divum Gregorium Magnum tom. 2. in Lib. 1. Reg. c. 1. pag. mihi 1230. Sæculum potenter deſpexiſti , ſolis internis inhiâſti, & ad ea tantùm, quæ de Viſione Conditoris ſunt , æterna gaudia ſuſpirâſti; *fuiſti & diviſus in tria ſpecialius objecta , in Deum videlicet , Proximum, & Sacrum Ordinem. Dum Te unum fuiſſe virtute dico , tota nominis , & meriti Tui laus jam exhauſta , nonnemini videri poſſet , cum teſte eodem Divo Gregorio loc. cit.* perfectio Viri in præconio ponatur unitatis, *penſiculatiùs tamen ſi rem inſpiciamus, mutuat unitas tuæ virtutis ex ejuſdem in tria objecta diviſione claritatem eò majorem, quò hæc in ſe eminent præſtantiora, & quò aptiora fuerunt media, quibus Te in Deum, per cultum externum , in proximum, per zelum animarum, & in Ordinem, per cumulata in eo beneficia diviſiſti, & quæ appoſitè tres Tomi hujus partes attingunt. Vagus ne errem , ordinatè ad quemlibet tuæ diviſionis articulum progredior , Teque in Deum diviſum repeto, dum ea, quæ illius cultum præci-*

puè

puè in Viro Religioſo conſtituunt, ac Divini Officii penſum, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ac rituum Eccleſiaſticorum obſervantiam reſpiciunt, ſollicito ſemper ſtudio ac ſpiritu palmari curâſti.

Primum, quod attinet, videtur ab infantia tecum creviſſe divinæ laulis zelus; jam enim in Sæculo, & in ephebis odaria pſallentium frequentare geſtiebas, & in ſortem Divi P. Franciſci vocatus, ſtatis horis divinæ pſalmodiæ intereſſe, ſumma fuit animi tui voluptas, ita quidem, ut nec gracilis corporis conſtitutio, nec negotiorum cumulus, nec etiam æquitatis aut diſcretionis ratio Te unquam ab ea avellere poſſent. Nec ad chorum ire, ſed volare videbaris, ut, quem Angeli Sancto triſagio adorant in cœlo, Tu in Seraphico Fratrum odeo primus eum laudares oratione, quæ ſicut incenſum dirigeretur in conſpectu Dei.

Arę Domini quoties recordabaris, toties intumuit præ amoris æſtu cor tuum, manſitque inquietum, uſque dum ad Altare Dei, & ad Deum, qui lætificaverat animam tuam, introire poſſes, &, dum præ atritidis, ſeu podagræ dolore, pedibus inniti non valebas, Fratrum ulnis eò portari velles; nonnunquam, dum Sacram actionem ad plures horas vagante inter cœleſtes delicias animo protrahebas, corpore de terra raptus, & entheus cernereris, & ſemel Je-

ſum ipſum, quem in Altari conſecrabas, viſibilem in corpore coram Te ſtantem cerneres, ita quidem, ut in te inſigne illud gratiæ prodigium, quod Divo Stephano olim collatum, Sacræ paginæ memorant, in Te aliquo modo renovatum advertam, & ritè quoque de Te ex impreſſę vitę tuę actis aſſeram = Intendens in cœlum vidiſti gloriam Dei, & Jeſum ſtantem *in S. Altari ante Te.*

Sancta autem ut ſanctè tractarentur, peculiari niſu in id ſemper incubuiſti, ut in Choro & Ara exacta ſemper Sacrorum Rituum fulgeret amuſſis. Exemplo tuo æque hanc in te probâſti, ac Fratribus verbo inculcâſti, & vix alia in re zelus Te eouſque comedit, ac armavit ad ſeveritatem, quàm, ubi Opus Dei negligenter agi conſpicabaris.

En primam tuam in Deum diviſionem, quæ ſi mira fuit, cum unitatem tuæ virtutis non læderet, ſed ex ipſo objecto divinæ operationis charactere perficeret, Teque arctius Deo vinciret, fuit ſecunda, qua Te in proximum, ſalutem animarum quærendo, partitus es, verè Apoſtolica.

Ipſe Deus Te in hoc munere excellere voluit, dum tibi donum prædicationis contulit, verè rarum, & eximium; hinc vocem tuam in Sacris roſtris, ceu tuba, vix exaltare cœpiſti, ſonus ejus penetravit uſque ad Solium

Va-

Vaticanum ea laude, ut S. m. Clemens VIII. de Provincia tua Veneta Te ad almam Urbem vocaret, deſignaretque per tria Cineralia Concionatorem gentis Hebraicæ, cujus linguam, præter plures alias, apprimè callebas. Celebre Italiæ pulpitum haud fuit, in quo baptiſmum pœnitentiæ prævaricanti populo annuntiare non debebas, Eccleſiæ Præſulibus ſortem igniti tui eloquii certatim ambientibus. Stupuêre ad hoc omnes, qui illud vivum audierunt, ſtupebit & poſtera ætas, ſi illud mutum in tuis ſcriptis, lydio Sacrorum Rituum Congregationis lapide jam probatis, & typo publico digniſſimis, olim legere contingat. Fructum animarum, ut colligeres ampliorem, ſpiritui concionum ſociâſti exercitium Miſſionum, in quibus Cæſares, Reges & Principes unxiſti ad pœnitentiam, militem in campo armâſti ſcuto bonæ voluntatis, & virtutis, & paſſim peccatores à ſemita iniquitatis retraxiſti. Ut & Hæreticos de ſuæ ſectæ delirio ad lucis veritatem, & fidei unitatem congregares, ſtrinxiſti quoque contra eos calamum tuum, divino rore tinctum, ita feliciter, ut Ildephonſus Fernandez in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 3. cap. 3. *à Te congeſtis contra eos triumphis* multum fructum Eccleſiæ allatum *eſſe ſcribat.*

Nihil inde eorum, quæ ad animarum ſa-

ſalutem faciebant, unquam omiſiſti, ac ſemper, & ubique tum in Italia, tum in Gallia, Hiſpania, Portugallia, Pannonia, ac præcipuè in Germania, ac in hac Viennæ in Auſtria, Monachii in Bavaria, Pragæ &c. virtutem tuam in proximi ſalutem Apoſtolico effluvio effuſam, & diviſam probâſti.

Quantâ bonorum ſcaturigine demum Te diviſeris ad Sacri Ordinis commoda, anguſta explicare non ſinit charta. Meminiſſe ſufficiat, Te, arbitra Themide, ad Generalis Miniſterii pertigiſſe culmen, à nemine unquam conſcenſum, cui prævia merita viam per ſuccedaneos gradus non aptâſſent. Factus forma Gregis ex animo, juxta Divi Gregorii monitum, Sublimitatem tuæ dignitatis adæquâſti ſplendore converſationis, *& multiplicâſti lætitiam non ſolùm variarum Provinciarum, & Conventuum fœtu, ſed etiam communi ſolatio, quo Fratres, quos benefaciendo, & ſanando pertranſiviſti, ubertim repleviſti. Ordo totus de memoria tuæ erga eum beneficentiæ ſicut lætatur, ita & de ratione cenſet, ut, ubi in Te præceſſit beneficiorum in eum effuſio, in illo ſequatur grata horum compenſatio: ſequatur Sacri Altaris honor, pro quo Tibi, ſecundante Cœlo, decernendo impiger laborat, & pro quo felicia jam facta ſunt auſpicia.*

Re-

Redeo jam ad eam, à qua nonnihil deflexi, inſtituti mei viam, & cum diviſio hujus Tomi adumbret tuæ virtutis partitionem, ſeu analogum tuæ vitæ typum, cum, inquam, prima pars exhibeat ea, quibus cultus erga Deum probatur, ſecunda pars explicet illa, quę animarum lucrum concernunt, ac tertia memoret analecta Documentorum Ordinis, cujus commoda tam ſollicitè quæſiviſti, neminem fore arbitror, qui illum Tibi dicari mihi ſuccenſeat, nec Tibi dicatum, minùs Tibi placiturum, vereri debeo.

Quod totum, ſi factum non probaret, compelleret ad id alia, quę de trivio non eſt, illum Tibi ſacrandi ratio. Quę? Vir Dei, LAURENTI, *fuiſti meę Provincię Helveticę Miniſter Provincialis, ſeu (uti tunc conſuetum erat) Vicarius Provincialis, in Capitulo Lucernę ſub preſidio Patris Hieronymi à Sorbo Miniſtri Generalis anno 1598. celebrato juxta Provincię tabulas abſens electus, & ſubſequo anno 1599. in Capitulo Generali juxta librum primum Actorum Capitularium Romano in Archivo aſſervatum* pag. 73. à terg. *confirmatus. Sorte quidem perſonalis tui Gubernii frui datum ei non fuit, cum Ordinis negotia ad altiora Te diſtraxerint, honore tamen factę electionis privata non manet, vi cujus Tu Provinciam in tuam Filiam*

ac-

acceptâſti, & Provincia Te in ſuum cooptavit Patrem. Dignum proinde eſt ex parte Provinciæ, ut ſibi de hoc ſuæ felicitatis acceſſu applaudat, & ex parte mea juſtum, ut publico Monumento, præſenti videlicet opere, caſus gloriæ à me æternetur.

Quieſcat proin ſub auſpiciis tuis Tomus, quem cernuus tibi offero; quieſcat cum eo ſub iiſdem totum Bullarii opus, nomine tuo coronatum. Quieſcam & ego ſub lauro tuo, conſtitutus ſingulariter in ſpe tuæ apud Deum validæ interceſſionis pro me

Cliente tuo Minimo & Humillimo
Fr. Michaële à Tugio Capuc. In.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infraſcripti Diffinitores Generales Ordinis FF. Minorum Sancti Patris Franciſci Capucinorum, de mente, & mandato Rmi P. Sigiſmundi à Ferraria, Miniſtri noſtri Generalis, vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum Septimum Bullarii noſtri Ordinis, à P. Fr. Michaële Tugienſi, Ordinis noſtri Concionatore, & Provinciæ noſtræ Helvetiæ olim Sacræ Theologiæ Lectore &c. magna ſollicitudine, & induſtria collectum, variiſque notis ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem notis nihil ſanæ Doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidpiam, quod in præjudicium tertii vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure ſervandis ad debitam Provinciarum, ac rerum geſtarum notitiam typis dari, & imprimi poſſit.

Dedimus Romæ die 12. Septembris 1751.

Fr. Gelaſius Gorizien. Definitor Generalis (l.i.)
Fr. Hilarion à Feroleto Definitor Generalis (l.i.)

Fr. Sigiſmundus à Ferraria, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l.i.*)

CUm Tomum Septimum Bullarii Ordinis noſtri à R. P. Michaële Tugienſe ejuſdem Ordinis Concionatore, Sacræ Theologiæ in Provincia Helvetica Ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretario Generali compilatum, variiſque notis & notitiis illuſtratum duo ejuſdem Ordinis Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur.

Datum Bruxellis Brabantiæ in Conventu noſtro ad Immaculatam Conceptionem SS. Virginis Mariæ die 10. Menſ. Novemb. An. 1751.

Fr. Sigiſmundus qui ſupra.

L. † S.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtant. Vicegerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena, Magiſter, Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Prædicatorum.

ELEN-

PRÆFATIO.

PRodit in apricum ultimus Romani mei ſtudii partus, multò rardius, ac ego ipſe autumabam, & forſan alii quoque ab aliorum tomorum intra brevius tempus evulgatorum exemplo exiſtimârunt. Injecit currenti aliàs operi exactior Documentorum de Miſſionibus noſtris Apoſtolicis tum præteritis, tum præſentibus perquiſitio, eorum cum Decretorum Autographis in Archivo Sacræ Congregationis de Propaganda Fide aſſervatis collatio, ac demum præſcripta Sacri hujus Senatûs pro eorum typo approbatio. Evênit tandem, ut cum utilitate in prænotatione ſecundæ partis celebranda abſolveretur, in quo longior interceſſit intercapedo, & ſumeret ſub prælo inirium tomus, qui eſt totius mei operis finis.

Documenta & Decreta Divinum Officium, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Sanctorum, aut Servorum Dei cultum &c. concernenria, quæ prima jam operis pars recenſet, typo ſubjicere diu quidem hæſiravi, cum ea cuilibet Fratrum obvia, ac ex ipſo quotidiano uſu nota arbitrarer, tandem tamen, ut opus compareret integrum & perfectum, aliorum conſilio obſecundare, & ea quoque, quæ à Sacrorum Rituum Congregatione ſub nomine Capucino ſpecialiter edita fuerunt, operi Capucino inſerere ſtatui, eâ tamen lege, ut, ne tomus nimiùm intumeſceret, aut aliàs lectio tædium pareret, tum ex communi hujuſmodi Decretorum ſerie, tum ex illorum proviſione, Ordini noſtro ſpeciali, nonniſi peculiaris notæ, & attentionis digna, aut forſan alicubi prorſus adhuc aliena ſeligerentur. Qui ſeriem Decretorum non à primævis inſtitutæ Sacræ Rituum Congregarionis annis à me deduci obſervat, nolit deſuper mirari, & cum Cavalieri infra laudando, & Meratum *tom.* 1. *Comment. pag.* 23. cirante Decreta à dicta Sacra Congregatione nonniſi anno 1602. in Regeſtis ſcribi cœpiſſe reflectat, & conſectariò priora à me extrahi non potuiſſe concludat.

Ad hæc volvenda & revolvenda Fratres noſtros ipſa, quam Apoſtolica hæc Documenta reſpiciunt, rei dignitas, incirare debet. Agitur in iis potiſſimùm de illis precibus & laudibus, quarum originem Bonartius *lib.* 1. *c.*2. *de hor. Canon.* Cardinalis Bona *cap.*1. *de div. pſal. §.*4. & alii, ab Apoſtolis repetunt, quæ ex inſtitutione Juris Canonici jam certis horis in Eccleſia diu noctuque canuntur, & quæ vel *Officium Divinum*, *penſum ſervitutis*, *opus Dei*, *Canon*, *Synaxis*, *Collecte*, *Breviarium*, & in nonnullis Con-

ciliis *Agenda*, ob rationes à P. Cavalieri *tom. 2. Comment. in Decr. pag. mihi* 520. adductas appellantur.

Quanto studio Summi Pontifices (De Conciliis , & Sanctis Patribus &c. consultò sileo) Leo Magnus , Gelasius I. Gregorius I. Gregorius VII. Innocentius III. Sanctus Pius V. Clemens VIII. Urbanus VIII. &c. invigilârint , ut methodus & psalmodia Officii Divini Regularis in Ecclesia Dei induceretur , ut collapsa illius disciplina , correcto rituum excessu, vel defectu restitueretur , aut etiam restituta novorum rituum additione perficeretur , nulli non notum suppono : specialiùs tamen hîc commemoro sollicitum in hoc Sixti V. studium , dum Constitutione sua incipiente *Immensa*, sub die 22. Januarii 1587. emanatâ, Congregationem Sacrorum Rituum dictam , & ex nonnullis Eminentissimis Dominis Cardinalibus , & aliis rei Liturgicæ peritiâ insignibus Viris constitutam instituit , demandatâ ei provinciâ , ut *præcipuâ curâ incumbere debeat , ut veteres Ritus Sacri ubivis locorum in omnibus Urbis , Orbisque Ecclesiis , etiam in Capella Pontificia , in Missis , Divinis Officiis , Sacramentorum administratione , cæterisque ad divinum cultum pertinentibus , à quibusvis Personis diligenter observentur ; cæremoniæ , si exoleverint , restituantur , si depravatæ fuerint , reformentur ; libros de Sacris Ritibus & Cæremoniis , imprimis Pontificale , Rituale , Cæremoniale , prout opus fuerit , reforment & emendent . . . . . controversias de præcedentia in processionibus , aut alibi , cæterasque in hujusmodi Sacris Ritibus & Cæremonits incidentes difficultates cognoscant , summariè terminent , & componant* . Prædecessorum suorum vestigiis insistens san. mem. Benedictus XIII. in Concilio Romano , anno Jubilæo MDCCXXV. Ecclesiarum Antistites districtè monuit , ut vigentes vel glisscentes Rituum abusus cohibeant , & econtra horum approbatorum observantiam studiosè urgeant , ita *tit. XV. cap. 1.* statuendo = *Pastoralis nostri muneris curam ad hoc intendimus , & ab omnibus fieri volumus & mandamus , ut in Sacramentorum videlicet administratione , in Missis , & Divinis Officiis celebrandis , aliisque Ecclesiasticis functionibus obeundis , non pro libito inventi , & irrationabiliter inducti , sed recepti , & approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus , qui in minimis etiam fine peccato negligi , omitti , vel mutari haud possint , peculiari studio , ac diligentiâ serventur . Quam ob rem Episcopis districtè præcipimus , ut contraria omnia , quæ in Ecclesiis , seu Sæcularibus , seu Regularibus (iis exceptis , qui proprio vel Rituali , vel Missali , vel Breviario utuntur à Sancta Sede probato) contra Præscriptum Pontificalis Romani & Cæremonialis Episcoporum , vel Rubricas Missalis , Breviarii , & Ritualis irrepsisse compererint , detestabiles tanquam abusus & corruptelas prohibeant , & omnino studeant removere : quævis non obstante interposita appellatione , vel immemorabili allegata consuetudine , cum non quod fit , sed , quod fieri debet , sit attendendum* .

Quæ omnia , & alia plura , quasi Liturgicæ Disciplinæ haud sufficerent , Sanctissimus Dominus Benedictus XIV. impræsentiarùm Cathedram Divi Petri , & gloriâ scientia & spiritu virtutis adornans , præter ea , quæ in Institutionibus , seu Notificationibus , aliisque aureis suis libris ad stabiliendum Rituum Ecclesiasticorum nitorem & vigorem , aut elucubravit Cardinalis , aut sancivit Pontifex , novam Liturgicam Scholam seu Academiam in huiate Gregoriano Lycæo sub primo & eruditissimo Magistro P. Emmanuele de Azevedo , Societatis Jesu Clerico , prædictæ Sacræ Congregationis Consultore, ac Regio Postulatore &c. instituit & erexit, quam & fatus Rev. Pater publica oratione *tom. 9. operis Pontificii pag.* xv. extensè

sè videnda, 21. Novembris anno MDCCXLIV. ſolemniter aperuit.

Ne & Sanctionibus Pontificiis, aut Sacræ Congregationis Decretis quid deeſſet, diverſo tempore illas & hæc Clariſſimi Viri, vel integris Commentariis, vel Scholiis & notis illuſtrârunt, ac obvias difficultates enodârunt. Quos inter ſpeciali memoria dignos commendo Bartholomæum Gavantum, Clericum Regularem S. Pauli, dictæ Sacræ Congregationis pariter Conſultorem, Carolum Guyetum, Societatis Jeſu, Baruffaldum, Cajetanum Mariam Meratum, Clericum Regularem Theatinum, ejuſdem Sacr. Rit. Congregationis itidem Conſultorem, & Clariſſimum Joan. Michaëlem Cavalieri à Bergomo, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Lectorem Emeritum, qui *opere novo, hactenus intentato, ac doctrinæ varietate contexto*, ac in quinque tomos diſtributo, Sacræ Congregationis Decreta noviſſimè explanavit. Quibus jure merito ex Noſtratibus adjungo eos, qui de Rituum Sacrorum diſciplina ex profeſſo ſcripſerunt, in Bibliotheca Scriptorum Ordinis noſtri in Indice §. *Sacri Ritus pag.* 290. prolixo, & alphabetico ordine recenſiti.

Protenſa hucuſque ritus quidem Officii Divini ſpecialiùs tantùm concernunt, ea tamen benignus Lector ad ritus Sacroſanctæ Euchariſtiæ, ceu ſub ratione Sacramenti, ceu Sacrificii conſideratæ, ad Decreta cultûs Sanctorum, & Servorum Dei, aliaque Eccleſiæ myſteria & functiones libenter extendet, tum quod Apoſtolicæ Monumenta, quæ prima hujus tomi pars exhibet, ea quoque promiſcuè attingat, tum quod S. Sedis providentia pari ſollicitudine illa commendet, tum, quod ideo dumtaxat fuſiùs hîc de Officio Divino egerim, quod potior Decretorum pars hoc divini cultûs, muneris & obſequii penſum concernat.

Diſperſa jam colligamus, & ex unito Summorum Pontificum ſtudio, ac Doctorum litterario conatu concludamus, quantùm illi puræ Rituum obſervantiæ inſtiterint, quantum & hi hanc coadjuvare contenderint, non tam, ut ſanctitatem rituum & cæremoniarum, quas Sectarii adunco lividoque ſemper dente, teſte Cardinale Bona *lib.* 1. *rer. Liturg. cap.* 7. invadunt, & rodunt, aut aliàs calamo felle tincto traducunt, ſuffulciant, quàm ut in unitate Rituum varietas actionum, & in varietate cœremoniarum unitas ſubſtantiæ in Eccleſia Dei glorioſiùs reſplendeat.

Concludamus, quantum & Capucino, qui vi Regulæ Officium Divinum juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ recitare tenetur, incumbat, ut Pontificiæ voluntati & mandato ritus ſuos ritibus Eccleſiæ Romanæ accomodet, uſus Apoſtolicis Decretis contrarios eliminet, & uniformi cultu ſe dignum Sanctuarii Miniſtrum præbeat. Non ſufficit, juxta Concilii Tridentini monitum *ſeſſ.* 24. *de reform.* dumtaxat *in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè & devotè laudare*, ſed adamuſitato Decretorum Apoſtolicorum & Rituum uſu opus Dei complendum eſſe meminerit.

Audi proin *Iſrael Cæremonias atque judicia*, quæ in hoc tomo tibi ad regulam exhibentur, *diſcite ea, & opere complete. Audi*, & ubi Decretum Sacræ Congregationis, & ſententia Authoris in ritûs ſenſu contrariè occurrunt, amplectere Urſayæ *tom.* 1. *par.* 1. *diſcep.* 1. *num.* 7. doctrinam, & privatæ opinioni præfer Decretum Apoſtolicæ authoritatis munimine roboratum.

Diſcite canonicas Eccleſiæ leges, memores, quod Hipponenſium Præſul Auguſtinus *lib.* 1. *oper. imperf. num.* 105. conſequentem peccandi neceſſitatem in illo arguat, qui, quod ſcire & facere tenetur, culpabiliter neſcit:

ſcit: memores, inquam, quod & Angelicus Doctor Thomas 1. 2. *qu.76. art.* 2. ignorantem, quæ ad illius ſtatum vel officium pertinent, aut ſine quorum ſcientia actum ex officio debitum, exercere haud valet, peccati inſimulet. *Diſcite* & cavete ab eo judicio, quod gentium Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 14. minitatur = *Si quis ignorat, ignorabitur. Complete* denique Opus Dei opere ex integra cauſa bono, & perfecto, ſervantes ritus à Sede Apoſtolica præſcriptos, & Domino fide non fictâ, & ex toto corde pſallentes.

MONUMENTA APOSTOLICA

Seu potiſſimùm Sac. Rit. Congregationis Decreta, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, Officium Divinum, Sanctorumque cultum generaliter concernentia.

Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia abſque Sedis Apoſtolicæ licentia addi, aut Officium de Sancto Titulari, aut de quo Reliquia aſſervatur, per totam Civitatem, aut Diœceſin perſolvi inhibetur. Quænam ſint Reliquiæ inſignes, declaratur: ac Miſſæ quædam S. Gregorii, SS. Auxiliatorum, ac de Patre Æterno rejiciuntur.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Rituum ubique obſervandum.

SAcra Rituum Congregatio ad tollendos abuſus, qui variis in locis irrepſerunt, re maturè diſcuſſa, cenſuit, & decrevit.

1. Non potuiſſe, nec poſſe Locorum Ordinarios, tam Sæculares, quàm Regulares addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentiâ concedunlur.

2. Inſuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Diœceſim, etiam de cujuſque Ordinarii auctoritate, Miſſam, vel Feſtum cum Officio de Sancto, eo quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu, ubi aſſervatur inſignis Reliquia, & non alibi.

3. Inſignes autem Reliquias declaravit eſſe Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata.

4. Miſſas item, quæ circumferuntur, à Sacra Congregatione non approbatas, ſancti Gregorii pro vivis, & defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, & quaſcunque alias, exceptis iis, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantùm, veluti Roſarii, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & aliàs; ſicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, rejecit omnino, & damnavit reſpectivè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit.

5. Quæ omnia decrevit, ſtatuit, & mandavit ſub pœnis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii, & Miſſalis poſitis, quòd

ſcilicet non ſatisfaciant muneri recitandi Divini Officii, quò verò ad utentes ſupradictis Miſſis ſub aliis pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto S. Concilii Trideotini edito.

6. Et ne præmiſſorum ignorantia ullo unquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque oblivio poſſit irrepere, eadem S. Congregatio voluit, & mandavit, Decreta hujuſmodi affigi in Sacriſtiis omnium Eccleſiarum, tam Sæcularium, quàm Regularium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum quarumcunque, in eiſque perpetuò affixa aſſervari.

7. Facta demum relatione horum Decretorum SSmo D. N. Urbano Papæ VIII., idem Sanctiſſimus ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique ſub prædictis pœnis ſervari præcepit. In quorum fidem manu, & ſigillo Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Deti præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit die 8. Aprilis 1628.

Ex Regeſt. Archivi S. Congreg. prædictæ, & reperitur in principio Breviarii.

N O T A.

QUoad articulum quartum hujus Decreti circa Miſſas S. Gregorii ſuborta eſt contentio, cum aliqui illas iodiſtinctè prohibitas eſſe opinarentur, alii verò licitè adhuc illas celebrari poſſe prætendereot; inde Sac. Congregatio Rituum ad tollendam omnem æquivocatiooem declaravit, ut ſequitur:

Sacra Rituum Congregatio declaravit per Decretum contra abuſus emanatum, non prohiberi Miſſas 30. pro Defunctis à D. Gregorio inſtitutos in Lib. Dial. cap. 55. ſed ſolùm illas Miſſas noviſſet impreſſas, & ab eadem S. Congregatione non approbatas, quæ circumferuntur pro vivis, & Defunctis. Die 28. Octobris 1628.

Viget adhuc uſus harum Miſſarum non ſolùm in quibuſdam Monaſteriis, in quibus vi Statuti particularis celebratione illarum Defunctis Religioſis parentatur, ſed etiam inter Sæculares, qui non rarò eas pro Defunctis celebrari poſtulant. Inde, ut tam Celebraotes, quàm celebrari petentes diſtinctam illarum notitiam habeant, de earum origine, conditionibus, & effectu pauca hic addere operæ pretium duxi.

Originem trahit devotus hic ritus occaſionaliter ex vitio proprietatis, quo Monachus, Juſtus vocatus, tres aureos occultatos retinuit. In vitæ periculo dum infelix verſabatur, fuit à Copioſo, pariter Monacho, de vitio prædicto apud D. Gregorium accuſatus, qui ut tum morientem Fratrem ad Spiritum reſipiſcentiæ reduceret, tum Conſratres ſalutari terrore ab hujuſmodi delicto præſervaret, non ſolùm Juſtum communione Fratrum privavit, verùm etiam ſancivit, ot mortuus Eccleſiaſtica Sepultura ſpoliaretur, ſo foſſa Sterquilinii humaretur, tres aurei prædicti ſuper cadaver ejus jacerentur, ac omnes Monachi interim clamarent: *pecunia tua tecum ſit in perditione.* Res ad vota D. Gregorii ſucceſſit, reſipuit Juſtus, & *de reatu ſuo vehementer ingemiſcens*, emiſit ſpiritum. Trigiota diebus à morte Juſti elapſis, Gregorius Pretioſo Monaſterii Præpoſito mandavit: *Vade itaque ab hodierna die, diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium, ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur.* Paruit Abbas, & Defunctus Juſtus ſacroſancto Suffragio tricies perſoluto ſe à carbonibus deſolatoriis, ſeu à pœna Purgatorii redemptum fuiſſe, præfato Monacho Copioſo una nocte apparens retulit. Ex quo (uti D Gregorius *lib.* 4. *dial. c.* 55. *pag. mihi* 1465. ſubjungit.) *Fratres ſollicitè computaverunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima hoſtia fuerat expleta.*

Divulgato hoc facto ingens hujuſmodi Miſſarum invaluit æſtimatio, & eoipſo, quod illo tempore parcus adhuc in Eccleſia Dei indulgentiarum plenariarum, & Altarium privilegiatorum exiaret uſus, ereberrima illarum celebratio ſuit inducta, cum hâc Animam Defuncti de pœna purgantis ignis certiùs liberari erederetur.

Apici & verbis hiſtoriæ inhærera ſi velimus, ſequentes ad hunc ritum conditiones requiti obſervamus.

Prima quidem deducitur ex D. Gregorii verbis = *ab hodierna die* = quæ celebrarionem dierum Miſſarum triginta diebus ab obitu illius, pro quo offeruntur, elapſis, inchoari debere, inferre videntur.

Secundam notant verba = *diebus triginta* = per quæ Miſſas ooo in una die, aut paucioribus, ſed in 30. diebus celebrandas eſſe indicatur.

Tertia eruitur ex verbis = *Diebus triginta continuis, & ut, nullus omnino prætermittatur dies* = quæ interpolationem excludunt.

Quarta fluit ex verbis = *Vade offerre* = quæ Miſſas hujuſmodi ab individuo Sacerdote celebrari debera juxta nonnullos innuunt.

Quinta & ultima conditio clauditur in verbis = *Offerre pro eo, & pro abſolutione illius*, = quæ noo nudam Miſſarum celebrationem, ſed illarum applicationem pro Defuncto important.

Quantùm hæ conditiones in ſe clareſcunt, ceo ex ipſo hiſtoriæ fonte, & texru deductæ, tantùm difficultatis in quatuor primis (cum circa quintam Authores concordent) latèra videtur.

Dura præſertim apparet prima conditio, vi cujus 30. dies poſt mortem exſpectari debereot, antequam hic Suffragii ritus inchoatetur. Omnes inde ab illa recedunt, eamque noo ſolùm ceu non neceſſariam, ſed etiam ceu minus commendabilem rejiciunt, exemplum D. Gregorii in eo excuſantes, quod tum in vitii proprietatis abomioatiooem, tum ad conſervandum in Monachis timorem, ani-

animæ Defuncti Juſti nonniſi poſt 30. dies ſolutionis à corpore ſuffragari voluerit; hinc & ex communiore uſu immediatè poſt obitum, ſaluti fidelium Gregoriano hoc ſuffragio conſulitur.

Circa ſecundam conditionem cavendum eſt, ne in determinato numero vis aliqua conſtituatur ſpecialis, aliàs ſuperſtitioni panderetur via.

Senſum conditionis tertiæ mitigat quidem Garzias *diſſ. 11. dub. 4. n. 18.* aſſerens, paucioribus quàm triginta diebus, imò in una die à 30. Sacerdotibus illas celebrari poſſe, à quo tamen, ceu Sanctioni Gregorianæ apertè contrario, dignè recedimus. Accedo eorumdem circa communationem ſenſui P. Cavalieri, qui *tom. 3. Comment. in Decr. pag. 186. Non putat eam tolli in triduo mortis Chriſti: quinimo nec, ſi ob ægritudinem una vel altera die Sacerdos à celebrando prohiberetur.*

Major eſt difficultas in conditione quarta: nonnulli enim Scriptores ab uno eodemque Sacerdote celebrari debere contendunt; ex quo tamen in Gregoriano contextu *per te* non exprimitur, Gavantus *p. 1. tit. 5. litt. D.* illas à pluribus Sacerdotibus celebrari poſſe affirmat, quod & praxi Monaſteriorum aut Communitatum firmatur, quæ dum Miſſas hujuſmodi in ſe ſuſcipiunt, eas tamen individuo Sacerdoti alligare non confueſcunt, nec etiam alligare poſſunt.

Loquuntur de harum Miſſarum effectu incido in ſcopulum; hunc in redemptione animæ à piaculari igne conſtitutum eſſe, facilè dicitur, & ab ipſo Monachi Juſti exemplo deducitur; cum autem exin effectus 30. Miſſarum non differat ab effectu unius Miſſæ in Altari privilegiato celebratæ, oportet producí prærogativam, quâ Miſſæ Gregorianæ pollent, & ab aliis Miſſis diſtinguuntur. A Scriptoribus hanc in majore efficacia, ſeu ſecuturæ animæ redemptionis certitudine conſtitui animadverto, non quidem majore certitudine, fundata in majore Miſſarum numero, ſed proveniente juxta Quartum *p. 1. tit. 5. dub. 16.* vel ex eo, quod D. Gregorius hanc gratiam majoris certitudinis à Deo impetraverit, vel quod ipſe, in cathedra Petri poſtmodum ſedens, eam operi & ritui Sacrificii per 30. dies continuati alligaverit. At cum & hæc non ſatis probari videantur, illa bona fide ſuppleri neceſſum eſt.

Quin etiam aliis dubiis, quæ de effectu Miſſarum privilegiatarum, & illarum cum 30. Miſſis Gregorianis comparatione, ac moderna deſuper Theologica doctrina reſultant, immorer, ceu certum concludo, quod inſpecto Miſſarum valore animæ Purgatorii citiùs liberarentur, ſi Miſſæ 30., paucioribus diebus, aut in una omnes celebrarentur.

Ita autem incautus Scriptor harum Miſſarum efficaciam magnificavit, ut 30. Miſſas imprimeret, evulgaretque celebrandas, quando Gregorianæ peterentur. Quod cum propria authoritate feciſſet, Sac. Congregatio novitatis auſum reprehendit, Miſſas ita impreſſas per Decretum ſuperſtus & primum proſcribendo, ita tamen, ut & per ſecundum, Miſſas D. Gregorii nuncupatas, & *in Lib. Diaſ. c. 55.* memoratas non prohibitas eſſe declararet, quemadmodum & duo Summi Pontifices, videlicet Benedictus XIII. *Serm. 20. de Purg.* & Benedictus XIV. *tom. 2. notific. 14.* idipſum declaraſſent.

Idem judicium ferunt Authores de mitis XV. Auxiliatorum, num. 4. ſuperiorſs Decreti memoratis, præſertim Lohner *p. 4. tit. 2. §. 2. n. 3.* & noviſſimè Cavalieri *tom. ſupra citato pag. 185.* qui, dum prohibitionem S. Congregationis ad Miſſam ſine illius licentia impreſſam coarctant, de iis tamen Miſſam de communi Martyrum, cum (excepto D. Ægidio Abbate) omnes alii laurea Martyrii ſint inſigniti, dici poſſe conſequenter affirmant. In Decreto numeros Auxiliatorum ad Quindecim protendi obſervo, at, quâ ratione id factum ſit, ignoro. Scio tamen ex praxi, illorum nonniſi quatuordecim numerari, qui ſunt SS. Acatius M., Ægidius Abb., Blaſius Ep. M., Chriſtophorus M., Cyriacus Diac. M., Dionyſius E.M., Eraſmus E.M., Euſtachius M., Georgius M., Pantaleon M., Vitus M., Barbara V.M., Catharina V. M.. Margarita V. M. Quinam jam ſit decimus quintus, curioſus non inveſtigo, illumque libertati Fidelium pro arbitraria devotione adjungendum relinquo, & cum Cavalieri *loco ſupra cit.* etiam Miſſam de Sanctiſſima Trinitate, ſi aliqua ex approbatis facilè accomodanda afforet, celebrari poſſe concludo.

Dies pro feſtis de præcepto colendos determinat; Ordinarios Locorum ab introducendis novis feſtis de præcepto abſtinere, & circa licentiam laborandi in diebus hujuſmodi antiquos Canones obſervari monet.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſa per Orbem novit Eccleſia Romani Pontificis ſupremæ incumbere ſollicitudini Dominicum gregem ad æternam dirigere ſalutem, & Apoſtolica ſic explicare præcepta, ut Fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire. Plurimorum ſiquidem Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum per varias Regiones conſtitutorum relatione ad Nos pervenit, Feſtorum multitudinem per ſingulas eorum Diœceſes, ac Provincias adeo creviſſe, devotione, atque conſuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quænam ex præcepto, quæve ex libera cujuſcunque voluntate ſint ſervanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numeroſitatem tepeſcente: quinimo & clamor pauperum frequens aſcendit ad Nos, eandem multitudinem ob quotidiani victûs laboribus ſuis comparandi neceſſitatem ſibi valde damnoſam conquerentium, &, quod ſummopere dolendum eſt, magno cum animi noſtri mœrore didicimus, tanta ſæpe fæ-

pius malignatum inimicum in Sancto, ut ipſa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Eccleſiis Deum Populi utantur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita ut, quæ ad glorificandum Divinum Nomen ſunt primitus inſtituta, temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, gravemque jacturam converterit animarum; Quamobrem dicti Ven. Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi Nobis feeerunt humiliter ſupplicari, ut in prædictis de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

Nos itaque volentes ex debito Paſtoralis Officii providere, & ſanctificationi Feſtorum, certum deinceps firmare præceptum, antiquam Eccleſiæ in hoc conſuetudinem ſectantes, habitis prius frequentibus per doctos, pioſque Viros, quos ad hæc ſpecialiter deputavimus, conſultationibus, ut rei videtur gravitas poſtulare, motu proprio, & certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris, necnon de prædictæ Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, hac perpetua valitura Conſtitutione, de voto etiam Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, Apoſtolica auctoritate *decernimus*, & declaramus infraſcriptos duntaxat dies pro Feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos videlicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. J. C., Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus pariter ſequentibus feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus ſequentibus feriis, SS. Trinitatis, Solemnitates Corporis Chriſti, & Inventionis S. Crucis, necnon Feſtivitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis & Judæ, & S. Matthiæ Chriſti Domini Apoſtolorum; item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silveſtri Papæ & Confeſſoris, S. Joſephi etiam Confeſſoris, & S. Annæ, Deiparæ reſpectivè Sponſi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit. Ad reliquorum verò dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, ſive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœceſi, aut loco quomodocunque ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſtifideles tanquam feſtivos celebrârunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri dicta auctoritate tenore præſentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies feſtos à Locorum Ordinariis nimiâ aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum feſtorum ſtudeant abſtinere. Ut verò ea, quæ ſuperiùs expreſſa ſunt, ferventiori, quâ decet, veneratione ac devotione colantur, eiſdem Ordinariis antiquorum Canonum obſervantiam ad memoriam revocamus in conecedendis licentiis laborandi diebus feſtis, quæ quidem licentiæ non aliter, quàm ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur, concedenda nonniſi gratis, liberè, & ſine ullo prorſus precio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, ſub pœnis etiam gravioribus noſtro, Succeſſorumque noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc noſtram Conſtitutionem dies feſtos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant ante ejuſdem promulgationem. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, nunc, & pro tempore exiſtenti noſtro in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, ac univerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ac cujuſcunque generis Locorum Ordinariis, etſi Cardinalatûs honore fulgeant, ut has præſentes litteras, omniaque & ſingula in eis contenta, ſinguli videlicet in eorum reſpectivè Diœceſibus publicent, ac ab omnibus eorum ſubditis ad unguem obſervari faciant, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis, editis & edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſingularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus longiſſimo tempore præſcriptis, ac obſervatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, & Literis Apoſtolicis, aliiſque gratiis, tam per ipſos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, etiam

motu

motu ſimili, tam conſiſtorialiter, quàm per Ordinarios Locorum cujuſcunque qualitatis, etiam Cardinalatûs honore, ut præfertur, fulgentes, Legatos etiam de Latere, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ipſis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & Locis, aliiſque quibuſcunque, etiam quantumvis privilegiatis Perſonis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac aliàs in contrarium, forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem &c. ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, intentionis, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Idibus Septembris, Pontificatûs Noſtri Anno vigeſimo.

Ex Bullario Romano edit. antiquæ t. 4. pag. 230.

Per recitationem Officii de Beatis, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, præcepto non ſatisfieri declaratur, ac nomina Beatorum, quibus cultus cum Officio & Miſſa non eſt conceſſus, in Kalendario poni prohibetur.

REcitatio Officii de Beatis non canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſit; nec talium Beatorum nomina poni poſſunt in Kalendario, niſi illius tantùm loci, earumque Perſonarum, in quo, & à quibus cultus Beati cum Officio & Miſſa celebratur. *S. R. C. 27. Sept. 1659. in Decreto generali approbante Alexandro VII.*

In Oratorio publico, in diebus Solemnioribus anni, pro commodo Villicorum, etiam Parocho contradicente, Miſſa celebrari poteſt.

MIſſæ Sacrificium peragi poteſt in publico Oratorio extra aliquod Oppidum conſtructo de licentia Epiſcopi, in diebus Solemnioribus anni, etiam contradicente Parocho, pro commoditate Villicorum circumhabitantium, dummodo habeat omnia requiſita ad Eccleſiam, vel ſaltem ad publicum Oratorium conſtituendum. *S. Rit. Congregatio 3. Sept. 1661.*

NOTA.

HOc idem fuit ſancitum 30. Aug. 1664. cum expreſſione, quod nec obſtet Decretum Epiſcopi in Synodo Diœceſana, aut à quocunque alio, etiam in erectione Eccleſiæ, editum. Si autem Oratorium hujuſmodi Eccleſiæ Parochiali ſit vicinum, Miſſæ celebratio, antequam Parochus in ſua Eccleſia celebraverit, prohibetur à Benedicto XIV. in ſua Conſtitutione incip. *Etſi minimè Nobis. 7. Febr. 1742* edita, tomo 1. Bullarii pag. 113. videnda, in cujus § 14. hæc leguntur = *Et primò quidem quoad parvas Eccleſias Parochiali proximas expreſsè lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quàm Parochus Miſſam celebraverit, ſermonem habuerit, cæteraſque muneris ſui partes exploverit.* Ubi autem notandum eſt, quod hæc Benedictina prohibitio cauſaliter procedat à Doctrina Chriſtiana, quam à DD. Parochis inſtitui ibi mandatur.

In feſtis duplicibus Miſſas de Requiem celebrare prohibetur, & incidentes in feſtum duplex, de feſto cum applicatione Sacrificii dici præcipitur.

OMnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſvis Ordinis, etiam neceſſariò exprimendi, diſtrictè præcipitur, ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu *de requiem*, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant; quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto cum applicatione Sacrificii

crificii juxta mentem eorumdem Benefactorum, curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, aliique, ad quos spectat, ut hujusmodi Decretum inviolatè servetur, atque in Sacristia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conspici & legi possit; in eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tam sæculares, quàm Regulares pro modo culpæ animadvertant. *S.R.C. approbante Alexandro VII. 5. Aug. 1662.*

NOTA

IDem judicium ferendum non est de Anniversariis, & Missis cantatis, cum Decretum superius de Missis privatis limitatè loquatur, & prout nec Anniversaria, nec Missas cantatas comprehendat. Hinc & Sacra Congregatio has & illas etiam in Duplici majori, celebrari posse per sequens Decretum declaravit:

Anniversaria & Missæ cantatæ de Requiem, relictæ ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitûs, etiam in duplici majori contingentis, possunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Aug. 1662. edito non comprehenduntur. Sac. Rit. Congregatio 22. Nov. 1664. in Novarien.

Quod Sacra Congregatio in hac causa Novarien. particulari sancivit, postmodum generaliter confirmavit Decreto sequente:

Anniversaria & Missæ de Requiem, quæ ex dispositione Testatorum cum cantu quotannis fiunt celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus inciderit in festo duplici majori. Sac. Rit. Congreg. 20. Julii 1669. annuente Clemente IX. die 13. ejusdem anni in Decreto generali.

Semper autem notari debet, quod ultra Missam solemnem & cantatam, aliæ privatæ *de Requiem* maneant prohibitæ, cum eas nec in ipso die obitûs præsente corpore licere constet.

Procedit dein concessio usque ad festum duplex majus, hinc si hujusmodi Anniversaria cadant in festum ritûs altioris, oritur quæstio, an & in hoc Missæ *de Requiem* celebrari queant? ad quam S. Rit. Congregatio dudum jam respondit Decreto sequente:

In Anniversario occurrente in festo duplici 2. classis non potest cantari Missa de Requiem. S. Rit. Congreg. 5. Julii 1698. in Collen.

Regulares festum Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis sub ritu duplici secundæ classis sine octava celebrare debent.

REgulares tenentur quidem celebrare festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis, & sine octava. *S. Rit. Congr. 1. April. 1666. approbante Alexandro VII. die octavo ejusdem mensis, & anni.*

A' Sacerdote Sæculari celebrante in Regularium Ecclesia, in qua persolutum est Officium duplex, non potest dici Missa de Requiem.

SAcerdos Sæcularis, sive Cappellanus, sive non, qui recitavit Officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatum est ab ipsis Regularibus eadem die Officium duplex de præcepto, prout de eo aliquo Sancto sui Ordinis, non potest dicere Missam *de Requiem. S. R. Cong. 9. Jun. 1668.*

In occursu festi Purificationis in Dominicis Septuagesimæ, post Completorium die secundo Februarii, antiphonam *Ave Regina Cœlorum* dicendam esse sancitur, usu quocunque non obstante.

OCcurrente festo Purificationis B.M.V. in Dominicis Septuagesimæ, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non est ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris &c.* Sed die 2. Februar. post Completorium, illâ dimissâ, sumenda est Antiphona *Ave Regina Cœlorum &c.* sublato quolibet asserto difformi quarumcunque Ecclesiarum usu, sive consuetudine; & ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pa-

pariformiter ſervari mandavit. *S. Rit. Cong.* 11. *Jan.* 1681. *in una Urbis, & Orbis.*

Regulares ad Officium Patroni Principalis loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, non tamen ad octavas tenentur.

REgulares non poſsunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem Officii Patroni Principalis loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ſed non ad eorumdem octavas. *Sac. Rit. Cong.* 20. *Martii* 1683.

NOTA.

EAdem Sac. Rit. Congregatio explicavit die 20. Martii 1683. illa verba = *non tenentur recitare Officium de octava* Patroni, vel Titularis principalis, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ac Patroni Diœceſis, Regni, Provinciæ, vel Civitatis &c. dicendo, quod ly *non tenentur* nedum excludat ad libitum, ſed importet etiam non poſſe, niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit à Sede Apoſtolica, vel mandatum à Conſtitutionibus Religionis, ab Apoſtolica Sede approbatis.

Tam feſtum Dedicationis, quàm Titularis Eccleſiæ Conventûs, in quo morantur, à Religioſis ſub ritu duplici primæ claſſis, cum octava celebrari debet.

REligioſi tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava feſtum tam de Dedicatione, quàm de Titulari Eccleſiæ illius Conventûs, in quo morantur. *S. Rit. Cong.* 13. *Junii* 1682.

Et eodem die, & anno decrevit, quod in occurſu Officii Sancti proprii, & Officii conceſſi aliquibus locis, ſeu Provinciis, vel Regnis ad libitum, debent recitare Officium proprii Sancti.

Præceptum de duabus aliis Miſſis in nocte Nativitatis Domini poſt primam Solemnem non celebrandis, ac de communione Fidelibus non diſtribuenda, omnes Regulares ſine exceptione ligare declaratur, ac etiam Confeſſiones, præſertim Mulierum, durante tempore nocturno excipi inhibetur.

PRæceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſint ſuccedere aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec communio exhiberi Euchariſtica Fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſcunque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſsunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maximè Mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illucеſcat aurora, tam pro confeſſionibus Mulierum excipiendis, quàm pro Euchariſtia miniſtranda Fidelibus utriuſque ſexûs, *S. R. C. 23. Martii 1686. in Senen.*

Officia Sanctorum ratione corporis ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, debent intelligi de Sanctis in Martyrologio Romano deſcriptis: de cæteris autem abſque ſpeciali S. Sedis licentia, nec Officium recitari, nec Miſſam celebrari poſſe declaratur.

OFficia Sanctorum ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à S. Sede non fuerit ſpecialiter conceſsum, Officia recitari, & Miſsæ celebrari non debent, non obſtante, quod ipſorum Corpora, vel inſignis Reliquia in Eccleſiis aſserventur: quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (prout hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio & Miſsa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione B. Pii V. contentis. *S.R.C. 11. Aug. 1691. in Decreto generali approbante Innoc. XII.*

NOTA.

N O T A.

QUænam ſit inſignis Reliquia, ob quam Officium recitari, & Miſsa celebrari poteſt, vide ſuprà pag. 1. num. 3.

Sub ritu duplici eſt recitandum Officium de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, vel dein ſit corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, dummodo ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano. *S. R. C. 3. Junii 1617.*

Eadem S. Congregstio 12. Maji 1618. ſtatuit ad explicationem ſuperioris Decreti ſuper vocem *Ubi*, intelligi debere Eccleſiam, non verò Civitatem, vel Oppidum, ita ut Eccleſiæ aliæ totius Civitatis, vel Oppidi, poſſint idem Officium recitare: quod nequeunt. *Vide & ſuprà pag. 1. num. 2.*

Tertiariis S. P. Franciſci Sæcularibus Breviario Ordinis Minorum uti, ac illius Kalendario ſe conformare indulgetur.

TErtiarii S. Franciſci degentes in ſæculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. *S. Rit. Congregat. 7. Auguſt. 1694. in una Ordinis Minorum.*

N O T A.

JAm prius autem de Tertiariis choro obligatis, S. Rit. Congregatio decreverat, quod ſequitur:

Tertiarii S. Franciſci in Sæculo degentes, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius choro obligati, debent recitare Officia particularia illius Eccleſiæ: ſecus autem, ſi ſint de gremio, & nullatenus choro intervenire debuerint. 28. Sept. 1602.

In translatione feſtorum æqualis ritûs, priùs translatum celebrari ſancitur.

CUm nonnullorum non ritè ſenſum generalis Rubricæ Breviarii Romani tit. 10. num. 7. de Translatione feſtorum percipientium obrepſerit opinio, quod de feſto transferendo, quod poteſt in ſequentem diem immediatè transferri, ſit recitandum Officium ante alia æqualis ritûs priùs tranſlata. S. R. C. ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Dom. Cardinalis Petrucci ſupradictam generalem Rubricam omnino ſervandam, & quocunque alio Decreto in contrarium non obſtante, in caſu propoſito (ſervato ſemper ordine Kalendarii) Officium de primo translato prius recitandum eſſe declaravit. Ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa ſemiduplicia in Dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus prædictam generalem Rubricam *tit. 10 num. 5.* pariter omnino ſervandam eſſe cenſuit, & ita ſervari mandavit. *S. R. C. 22. Decemb. 1696. in Decreto generali.*

Regulares, & quicunque alii Sacerdotes celebrantes in Eccleſiis alienis, in quibus agitur feſtum cum Solemnitate, debent celebrare Miſſas conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum.

SAcerdotes, etiam Regulares, diebus, quibus propria Officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in Eccleſiis alienis, quando peragitur feſtum cum Solemnitate, & concurſu populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum, in aliis verò diebus poſſunt. Sed quando prohibentur Miſſæ votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare ſaltem quoad colorem. *S. R. C. 11. Jun. 1701. in una Tertii Ord. S. Franciſci.*

N O T A.

RItè junguntur huic Decreto & alia, quæ illi cohærent in eadem cauſa, die, menſe & anno edita:

1. *Sacerdotes exteri confitentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis, etiam Ordinis, quando feſtum celebratur cum Solemnitate, & concurſu populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ, etiam Regularibus, quoad* Credo, *& numerum orationum mere duplicium, in aliis verò diebus poſſunt.* S. Rit. Congreg. 11. Jun. 1701. in una Tertii Ord. S. Franciſci.

2. *In*

2. *In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, poſſunt Exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus octavæ: & Regulares celebrantes in alienis Eccleſiis, uti coloribus juxta ritum earumdem; & tam Exteri in Eccleſiis Regularium, quàm Regulares in alienis poſſunt apponere commemorationem octavæ, ut ſuprà, occurrentis, ſervatâ rubricâ de duplici oratione in Dominicis infra octavam.* S. R. Congr. 11. Jun. 1701. in unâ, ut ſuprà.

Occurrentibus feſtis Kalendarii particularis, ac Kalendarii univerſalis cum paritate ritûs, primum celebrari, & ſecundum transferri debere, ſancitur.

IN occurrentia feſti Kalendarii particularis, & feſti Kalendarii univerſalis cum paritate ritûs, & ſine excellentia majoris dignitatis, faciendum eſt de primo, translato ſecundo. *S. R. C. 12. Jul. 1704. in una Urbis, & Orbis. Vide de hoc Decreto Cavalieri tom. 2. Comment. p. 330.*

Indultum ſingulis menſibus recitandi varia Officia Sanctorum &c. nonnullis Ordinibus conceſſa reſtringitur, feſtum duplex vel ſemiduplex pro recitandis hujuſmodi Officiis dies impeditus declaratur, ac in Lytaniis, & *Confiteor* nomen Fundatorum vi communicationis privilegiorum addi prohibetur.

CUm Sacrorum Rituum Congregationi demiſsè ſupplicatum fuerit ſequentia dubia declarare:

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit à Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel vel pluries in ſingulis hebdomadibus, vel menſibus celebrentur varia Officia per annum v. g. de Sanctiſſimo Sacramento, vel de Sancto in diebus non impeditis aliquo feſto duplici vel ſemiduplici, liceat ejuſmodi Officia facere, etiam in diebus Quadrageſimæ, Adventûs, Vigiliarum, & quatuor temporum, etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus officiorum conceſſionibus?

Secundum. An dies impeditus feſto duplici vel ſemiduplici pro dictis officiis recitandis intelligantur etiam dies, in quibus ponendum eſt Officium de feſto duplici vel ſemiduplici translato, quemadmodum dicitur reſponſum fuiſſe olim à Sac. Congregatione, quod ſcilicet feſtum duplex, vel ſemiduplex, etiam translatum, necnon dies octavæ, ſit dies impeditus reſpectu talium officiorum?

Tertium. An Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliorum Religioſorum poſſint addere nomen S. Fundatoris in Lytaniis & *Confitcor*, itemque recitare Officia & Miſſas conceſſas aliis Religionibus?

Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Colloredo reſpondit:

Ad primum negativè, & hujuſmodi Officia non habere locum in feriis Adventûs, Quadrageſimæ, quatuor temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit apponendum Officium Dominicæ.

Ad ſecundum affirmativè.

Ad tertium negativè in omnibus.

Et ita declaravit, ac ſervari voluit, ac inſuper, ut declarationes, ſeu Decreta prædicta omnibus innoteſcant, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Mart. 1706.

NOTA.

PRimum Decretum in Religione noſtra quoad aliqua Officia votiva ex tenore gratiæ, qua nobis vel conceſſa, vel confirmata fuit, recipit exceptionem, prout videre eſt in principio noſtri Breviarii pag. LII. de ritu ſervando in recitandis Officiis ex indulto Apoſtolico conceſſis.

Quoad tertium Decretum, ſciendum eſt, quod Religio noſtra nomen S. P. Franciſci, nec communicatione privilegiorum, nec ſpeciali S. Sedis privilegio, ſed ex conſuetudine Lytaniis, & *Confiteor* apponat, prout & Reſolutiones ultimi Capituli generalis anno 1747. celebrati declarant. Cum enim olim S. Rit. Congregationi inter alia dubia, & hoc fuiſſet propoſitum = *An Religio noſtra à Sanctiſſimo licentiam nomen S. Patris lytaniis, & Confiteor adjungendi obtinuerit, vel an ſola longa conſuetudo valeat?* & dubium à S. Congregatione ad R. P. Bartholomæum Gavantum, Clericum Regularem S. Pauli, & ejuſdem S. Congregationis Conſultorem fuiſſet remiſſum, hic propria manu ad marginem dubii ita reſcripſit = *Conſuetudo longa eſt*

rationabilis & valet ; de novo alii non poſſunt addere. De quo Autographum aſſervatur ſub litt. B. in Archivo Generali Ordinis, Armario *S. Rit. Congregatio*.

Capellanis, & Confeſſariis Monialium celebratio Miſſarum de Sanctis, de quibus illæ recitant Officium, juxta Miſſale Romanum tamen, & de communi conceditur.

COnfeſſario, & Capellanis tantùm quarumcunque Monialium ſervitio addictis, licitum eſt Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ Officium recitaot, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de communi, non verò Miſſas proprias eorum Sanctorum, variis Ordinibus conceſſas. *Sac. Rit. Congreg.* 20. *Nov.* 1717.

N O T A.

PRæceſſerunt Decretum prædictum alia duo Decreta de eadem gratia, quæ ſunt:

1. *Capellani Sæculares in propriis Eccleſiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere poſſunt Miſſam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium recitant, ſed cum Miſſali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de communi.* S.R.Cong. 20. Novemb. 1628.

2. *Facultas celebrandi cum Miſſali Romano pro Capellanis Monialium intelligi debet pro omnibus, & ſingulis, qui ex debito tenentur celebrare in Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodo celebrent cum Miſſali Romano.* S. R. Cong. 11. Febr. 1702.

Annua commemoratio Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Communitatis ob occurſum feſti Duplicis minoris, etiam translati, non transfertur.

ANnua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordiois, ſeu Communitatis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat feſtum duplex minus, etiam translatum, ſed fiet Officium de duplici cum ſola Miſſa ſolemoi poſt Tertiam; Officium verò Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub ritu duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in paramentis nigris. *S.R.C. 5. Maji* 1736.

Super Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Sanctorum Reliquiæ non debent collocari.

SAnctorum Reliquiæ non ſunt collocandæ ſuper Altare, in qno reipſa SS. Sacramentum publicæ venerationi eſt expoſitum. *S.R.C. 2. Septemb.* 1741. *in Aquen.*

N O T A

ET alia Decreta, quæ expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti reſpiciunt, & ſequentia ſunt:

In expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti cantatis, ſeu recitatis verſiculis Panem de Cœlo &c. *Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem, antequam recitet orationes.* S. Rit. Congregatio 2. Aug. 1698. *in una Urbis*, & 6. Sept. 1698. in Ravennaten.

In expoſitione, & depoſitione Sanctiſſimi Sacramenti non eſt addendum Alleluja ad verſic. Panem de Cœlo. Sac. Rit. Congr. 5. Julii 1698.

Decreto huic à compilatore Florentino notanter ſubjungitur, quod illud nec tempus Paſchale, nec octavam Corporis Chriſti comprehendat, cum in hac & illo, prædicto verſiculo Alleluja addeodum ſit.

Benedictio cum Sanctiſſimo Sacramento danda eſt in fine hymni Pange lingua &c. *non verò ad verſum* Sit & benedictio. S. R. Cong. 5. Febr. 1639. in Sabinen.

In Miſſis Defunctorum communio Sæcularium fiat cum particulis intra eandem Miſſam conſecratis, non autem præconſecratis.

IN Miſſis Defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non miniſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo pixidem à Cuſtodia: poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, qnando Fidelibus præbetur commuoio cum particulis intra eamdem Miſſam conſecratis. *Sac. Rit. Congr. 2. Sept.* 1741.

N O T A.

LIber Decretorum &c. Florentiæ 1743. impreſſus, hoc Decretum in ea parte, qua Communinnem in Miſſis Defunctorum

ex

ex particulis præconſecratis prohibet, doctrinæ aliàs traditæ adverſari notat, doctrinamque eandem *pag.* 80. *v. Euchariſtiæ adminiſtratio* ita deſcribit:

Cum SS. Euchariſtiæ adminiſtrationem, in Miſſis præſertim, de quibus aliqui dubitant, Defunctorum, ac ſententiam negativam tacentibus addaci ſolet Decretum à S. R. C. emanatum de anno 1701. *in quo denegata videtur Communio in ejuſmodi Miſſis. Hoc tamen, & quæcunque alia, ſi emanârant, ſimilis diſpoſitionis Decreta, ab eadem Sac. Congregatione die* 21. *Martii* 1711. *ſuſpenſa facrunt, ut teſtatur, & docet Merati par.* 2. *tit.* 10. *num.* 29. *ubi cum validis apertiſque rationibus, tam ipſo etiam non recenti quidem, ſed antiquo uſu, qui in omnibus Urbis Eccleſiis ſervatur, ſatis probatur, ac patet: quod quamvis ante & poſt Miſſam Defunctorum, debeat Sacerdos abſtinere à diſtribuenda Euchariſtia Fidelibus, quum non ſit conveniens, neque decens extra Miſſam in paramentis nigri coloris tale Sacramentum adminiſtrare, certum tamen eſt, non prohiberi intra eandem Miſſam, ſed apertè concedi Communionem populi, tali Miſſæ aſſiſtentis; neque ex Particulis ſolùm in ipſa Miſſa conſecratis, ſed ex præconſecratis etiam in alia Miſſa, ſeu in Tabernaculo contentis; ut cum pluribus Rubriciſtis, ac Sacrorum Cæremoniarum Arbitris docet idem Merat. par.* 2. *tit.* 10. *num.* 28. 29. 30. 31., *& ut clarè evincitur ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur in Canone Miſſæ, ubi poſt Communionem factam à Celebrante ſic diſponitur*: Si qui ſunt communicandi, eos communicet. antequam ſe purificet. *Hæc autem Rubricæ verba indiſtinctè locum habent tam in Miſſis Vivorum, quàm etiam Defunctorum, quum ordo Miſſæ ſacras cujuſcunque Miſſæ actiones dirigat. Quod autem dubium omne, omnemque ambiguitatem tollit, eſt, quod relata Rubricæ diſpoſitio* Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet, *habetur etiam in parvo Miſſali Defunctorum in Canone Miſſæ poſt Celebrantis communionem. Quia tamen SS. Euchariſtiæ adminiſtratio ſæpius accidere poteſt, & quæ in illa ſervanda ſunt, ſcire maximùm confert: propterea Decreta à Sac. Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ ſub Pontificatu Urbani VIII. hac de re edita, idem Meratus adducit in ipſo par.* 2. *tit.* 10. *num.* 29. *prout habentur in Regeſtis ejuſdem Congregationis tom.* 1. *fol* 23. *cap.* 4. *in quo agitur de Communione, quæ proinde in omnium aſam & utilitatem hîc afferuntur, ex quibus Decretum num.* 3. *poſitum, SS. Euchariſtiæ adminiſtrationem intra Defunctorum Miſſam apertè comprobat, & ſunt ea, quæ ſequuntur:*

1. *Antequam Miſſa incipiat, communio abſque gravi neceſſitate non fiat, & in hoc caſu accendatur Cereus elevationis.*

2. *Communio intra Miſſam in Miſſali deſcripta eſt laconicè: in fine communionis non dctur Benedictio, ſed in fine Miſſæ.*

3. *Quando fit Communio intra Miſſam de Requiem, fiat idipſum, nec detur aliqua benedictio, nec obtrudatur Celebrans, ſolitâ pallâ interim tegere calicem.*

4. *Qui communicat Miſſa finitâ, Caſulam & manipulum retineat, uti præſcribit Rituale Romanum: nec Clericus Cereum elevationis extinguat, uſque dum communio fuerit abſoluta.*

5. *Strophiolum, quod datur pro communione, uſui huic deſtinatum maneat: nec unquam velum calicis, multò minus ſtrophiolum Altaris ſeu ampullarum Sacerdoti porrigatur ad manus abſtergendas.*

Vide de communione infra & litteras Encyclicas, à Sanctiſſimo D. N. Papa Benedicto ad Prælatos Italiæ datas.

Ad Pſalmos Graduales, Pœnitentiales, Officium B.V., ac Defunctorum non tenentur, qui choro non interſunt.

PErſolventes Divinum Officium extra Chorum, non tenentur ad pſalmos Graduales, nec Pœnitentiales, nec ad Officium parvum B.M.V., nec Defunctorum, quæ quidem Officia, & Pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro. *Sac. Rit. Cong.* 2. *Sept.* 1741.

In Miſſis Defunctorum quotidianis poſſunt plures, quàm tres orationes dici, dummodo ſint impares, & loco orationis *Deus veniæ largitor* poteſt alia, v. g. pro Patre, Matre &c. ſubſtitui.

IN Miſſis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, poſſunt quidem dici plures orationes, quàm tres, ſed curandum, ut ſint numero impares. Sicut pro illa *Deus veniæ largitor &c.* poteſt ſubrogari alia, nempe pro Patre, pro Matre &c. dummodo ultimo

timo loco dicatur oratio *Fidelium &c. Sac. Rit. Cong. 2. Sept.* 1741.

Tertia oratio ad libitum, poteſt ſumi de variis.

TErtia oratio dicenda ad libitum Sacerdotis, poteſt eſſe vel de Sancto, vel de Sanctiſſimo Sacramento, vel de Patrono, vel de paſſione, vel pro quacunque neceſſitate. *S. Rit. Cong. 2. Sept.* 1741.

Sacerdotes Miſſam celebrantes, Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare non teneri declarat.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CErtiores effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diœceſibus controverſiam de obligatione, quâ Sacerdotes Miſſas celebrantes adſtringuntur Euchariſtiam miniſtrare intra eaſdem fidelibus iis, qui ad ipſam accipiendam paratos ſe exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adſtant, participes fieri; Noſtro proinde animo reputavimus, gliſcenti malo Apoſtolicæ hujus paginæ documento obviam ire, ne ulteriùs, haud abſque fidelium eorumdem ſcandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, ſermonem noſtrum ad Vos convertimus, ut ipſi quoque Paſtoralis hac in re Officii partes minimè negligatis. Ac primò quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire poſſe, Miſſas privatas, in quibus Sacerdos ſolus ſacram ſumit Euchariſtiam, propterea veri, perfecti, & integri Sacrificii incruenti à Chriſto Domino inſtituti rationem amittere, ideoque illicitas eſſe exiſtimandas. Nec enim ignorant fideles, aut ſaltem facilè edoceri poſſunt, Sacroſanctum Tridentinum Concilium inhæxum doctrinæ, quam perpetua Eccleſiæ Traditio ſervavit, huic adverſantem novam falſamque Lutheri ſententiam damnaſſe *ſeſſ. 22. cap. 6. & can. 8.* = *Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, anathema ſit.*

Nihilominus, quandoquidem vetus Eccleſiæ praxis & diſciplina, juxta quam fideles Miſſis adſtantes participare paſſim, atque in publicis Conventibus ſolebant Sacroſanctum Sacrificium, inſtitutioni, & exemplo Chriſti Domini omnimodè convenit, verba ejuſdem Concilii eo ipſo ſpiritu, quo ab eodem prolata ſunt, iteramus: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fidelet adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.*

Utinam autem eo ipſo Chriſtianæ pietatis fervore, quo primorum ſæculorum fideles exardebant, noſtrorum quoque temporum homines inflammati, avidè ad publicam ſacram Menſam advolare, Sanctorumque Myſteriorum ſolemnitati non adeſſe tantùm, ſed religiosè eorumdem participationem exoptare conſpicerentur. Nulla certè res eſt, qua utiliùs Epiſcopi, Parochi, Confeſſarii ſtudium ſuum omne impendere valeant, quàm in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad ſacram Menſam acceſſu, & non ſpirituali tantùm, ſed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod à Sacerdote, tamquam publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantùm, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur. Et quamvis de eodem Sacrificio participent, præter eos, quibus à Sacerdote celebrante tribuitur in ipſa Miſſa portio Victimæ à ſe oblatæ, ii etiam, quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Eccleſia, aut modò vetat, ſatisfieri ab ipſo Sacerdote pietati, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt eâ ratione, quæ ipſos decere poteſt: imò probat atque cupit, ne id omittatur, coſque Sacerdotes increparet, quorum culpâ, & negligentiâ fidelibus participatio illa denegaretur.

At, quoniam in Eccleſia Chriſtiana opus eſt cuncta ordinatè, & congruenter diſponi, Paſtores vigilantiam, & curam ſuam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minimè fraudetur eo acceſſu, eâque participatione, ex alia verò ita utrumque ſortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis inſtitutis oriatur perturbatio, unde facilè confuſio, etiam & ſcandalum oriretur. Quare Paſtores monere debent eoſdem fideles, ut participes eſſe cupientes ſacræ Menſæ (quod maximopere probandum diximus) ſtudeant tempus, locum,

cum, & circumſtantias nanciſci, quibus & ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa pietatis impediant. Hiſque Paſtorum ſuorum monitis fideles ſe ſe dociles præbentes, cavebunt, ne ſibi injuriam factam querantur, ſi quandoque pro tempore, loco, & perſonis, Epiſcopus, minimè opportunum cenſuerit, à Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant, quibus ſcilicet eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eamdem Menſam accedendi, pluribus aliis locis cuivis inſtructam.

Haud ægrè Epiſcopi, & Parochi id fidelibus perſuadebunt, quoties ipſis ſignificent, ex Eccleſiæ diſciplina, quæ modò viget, non quidem difficiliorem, ſed faciliorem evaſiſſe iiſdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui fideles adſtabant, indeque participabant; quin à ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licitè accipere valebant: hiſce verò temporibus ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publicè peragitur, multiplicitate, patet cuilibet facilè parabilis ſacra Menſa, & ad Sacrum Convivium admiſſio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importunè inſiſterent pro recipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus, Rituali Romani authoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec juſta, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonſtraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minimè compoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt, pietate percipiendæ.

Dum Paſtores erga fideles ita ſe gerent, dumque fideles Paſtorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur abſque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua Capita invicem, & Membra magnopere colligari decet; deſinentque importunæ illæ controverſiæ, quæ eò tandem tendunt, ut turbas gignant, ac ſcandalum, verique animarum fructûs, quo nihil Paſtori chariùs eſſe debet, perniciem. Verbis itaque Apoſtoli Pauli ad Corinthios utimur. *Obſecro Vos, Fratres, per nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in Vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apoſtolica ſcripta nota eſſe volumus, in felicitatis auſpicium, & Paternæ dilectionis pignus Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIII. Novembris MCCCXLIII. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ex Bullar. hujus Summi Pontificis tomo 1. pag. 212.

Crucifixi Salvatoris imaginem palam, & viſibiliter expoſitam ſuper Altaria, in quibus Miſſæ Sacrificia peraguntur, retineri debere ſtatuit.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis Ditionis Eccleſiaſticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Accepimus præſtantium Virorum teſtimoniis jampridem in quibuſdam Pontificiæ Ditionis Civitatibus inductam eſſe conſuetudinem, quæ, licèt pietatem, ac religionem præſeferat, Eccleſiæ tamen inſtitutis, ac diſciplinæ plurimùm adverſatur. Idem Nos ipſi deprehendimus in aliquibus Eccleſiis hujus noſtræ Romanæ Urbis, & aliis pariter, quæ Epiſcopis Suburbicariis ſubjiciuntur. Quapropter muneri Noſtro deeſſe magnopere videremur, niſi de hac re monerentur illi, qui pro ſpirituali hujus Civitatis regimine Miniſtri à Nobis conſtituti ſunt, & alii, qui Suburbicarios Epiſcopatus, vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia Sedem obtinentes, curam gerunt animarum.

In Altaribus, quæ per Eccleſias erecta ſunt, & in quibus Sacrum fieri conſuevit, præter majorem Tabulam, quæ vel depictam, vel inciſam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare conſecratum eſt, adjungi cæpit alia minor Tabula, in quâ vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur Effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ, juxta Rubricas, inter Candelabra collocari debet: Cùm verò neminem lateat, rem Divinam confici non poſſe, niſi Crux cum Imagine Sanctiſſimi Crucifixi ſuper Altari conſtituatur, hinc minori Tabulæ ſuperadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facilè occurrat, neque ab ullo alio diſtingui fermè poſſit, niſi hic diligenter perſcrutetur, utrum ſuper Altari revera Crucifixi Imago propoſita fuerit.

Equi-

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantùm, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior, aut alio quocunque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommodè statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & Populi assistentis oculos penè effugiat: Id enim alienum est à Legibus, & Institutis Ecclesiæ, quæ in Rubricis, aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus contineotur: Id etiam maximè contrarium est Sacræ aotiquitati, & Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudini; itaut certissimum sit violari Leges Ecclesiæ, si exigua solùm Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel Statuæ Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles veoerentur.

In Rubricis Missalis *tit. de præparatione Altaris, & ornamentorum ejusdem*, hæc leguntur = *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.* In Romano Pontificali *tit. de Consecratione electi in Episcopum*; cùm sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto, Missæ Ssrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali hæc habentur: *In Cappella verò minore pro Electo, quæ à majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce, & duobus Candelabris.* Cæremoniale autem Episcoporum, postquam *lib.* 1. *cap.* 12. commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo, & opere præalta, itant pes Crucis æquet altitudinem vicinorum Candelabrorum, & Crux ipsa tota Candelabris supereminеat, cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem.*

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in nostris Commeotariis *De Sacrificio Missæ*, quæ Italico Sermone à Nobis confecta fuerunt *par.* 4. *sect.* 1. *num.* 17. *ac sequentibus*; Plura deinde addidimus *sect.* 1. §. 18. *&* 19., cum ipsa latinè reddita, lucem iterum publicam adspexernot. His etiam adjungimus, ob vetustatem præsertim hujusce Ritûs, tantam venerationem, cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quæ in medio Altari collocatur, cum Missæ Sacrificium cooficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint, eum suam Cœnam instituunt; hæc testatur Gretserus *in suo Tractatu de Cruce cap.* 13. *tom.* 1. ejus editionis, quæ postremò typis vulgata fuit.

Si verò disciplinam Orientalium iospiciamus, Græcis io more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini, ac Beatæ Virginis & super Altari Crucem unà cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituant: In Lyturgia verò Copbto-Arabica, quæ desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anoo 1736. in Collegio Urbano de Propaganda Fide, *pag.* 33. indicitur Sacerdoti celebranti, ut Bcoedictionem cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur, ac Diacono tradat, qui ipsam super Altari eollocat: Postremò Ritus Syriacus Maronitarum eadem prorsus decernit, quæ in Rubricis Romani Missalis præscribi superiùs indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib.* 2. *tract.* 2. *sect.* 4. ita scriptum reliquit = *Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferæ Crucis vexillum collocetur* = In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit *anno* 1736. in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par.* 2. *cap.* 13. *de Sacrosancto Missæ Sacrificio can.* 8. ita sancitum est: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc & inde in utroque ejus latere.*

Scriptores, qui sacros ritus explicárunt, nonnullas disputationes instituunt; ac primò, utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Crucifixi addenda simul videatur. Equidem Rubricæ Missalis solam Crucem commemorant. Cùm tamen Cæremooiale Episcoporum Crucem unà & Crucifixum nominet, idque eommuni Ecclesiæ consuetudini consentaneum sit, hanc ideo senteotiam probandam nemo sapiens dubitabit. Ita sentiunt Gavantus, & Claudius la Croix, qui *lib.* 6. *par.* 2. *de Sacrificio Missæ num.* 318. fatetur, ob veterem, communemque usum, sine Imagine Crucifixi, quæ pendeat è Cruce, rem Divinam fieri oon posse, nisi necessitas intervenerit: Et profectò initio Ecclesiæ, cùm Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, si Cbristum Crucifixum publicè adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque incisum, vel depictum Cruci appooebant Agnum, qui Typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut en saltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent; Id conspicitur adbuc in nonnullis hujus Civitatis Ecclesiis,

& te-

Digitized by Google

& teſtimonio etiam Magrii comprobatur *in ejus Hierolexico*; *in vocabulo CRUX*.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens à Cruce debeat in Altari conſtitui, etiamſi Salvator noſter Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii verò neceſſarium id minimè arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita cenſent Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ quæſt.* 716.; Quartus *ad Rubricas Miſſalis par.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10.: & Giribaldus *de Sacramentis in tract.* 5. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 20.; Huic pariter ſententiæ ſe conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti conſtat ex reſponſione, quam ipſa promulgavit *anno* 1663., & quam Meratus recenſet *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 20. *de præparatione Altaris num.* 6., & in Indice Decretorum *eodem tomo par.* 2. *num.* 400.

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Miſſæ in eo conficitur Altari, ubi poſitum eſt Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præſertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi ſemper præfigatur. Equidem in Cœremoniali Epiſcoporum hæc habentur: *Non incongruum, ſed maximè decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſſimum Sacramentum eſt, Miſſæ non celebrentur, quod antiquitus obſervatum eſſe credimus*; In veteri Cœremoniali, cùm Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, *quod antiquitus obſervatum eſſe videmus*. Attamen id prorſus difficile nonnullis videtur, ob eam cauſam, quod, ut ipſi argumentantur, cùm unicum Altare in veteribus Templis extrui ſoleret, aut Divina Euchariſtia in eis conſervata non fuiſſet, aut nullum Miſſæ Sacrificium in eis eſſet inſtitutum. Aliter verò ſentiunt ii, quibus cognitum, perſpectumque eſt, eum morem fuiſſe antiquitus, ut Sacra Euchariſtia in Eccleſiæ Sacrario ſervaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perſpicimus in Baſilica Sanctæ Crucis in Jeruſalem: Idem perpendit Mabillon *in Muſæo Italico tom.* 1. *pag.* 89., *ac tom.* 2. *pag.* 139. At quod in præſenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propoſitæ controverſiæ liberum facit, illud eſt, quod juxta vigentem diſciplinam, Sacra Euchariſtia conſervatur in Tabernaculo, quod eſt poſitum ſuper uno ex Altaribus Eccleſiæ, & quod in eo paſſim Miſſa celebratur; cùm, ſedulò perpenſo Cœremonialis textu, deprehenſum ſit, eum prædictæ celebrationi abſolutè non obſtare; uti Chriſtianus Lupus expendit *tom.* 11. recentioris editionis in Diſſertatione *de Sacris Proceſſionibus pag.* 356. Hanc itaque controverſiam quum aliàs Nos ipſi expenderemus in ſupracitatis Commentariis *de Sacrificio Miſſæ par.* 4. *ſect.* 1. *num.* 18.; illorum ſententiam probavimus, qui exiſtimant Crucifixum inter Candelabra ſtatui debere, neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, ſatis eſſe, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferiùs explicabimus. Idemque cenſuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663., uti perſpicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *par.* 2. *tom.* 1. *num.* 400., ubi hæc leguntur verba = *Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari; non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum*.

Quarto loco diſputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Euchariſtia non includitur Tabernaculo, ſed publicæ Fidelium venerationi exponitur. Id neceſſarium eſſe putavit Sacrorum Rituum Congregatio *die* 14. *Maij anno* 1707. ~~Hoc enim petitum fuerat~~ = *An ſuper Altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debeat* =. Sic autem reſponſum eſt = *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appoſitâ collocationem* =. Porrò quum Nos ipſi tunc in minoribus conſtituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipſius loco eidem Congregationi præſentes adfuerimus, adhuc memoriâ retinemus, in illâ ſententiâ ferendâ varia fuiſſe ac diſcrepantia ſuffragia, cautumque deinde fuiſſe, ne ipſa ſententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta eſt in examen initio Pontificatûs Noſtri *die* 2. *Septembris anno* 1741. in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ, poſtquam omnia diligenter, accuratèque perpendit, decrevit, ut quælibet Eccleſia morem, & inſtitutum, quod antea ſervaverat, in poſterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Miſſa in eo celebratur, & ſuper eo publicæ venerationi Euchariſtia expoſita eſt, parùm urget, quod nonnulli aſſerunt, indecens eſſe, ut Chriſti Imago in eo loco ſit, in quo Chriſtus ipſe ſub ſpecie panis realiter præſens eſt, & ab omnibus ſub eadem ſpecie panis videtur: id quippe prorſus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Euchariſtiæ conſecravit; nec enim Eccleſia unquam decernendum putavit, ut, peractâ Conſecratione, Crux ab Altari removea-

moveatur. Quemadmodum nec aſſerentibus Crucem neceſſariò eſſe debere in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum publicæ venerationi, ſi in eo Miſſa celebretur, quidquam prodeſſe poteſt, quod in publica Euchariſtiæ expoſitione ſignificetur triumphus, & gloria Salvatoris, in Miſſæ autem Sacrificio ejuſdem mors repræſentetur; cùm Eccleſia, tam in actione Miſſæ, in qua Euchariſtia conficeratur, quàm in concluſione precum, quæ coram eâdem jam conſecratâ, & Fidelium venerationi palàm expoſitâ recitantur, unâ eâdemque Collectâ æquè utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirùm: *Deus, qui Nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut redemptionis tuæ* (hoc eſt paſſionis, ac mortis) *fructum in nobis jugiter ſentiamus*. Quæ cùm ita ſe habeant, Rituumque Interpretes, & Scriptores, ob ea, quæ mox relata ſunt, in varias abierint ſententias, ſatis commendari non poſſunt ea, quæ prudenter, ſapienterque decreta fuerunt à prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Eccleſia, vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem; itaut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi Sacra Euchariſtia publicè proſtet: neque nova diſciplina excitetur in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit.

Hæc omnia diligenter expoſuimus, non quidem, ut hac de re plenum, juſtumque tractatum adornaremus, ſed ut ex eis cognitum eſſet, atque perſpectum, quàm alienum ſit à Sacris Ritibus id, quod plures temerè, & inconſultò peregerunt, nempe, ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, ſed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris adjungi conſuevit.

Si etenim, juxta Rubricas Miſſalis, Crux inter Candelabra ſtatuenda eſt; ſi juxta Cœremoniale Epiſcoporum, Crux ipſa cum Imagine Crucifixi Candelabris ſupereminere debet; ſi juxta ſenſum Congregationis Sacrorum Rituum, non ſatis eſſe judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cùm Miſſa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum ſacris Particulis in Tabernaculo includitur; ſi in præſenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur; nec minus de Altari, in quo Sacra Euchariſtia publicè adoranda propoſita ſit; nemo eſt, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte à privatis perſonis uſurpatam, ex ſupradictis dicendam eſſe, omnino improbatam; eòque magis, cùm ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari ſuperadditur, ea profectò utilitas non conſequitur, quam proponit Eccleſia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re præclariſſimus Vir Cardinalis Bona ità ſcriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8.* = *Ab aſpectu ſiquidem Crucis Sacerdoti celebranti Paſſio Chriſti in memoriam revocatur, cujus Paſſionis viva imago, & realis repræſentatio hoc Sacrificium eſt, mortem cruentam Salvatoris noſtri incruentè exprimens, tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum eſt, quamvis diverſo modo offeratur*. His poſtremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 2.*

Itaque, Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apoſtolica ſcripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne veſtras in Diœceſes irrepat conſuetudo, quam ſuperiùs explicavimus; quod ſi jam ipſa invaluerit, humanitatem priùs, ac deinde ſeveritatem, ſi opus fuerit, adhibentes, illam penitùs convellite. De Sacrificio Miſſæ res agitur, ideoque nemo veſtrûm ignorat, à Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Epiſcopis, & Ordinariis Locorum, ut etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati corrigere valeant pravas conſuetudines, quæ Ritui Miſſæ celebrandæ adverſantur; Ita clarè deſumitur *ex ſeſſ. 22.* in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Neque Vos latet, nullum eſſe privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re ſuffragari poſſit, ut veſtra ab auctoritate, peniſque per Vos irrogatis vindicentur: Idem ſæpiùs confirmavit Sacra Congregatio Tridentini Concilii interpres, Decreto inhærens ejuſdem Synodi, quod paulò ante memoravimus: Id Fagnanus teſtatur ad *Cap. Grave, num. 46. de officio Ordinarii*, his verbis = *Et generaliter hoc Decretum* (de quo ſuperiùs dictum eſt) *cenſuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eoſque ea omnia, quæ ab Ordinariis Locorum circa obſervanda, & evitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omninò ſervare teneri, ad idque etiam pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem Ordinariis cogi, & compelli poſſe* =. Nos quidem his Literis eandem auctoritatem, quâ jam præditi eſtis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum ſupereſt, eam Nobis mentem haud eſſe, ut Imagines Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris ſuperadditæ ſunt, de medio auferatis, cùm fortaſſe defuturi non eſſent invidi, qui ut pietati veſtræ maculam inu-

inurerent, in vulgus diſſeminarent, Vos nullâ duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium veneration̄i ſubdueitis: Illud Vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujuſmodi Altaria, niſi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, ac Populus Sacrificio aſſiſtens eundem Crucifixum facilè, & commodè intueri poſſint; quod evenire nequit, ſi exigua ſolùm Crux minori Tabulæ defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejuſmodi corruptela in Diœceſim non valde propagata eſt, facilè extingui poterit, ſi privatim Regulares, aut Sæculares Eccleſiarum Superiores de hac re moneantur: Sin autem latè per Diœceſim invaluerit, tunc à Vobis Edictum neceſſariò promulgandum erit, quod his noſtris Literis conformetur. Plura ſcribere Vobis prætermittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude ſatis præſtantes exiſtimamus. Auctoritatem noſtram, ut rem perficiatis, &, quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam deſuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Veſtris, & Populis curæ veſtræ commendatis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii MDCCXLVI. Pontificatûs Noſtri Anno ſexto.

Ex Bullario hujus Pontificis tomo 2. pag. 123.

MONUMENTA APOSTOLICA.

Reſolutiones, Decreta, &c. potiſſimùm à Sac. Rit. Congregatione pro Ordine FF. Capucinorum ſpecificè emanata.

Sacra Corpora ſuper Altare à Capucinis Neapoli reponi inhibetur, & modus ea reponendi præſcribitur.

NUllo modo probatur Sacræ Congregationi, ut Sancta Corpora reponantur in Arca Cryſtallina, exponenda ſuper Altare, quemadmodum ſcribitur Patres Capucinos intendere, eum id à ritu, & uſu Eccleſiæ alienum ſit, quæ ſolet Sanctorum Corpora tenere ſub terra, vel intra Altaria, ſupra quæ tremendum Sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum Altare marmoreum, intra quod priùs ritè conſecratum Sacra Corpora reponantur, ſic, ut illa collocentur diſtinctim intra tres arculas plumbeas, ſin verò aliter videatur, intra unam, ſeparatim tamen per intervalla. Ipſa autem involvantur ſerieis pannis coloris convenientis Ordini eorum, puta Confeſſorum, vel Martyrum: atque intra eandem capſam, ſeu capſas ponatur lamina ænea cum litteris bene ſculptis continens Sanctorum nomina, & tempus, quo iſthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuerunt. Facienda præterea erit Tabula marmorea, vel ænea, & loco Eccleſiæ conſpicuo affigenda, per quam conſtet, intra ejuſmodi Altare eſſe Corpus, vel Corpora ejuſdem Sancti, vel Sanctorum, qui illuc transferentur, addito expreſsè id factum de licentia Suæ Sanctitatis. Poterunt autem per Patres aliquæ Reliquiarum non admodum grandes reſervari, ut bierothecis decentibus incluſæ in eorumdem Sanctorum Feſtis, aliiſque ſolemnitatibus Populo ſupra Altare venerandæ exponantur. *Ita fuit reſponſum nomine Sacræ Congregationis Rituum à Cardinali Ruſticuccio anno 1592. cuidam petitioni apud eandem Congregationem factæ à Patribus Capucinis Civitatis Neapolitanæ.*

Ex Eminen. Lambertini, nunc Benedicti XIV. de Canonic. lib. 4. part. 2. cap. 25. num. 3.

NOTA.

TRia Sacra Corpora, quorum Decretum meminit, fuêre, & ſunt SS. Euphebii, Fortunati, & Maximi, Civitatis Neapolitanæ Epiſcoporum, prout refert Caval. *tom. 1. Comment. in Decr. pag. mihi* 443.

Poſtremis autem hiſce temporibus fuit Decretum, ſeu potius Epiſtola Cardinalis Ruſticuccii nomine & juſſu Sac. Congregationis exarata, confirmata occaſione, qua facultas Corpus Beati Joannis Nepomuceni Mart. ſuper Altare collocandi fuit petita,

& S. Congregatio juxta antiquam Eccleſiæ praxin, & antiqua Decreta reſpondit = *Corpus B. Joannis intra menſam Altaris eſſe collocandum*, = uti ex Decreto 7. Junii 1721. edito, per Innocentium XIII. die 25. ejuſdem menſis, & anni confirmato conſtat.

Circa Officium & Miſſam de Sancto Martyre per immemoriale tempus continuatum, nihil innovandum eſſe, ac Decretum 11. Aug. 1691. emanatum non obſtare reſpondetur.

EPiſcopus Ripanus Sac. Congregationi Rituum exponit, aſſervari in Parochiali Eccleſia Caſtri S. Benedicti Corpus cujuſdam S. Benedicti Martyris, & in ejus honorem ab immemorabili tempore celebratum fuiſſe Sacrificium Miſſæ, & recitatum Officium de Communi; aſt, cum obſtare videatur Decretum Sac. Congregationis editum die 11. Aug. 1691., quærit, an id impoſterum permittere debeat? Et eadem Sacra Congregatio cenſuit, nihil eſſe innovandum, & ratione immemorabilis temporis permittendam eſſe continuationem recitationis Officii, & celebrationis Miſſæ de Communi unius Martyris. *S. Rit. Congr. apud Eminen. Lambertini, nunc Pontificem Maximum, de Canoniz. Sanctorum lib. 4. par. 2. cap. 17. n. 29.*

Reſolutio hæc, quantumvis pro Capucinis expreſſè edita non fuerit, hîc tamen ponitur, cum illis ſæpius pro reſponſo ad dubia mota, ſit data.

DECRETO

Sac. Congregationis Rituum

Concurrente quotannis in Eccleſia Conventûs Verruchii feſto Nativitatis B. V. Mariæ, & Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, feſtum Dedicationis cum commemoratione de Nativitate per totam Octavam celebrandum eſſe, & pro Fratrum devotione duas Miſſas Conventuales dici poſſe declaratur.

ARIMINEN.

FRatres Capucini, Terræ Verucchii, Dioceſis Ariminenſis, cum eorum Eccleſia dedicata, ſeu conſecrata fuerit die octava Septembris in feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, eadem die Officium & Miſſam Dedicationis Eccleſiæ celebrare ſolent; ſed ob devotionem erga Beatam Virginem Mariam, ut ejus Nativitatis feſtum ſolemniter celebrare poſſint, petierunt, ut eis liceat die octava Septembris celebrare feſtum Nativitatis ipſius Beatæ Mariæ cum commemoratione de Dedicatione, & Feſtum Dedicationis transferre in diem ſequentem, illudque ſolemniter celebrare cum commemoratione Octavæ Beatæ Mariæ, & per totam Octavam celebrare Feſtum B. M. V. cum commemoratione Dedicationis.

Sacra Rituum Congregatio, non eſſe ordinem hactenus obſervatum, mutandum cenſuit; ſed Feſtum Dedicationis, cum ſit ex ſolemnioribus, celebrandum eſſe ea die, quâ venerit, cum commemoratione tamen de Nativitate B. Mariæ ipſâ die, & per totam Octavam. Devotioni verò erga Beatam Mariam Fratres ſatisfacere poſſe celebrando duas Miſſas Conventuales, unam de Dedicatione, alteram de Beata Maria. Et ita cenſuit, & declaravit. Die 15. Oct. 1604.

Ex regeſt. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 152.

Omnibus Ordinis Fratribus, ſicut & Monialibus, illis ſubjectis, ſingulis Sabbatis non impeditis, Officium Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ ſub ritu ſemiduplici recitandi licentia conceditur.

Franciſcus Maria, Miſeratione Divina tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presbyter Cardinalis à Monte, Congregationi S. Rituum Præpoſitus, univerſi, & ſingulis præſentes inſpecturis, lecturis, & audituris ſalutem in Domino ſempiternam.

CUm SS. D. N. Paulus Papa V. vivæ vocis Oraculo conceſſerit Religioſis Fratribus Obſervantibus Ordinis Sancti Franciſci, ut ſingulis Sabbatis non impeditis feſto novem lectionum poſſint recitare Officium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ, de quo quidem vivæ vocis Oraculo fidem fecit in ſcriptis Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Pompejus, Cardinalis Arigonus, ejuſdem Religionis Protector, ſub die 21. Januarii 1609., & deinde ad inſtantiam Procuratoris Generalis, & totius Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci eadem gratia à Sanctiſſimo Domino

mino Noſtro, cum voto ejuſdem Congregationis Sac. Rituum, conceſſa fuit Fratribus Conventualibus ejuſdem Ordinis S. Franciſci, ut conſtat ex Decreto ejuſdem Sac. Congregationis ſub die 14. Januarii præſentis anni 1612. & ex literis patentibus expeditis, & ſubſcriptis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Franciſco, Epiſcopo Oſtien. Cardinali de Joioſa ſub die 30. ejuſdem menſis Januarii: noviſſimè verò cum Fratres Capucini, qui ſub eadem Regula Sancti Franciſci militant, eandem gratiam Obſervantibus, & Conventualibus ejuſdem Ordinis conceſſam, habere, & gaudere poſtulâſſent, propoſito hujuſmodi negotio in eadem Congregatione Sac. Rituum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Creſcentio ſub die 7. præſentis menſis Julii, Eadem Sac. Rit. Congregatio cenſuit poſſe dictam gratiam concedi & prædictis Fratribus Capucinis ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, & facta per Nos relatione de prædicto ſenſu Congregationis eidem Sanctiſſimo D.N. Paulo Papæ V. in Conciſtorio ſecreto, hac die infraſcripta Sanctitas Sua annuit, & conceſſit, ut, ſicut Fratres Obſervantes, & Fratres Conventuales Ordinis Sancti Franciſci poſſunt liberè, & licitè ſingulis Sabbatis non impeditis feſto novem lectionum recitare Officium Conceptionis B. M. V. ſub ritu ſemiduplici, ita & itidem Officium eodem modo, & tempore recitare poſſint, & valeant per totum Orbem Fratres Capucini ejuſdem Ordinis S. Franciſci, & Moniales, quæ eiſdem Fratribus Capucinis ſubditæ ſint:

In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præſentes per infraſcripium noſtræ Congregationis Rit. Secretarium fieri juſſimus, manu noſtra propria ſubſcripſimus, & noſtri ſoliti ſigilli impreſſione muniri fecimus, hac die 16. menſis Julii anno Domini 1612. Pontificatûs verò ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Pauli Divina Providentia Papæ V. Anno Octavo.

Ex Archivo Secret. Congr. regeſto, menſ. & anni præd. pag. 93.

Ordo in recitando prædicto Officio præſcribitur.

SAnctiſſimus D. N. Paulus, Divina providentia Papa V. propter eximiam ſui devotionem, erga Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, anno 1612. die 16. Julii conceſſit per Sacram Rituum Congregationem, quod omnes Fratres Capucini Sancti Franciſci omnibus diebus Sabbatis (feſto novem Lectionum eo die occurrente non impeditis) poſſint recitare Officium Immaculatæ Conceptionis ſub ritu ſemiduplici. Sed quia ordo in omnibus ſemper eſt laudabilis, ideo ut omnes Lectiones, quæ per totam Octavam Sanctiſſimæ Conceptionis habentur, etiam per annum, ſuum proprium obtineant locum, ſervantur ut infra.

In primo Nocturno ſemper legantur Lectiones de ſcriptura occurrente, quæ cum certis temporibus non habeantur, tunc legendæ erunt, quæ diei Feſto ſunt aſſignatæ.

In ſecundo & tertio Nocturno.

Menſibus Januarii, & Februarii Sermo & Homilia, quæ in ipſo die Conceptionis habentur.

Menſibus Martii, & Aprilis, quæ ſecunda die infra Octavam habentur.

Menſibus Maji, & Junii, quæ quarta die habentur.

Menſibus Julii, Auguſti, & Septembris, quæ ſexta die habentur.

Menſibus Octobris, Novembris, & Decembris, ea, quæ poſita ſunt die octavo ejuſdem ſolemnitatis.

Notandum eſt tandem pro Menſe Decembris, quod Sabbato immediatè antecedente Vigiliam Nativitatis Domini, non fit Officium de Sanctiſſima Conceptione, ſed de Feria; eò quod Antiphonæ in Laudibus ſuo proprio loco aſſignatæ nunquam omittuntur.

Exempl. in Typographia Cameræ Apoſtolicæ impreſſum in Archivo generali Ord. Armario Sac. Rit. Congregatio.

Tempus recitandi idem Officium reſtringitur.

Pro moderatione Officii Conceptionis.

CUm aliàs ſub die 20 Januarii 1609. Sanctiſſimus D. N. Paulus Papa V. conceſſerit Religioſis Fratribus Obſervantibus Ordinis Sancti Franciſci, ut ſingulis Sabbatis non impeditis Feſto novem Lectionum poſſint recitare Officium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ: quæ gratia cum etiam Fratribus Conventualibus ſub die 14. Januarii, & Fratribus Capucinis ſub die 7. Julii 1612. de voto Congregationis Sacrorum Rituum ab eodem Sanctiſſimo D. N. conceſſa fuerit; & eandem gratiam non

non eſse ſimpliciter intelligendam, ſed indigere aliqua declaratione in eadem Sac. Rituum Congregatione ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Bellarmino propoſitum fuerit;

Placuit eidem Sacræ Congregationi, ut dicta gratia de Officio Conceptionis in Sabbato recitando, declaretur eſse intelligenda eo modo, quo intelligitur Rubrica de Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato, ideſt, ut excipiantur Sabbata occurrentia in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Vigiliis. Et facto de prædicta declaratione verbo cum Sanctiſſimo Domino Noſtro, placuit Sanctitati Suæ Congregationis declaratio, ut dicta gratia prædictis Religioſis conceſsa, intelligatur cum ſupradicta moderatione.

Et ita in futurum à prædictis Fratribus Obſervantibus, Conventualibus, & Capucinis Ordiois S. Franciſci Officium Conceptionis Beatæ Mariæ in Sabbatho, eadem Sacra Rituum Congregatio recitandum eſse cenſuit & declaravit, die x. Novemb. 1612.

Exemplar impreſſum in Archivo & Armario ſuprà relatis.

NOTA.

CIrca hocce temporis moderamen videſis ea, quæ ſuprà pag. 9. ex Ordinis Breviario ſunt adducta.

Feſtum S. Patris Franciſci inter feſta de præcepto in perpetuum reponi ſancitur.

Ordinis S. Franciſci.

CUm debeat imprimi carta, in qua adnotari debent feſta de præcepto, & feſta de devotione, quæ Romæ celebrantur, fuit dubitatum, an feſtum S. Franciſci deberet reponi inter feſta de præcepto, an inter feſta ex devotione? præſertim cum adſit Bulla Sixti IV., in qua mandatur ſervari tamquam feſtum de præcepto, licèt Bulla illa nunquam fuerit executioni demandata, niſi à ſel. rec. Sixto V.: Sacra igitur Congregatio, referente Illuſtriſſimo Millino, cenſuit diem feſtum S. Franciſci perpetuis futuris temporibus reponi debere inter feſta de præcepto. Hac die 3. Januarii 1622.

Ex Regeſt. Secret. Sac. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 72.

NOTA.

QUantumque Conſtitutio Sixti IV. incip. *Præclara Sanctorum merita*, videnda tom. VI. Bullarii pag. 156. moribus utentium à Silveſtro *verb. Dominica num.* 3. §. 6. non approbata dicatur, nihilominus Sacra Congregatio vi præpoſiti Decreti feſtum hoc de præcepto ſervari ſancivit, & Joannes Petrus Maſſarius Decretum Romæ publicari, & in tabella feſtorum Romanæ Eccleſiæ, ubique ex præcepto obſervandorum apponi mandavit. Jam verò per Conſtitutionem Urbani VIII. incipien. *Univerſa* ſuprà pag. 3. extenſam Decretum revocatum fuiſſe, & feſtum prædictum quoad ſorum non ampliùs de præcepto eſſe, cum Cavalieri *tom.* 2. *Comment. pag.* 34. & aliis concluditur, cum in Urbana Conſtitutione inter feſta de præcepto non recenſeatur.

Ad inſtantias P. Miniſtri Generalis Capucin. Officium Sancti Conradi, Tertii Ordinis S. P. Franciſci ab omnibus, & ſingulis Ordinis Minorum Religioſis recitari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DOmini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices, quamquam immeriti gerentes. *Reſiduum vide tomo primo Bullarii pag. 75.*

Facultatem recitandi Officium & Miſſam de B. Felice à Cantalicio ad pauca loca priùs reſtrictam, ad omnes Ordinis Eccleſias, & Fratres extendit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper nomine Dilectorum Filiorum, Nobilium Virorum, Maximiliani Bavariæ, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, & Caroli Lotharingiæ Ducum reſpectivè, nec non. *Reſiduum vide tomo primo Bullarii pag. 76.*

Oratio

Oratio quindecim Auxiliatorum à Fratribus Paſſavii dici ſolita, ſub prohibitione Miſſæ eorundem Auxiliatorum comprehendi declaratur.

PASSAVIEN.

PRovincialis Capucinorum Civitatis Paſſavien. petiit declarari, An ſub prohibitione Miſſæ quindecim Auxiliatorum, comprehendatur etiam prohibita Oratio ipſorum peculiaris in honorem dictorum Auxiliatorum quotidie recitari ſolita à ſuis Capucinis; Et Sac. Congregatio reſpondit, Orationem prædictam eſſe prohibitam. Die 10. Februarii 1629.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congreg. menſis & anni prædict. pag. 259.

A' Regularibus Officium Patronorum, ſeu Titularium Cathedralium cum Miſſa ſub ritu, quo in dictis Cathedralibus celebratur, ſine octavis celebrari debere ſtatuitur.

URBIS.

PEtiit Procurator Generalis Capucinorum declarari, quomodo concurrere debeant Regulares in celebratione feſti Patronorum, ſeu Titularium Cathedralium locorum circa Officium, & Miſſam: & Sac. Rituum Congregatio reſpondit, Regulares in Feſtis Patronorum, ſeu Titularium Cathedralium locorum debere celebrare ſub ritu duplici Officia, cum Miſſa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipſo tantùm die feſti, & ſine octavis, & ita per quoſcumque Regulares ſervari debere declaravit. Die 14. Junii 1630.

Autogr. in Secret. S. R. Congreg. menſ. & ann prad. pag. 84. de quo exemp. auth. in Arch. gen. Ord. Arm. prædicto.

Fratribus Miſſionis Hyberniæ, feſta SS. Patritii, Columbani, ac Brigidæ Virginis cum Officio, & Miſſa de communi recitandi facultas datur.

MISSIONIS HYBERNIÆ.

CApucini Miſſionis Hyberniæ habitantes Carolopoli, ob eorum peculiarem devotionem, quam gerunt, erga SS. Patritium Epiſcopum, Columbanum Abbatem, & Brigidam Virginem, ſupplicârunt pro licentia celebrandi eorum feſta cum Officio, & Miſſa de communi, prout in Breviario Romano; & Sac. Congregatio cenſuit concedendam juxta Rubricas, ſi Sanctiſſimo placuerit &c. & Sanctiſſimus annuit. Die 22. Junii 1633.

Autog. in Secret. S. Rit. Congreg. menſ. & anni præd. pag. 102.

NOTA.

HOc idem Decretum ad novas inſtantias 7. Auguſti 1717. factas fuit confirmatum, reperiturque in Regeſto Secretariæ Sac. Congregationis, & anni prædicti fol. 193.

Nonnulla dubia à P. Provinciale Lugdunenſi de Officiis votivis, de Sanctis in Martyrologio non notatis, & Eccleſiarum particularium, de Miſſa Defunctorum poſt Dominicam Paſſionis &c. propoſita reſolvuntur.

LUGDUNEN.

QUæſitum fuit ad inſtantiam Provincialis Capucinorum Provinciæ Lugdunenſis; An illæ Religiones, quæ ex privilegio recitant ſingulis quintis feriis Officium de Sanctiſſimo Sacramento, vel ſingulis Sabbatis de Conceptione, vel ſemel in menſe die non impedita de Patrono, poſſint & debeant aliquod ex dictis Officiis recitare, quando in illo menſe alia non ſupereſt dies, in qua Officium de Defunctis ſecundùm Rubricas recitari poſſit?

2. An Miſſa celebrari poſſit de Sanctis illis, qui non ſunt notati in Kalendario in diebus, in quibus notatur illorum ſolemnitas in Martyrologio?

3. Quid in Locis, & Eccleſiis particularibus, in quibus celebratur eorum memoria?

4. An debeat dici Miſſa de Defunctis feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando Officium Defunctorum recitatum eſt, eum in aliis feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicatur ſecundùm Rubricas, eò quod oratio *Omnipotens ſempiterne* ſit communis pro Vivis, & Defunctis, quæ Oratio non dicitur poſt Dominicam Paſſionis, unde videtur, ut concor-

cordet Miſsa cum Officio; quòd debeat dici Miſsa de Defunctis, vel Oratio, *Fidelium &c.*

5. An in Officiis votivis Sanctiſſimi Sacramenti, quod ſingulis quintis feriis celebratur apud quaſdam Religiones, debeat dici, Alleluja, in Reſponſoriis brevibus Horarum?

6. An cum hujuſmodi Officium, vel aliquod votivum, velut de Conceptione, vel de Patrono, poſt diem, in quo factum eſt de feſto ſemiduplici, recitari contingit, debeat incipi tale Officium à Capitulo feſti præced.?

Et Sac. Congregatio proponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cæſarino reſpondit.

Ad primum, non eſſe omittendum Officium de Defunctis.

Ad ſecundum, poſſe celebrari ſervatâ forma Rubricarum.

Ad tertium, explicandum eſſe, quid appellatione memoriæ intelligatur.

Ad quartum, in caſu propoſito non teneri, nec ad Miſſam de Defunctis, nec ad Orationem Fidelium &c.

Ad quintum, omittendum eſſe Alleluja in Reſponſoriis brevibus Horarum.

Ad ſextum, ſervandas eſſe Rubricas Breviarii Romani. Die 11. Julii 1643.

Ex Regeſto Secretariæ S. Congreg. menſis & anni prædict. fol. 265.

Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Epiſcopo Labacenſi pro Eccleſiis Domuum Fratrum Marpurgi, & Villaci, quarum conſecrationis dies ignorabatur, certum diem pro Anniverſario Dedicationis feſto aſſignari indulgetur.

SALISBURGEN., ET LABACEN.

FRatrea Capucini de Marpurgo, & de Villaco, cum ignorent diem Dedicationis eorum Eccleſiæ, ſupplicârunt per Sac. Congregationem eam deputari. Et S. Congregatio attentis narratis benignè impertita eſt Archiepiſcopo Salisburgenſi, & reſpectivè Epiſcopo Labacenſi facultatem pro eorum arbitrio, atque conſcientia ſtatuendi certam diem pro celebrando anniverſario Dedicationis Eccleſiæ prædictæ, dummodo hujuſmodi dies ſemel electa, ampliùs immutari non poſſit. Die 11. Julii 1643.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. menſis & anni prædictorum fol. 274.

NOTA.

IDem ob eandem cauſam pro Eccleſia Domûs Radikerſpurgenſis fuit indultum per epiſtolam ſequentem:

SALISBURGEN.

REverendiſſime Domine &c. Procurator Generalis Capucinorum Congregationi S. Rituum ſupplicitèr exponit, eorum Monaſterium, unà cum ſcripturis in Civitate Radkerburgenſi occaſione bellorum in Provincia Styriæ ſævientium, igne conſumptum fuiſſe, Eccleſiam tamen ſine Altari cum ſolitis conſecrationis ſignis remanſiſſe, ſed, qua die fuerit conſecratio peracta, ignorari; ſupplicat propterea, ut dies pro hujuſmodi Dedicatione celebranda ſibi concedatur, & aſſignetur. Et Eminentiſſimi Patres hoc Amplitudini Tuæ committendum exiſtimârunt, ut re maturè perpenſa diem fixum, non tamen feſtivum, deputari curet Et Deus &c. die 2. Martii 1652.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congreg. menſ. & anni prædictorum pag. 39. à tergo.

Officium de SS. Honorato, & Fortunato MM. in die translationis eorum Corporum ad Eccleſiam Conventûs Ferrarienſis tantùm conceditur.

FERRARIEN.

CUſtos Conventûs Ferrar. Capucinorum ſupplicavit Emis Patribus Congregationi Sac. Rit. præpoſitis pro eorum pietate indulgere, ut in translatione faciendâ die 30. Menſis Octobris proximè futuri cum ſolemni ſupplicatione Corporum SS. Honorati, & Fortunati MM., cum conſenſu Emi Cardinalis Epiſcopi, poſſit recitari Officium duplex eorumdem Sanctorum, quibuslibet annis in prædicta die præter Officium, quod recitatur in die, quo Martyrii coronam obtinuerunt, cui petitioni Eminentiſſimi PP. pro die tantùm, qua fiet translatio, benignè indulſerunt. Die 10. Septembris 1650.

Ex Regeſto Secret. S. Congregat. menſ. & an. prædict. fol. 107. à tergo.

Nec

Nec in Lytaniis omnium Sanctorum juxta Conſtitutiones poſt Matutinum &c. recitari ſolitis, nomina alia Sanctorum, ultra expreſſa in Lytaniis Breviarii Romani, nec verſiculo *& Benedictus fructus Ventris tui, Jeſus* addi poſſe cenſetur.

COSENTINA.

INſtante Fr. Bartholomeo de Camerino, Ordinis Capucinorum, occaſione Viſitationis Provinciarum Regni Neapolis pro declaratione. Primò, an in Lytaniis, quæ dicuntur in Eccleſiis Capucinorum, ut aſſeritur ex forma Conſtitutionis poſt Matutinum, & poſt Nonam, liceat addere nomina Sanctorum, ultra expreſſa in Lytaniis, quæ habentur in Breviario Romano, ex eo quod ſint Sancti ejuſdem Ordinis, vel Patroni Provinciarum, vel etiam ex Devotione. Secundò, an in verſiculo conſueto de Beata Virgine, *Benedicta tu in mulieribus* cum Reſponſorio, *& Benedictus fructus Ventris tui* liceat addere, Jeſus, & dicere, Et benedictus fructus Ventris Tui Jeſus. Sac. Rit. Congregatio in utroque caſu non licere quicquam addere cenſuit. Die 20 Junii 1654.

Ex Regeſto Secret. S. Congregat. menſ. & anni præd. pag. 241.

A Capuccinis Galliæ hymnos novos, dimiſſis antiquis, recitari debere ſancitur.

GALLIARUM.

FRatres Capucini Regni Galliarum declarari ſupplicârunt, an ſtante, quod hnis Conſtitutionis Urbanæ injungendo tum Sæcularibus, tum Regularibus recitationem hymnorum novorum, fuerit inducendi uniformitatem in Eccleſia, & adhuc Clerus Galliarum recitet hymnos antiquos, ipſi Oratores poſſint, vel debeant reſpectu uniformitatis cum reliquo Clero recitare hymnos modernos. Et Sacra Congregatio declaravit, Oratores debere recitare hymnos novos; Etenim ab illis, qui contra diſpoſitionem Conſtitutionis adhuc recitant antiquos, inducitur diffomitas contra finem ejuſdem Conſtitutionis die 13. Julii 1658.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 406.

NOTA.

COnſtitutio, quæ in hoc Decreto de Urbano VIII. emanata memoratur, fuit ſequens:

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs Hymni Breviarii Romani, paucis exceptis, qui non metro, ſed ſoluta oratione; aut etiam Rythmo conſtant, juſſu noſtro vel emendationibus adhibitis codicibus, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi, dictoque Breviario, auctoritate noſtra recognito, inſerti fuerint, &, ut accepimus, Breviarium prædictum cum Hymnis hujuſmodi à majori parte Chriſtifidelium, qui ad illius recitationem ſunt adſtricti, privatim ubivis terrarum recitetur; Hinc eſt, quod Nos, qui Hymnos prædictos cum notis muſicis hac in Alma Urbe noſtra elegantibus typis, & exacta induſtria excudi juſſimus, ne eorum publica recitatio à privata diſcrepet, ſed ea in re uniformitas ubique, prout decet, ſervetur, pro paſtorali noſtra ſolicitudine providere volentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus, & ſingulis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, cæteriſque tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, aliarumque Militiarum utriuſque ſexûs Regularibus, ac Archiconfraternitatum, & Confraternitatum quarumlibet, etiam quantumlibet exemptis, ac ſpeciali nota, & individua expreſſione dignis Eccleſiis, Baſilicis, Capellis, Oratoriis, earumque, & eorum Choris in Divinorum Officiorum celebratione, prædicti Hymni juſſu noſtro emendati, ac de integro conditi, & typis editi, ut præfertur, non autem ampliùs antiqui tam in Urbe prædicta, quàm in reliquis Orbis Chriſtiani partibus recitentur, ac decantentur, recitarique, & decantari debeant, tenore præſentium præcipimus, & mandamus. Volentes, ut præceptum noſtrum hujuſmodi in dicta Urbe, & ejus diſtrictu, infra duos, in aliis verò locis citrà montes infra octo, ultra montes autem infra duode-

duodecim menſes reſpectivè omnino executioni demandetur. Quocirca dilectis Filiis, noſtro in eadem Urbe Vicario in ſpiritualibus generali, ac Locorum Ordinariis per præſentes committimus, & mandamus, ut quoad Urbem, & ejus diſtrictum hujuſmodi Vicarius prædictus, quòverò ad reliqua Loca Ordinarii in ſuæ juriſdictioni ſubjectis quidem, ſua ordinaria, in exemptis autem Apoſtolica auctoritate tanquam noſtri, & Sedis Apoſtolicæ Delegati eaſdem præſentes cum omnibus, & ſingulis contentis in illis ſolemniter publicantes, faciant ad unguem illa inviolabiliter obſervari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna jurit, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis deſuper haben. ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dictis, aliiſque, etiam noſtris, & in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Locorum, ac Eccleſiarum, Baſilicarum, Monaſteriorum, Domorum Regularium, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum regularium, etiam Societatis Jeſu, ac Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, aliarumque Militiarum, ac Archiconfraternitatam, & Confraternitatum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis prædictis, & aliis quibuslibet locis, & perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium noſtrarum literarum exemplaribus, etiam in prædictorum Hymnorum libris, ac Breviariis impreſſis, vel manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. *Aprilis* MDCXLIII. *Pontificatûs Noſtri anno vigeſimo.*

Fratribus Civitatis Pariſienſis die 9. Julii recitandi Officium de Conceptione B. V. Mariæ, Miſſamque Solemnem &c. celebrandi facultas conceditur.

PARISIEN.

SAcra Rituum Congregatio precibus Capucinorum Pariſien. benignè inclinata, iis facultatem attribuit celebrandi quotannis die 9. Julii, ratione concurſûs populi, Miſſam Solemnem, & recitandi Officium Conceptionis B. M. V. in Capella, in qua Imago prædictæ B. V. eâdem die translata eſt, non omiſſis tamen Miſſa Conventuali, necnon Officio currenti, & quidem ſolemniori ritu, & conſuetis horis celebrandis. Die 7. Septembris 1658.

Ex Reg. Secret. Sac. Congregat. menſ. & an. præd. pag. 427.

A' Capellano Monialium Capucinarum Civitatis Toletanæ Miſſam de S. Maria Ægyptiaca in ejus Altari, tanquam votivam, celebrari indulgetur.

TOLETANA.

SAcra Rituum Congregatio ad preces Monialium Capucinarum Civitatis Toletanæ facultatem indulſit earum Cappellano celebrandi Miſſam de S. Maria Ægyptiaca ſuper Altare eidem Sanctæ dicato, tanquam votivam, ſumendam è communibus Miſſalis Romani Die 4. Aprilis, niſi tamen fuerit impedita Miſſâ Conventuali omiſſâ. Die 29. Martii 1659.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. fol. 491.

DE-

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Rituum.

Officium Octavæ S. Claræ, Officio Octavæ S. Laurentii, non verò Octavæ Aſſumptionis præferri debere, ad inſtantiam Monialium Urbis declaratur.

U R B I S.

QUæſitum fuit à Monialibus Capucinis Urbis, an Officium Octavæ S. Claræ earum Inſtitutricis, & Patronæ præferendum ſit Officio Octavæ S. Laurentii, & Aſſumptionis B. M. V.? Et Sacra Rit. Congregatio reſpondit, quoad Octavam S. Laurentii præferendum eſſe. Quò verò ad Octavam Aſſumptionis B. M. V., negativè. Die 5. Auguſti 1662.

Ex Regeſt. Secret. S. Congr. menſ. & an. præd. fol. 492.

Officium de S. Clara Aſſiſiate quolibet menſe tum à Fratribus, tum à Monialibus Capucinis recitari indulget.

C L E M E N S P A P A X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis officio pia Chriſtifidelium, illorum præſertim, qui Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi arctioris Religionis jugo mancipati, bonoque Chriſti odore de bona converſatione fragrantes, uberes bonorum fructus in Eccleſia Dei adſpirante Superni favoris auxilio proferre jugiter ſatagunt, vota, ad augendam in terris Cœleſtis Regni incolarum venerationem tendentia libenter exaudimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis.

Cum itaque, ſicut Dilectus Filius Miniſter Generalis Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum. *Reſidua vide tomo primo Bullarii fol. 122.*

N O T A.

CIrca Officium prædictum fuit quæſitum, an, quando quolibet menſe recitatur a in ſecundo, & tertio Nocturno Lectiones ex Octavario Romano de communi Virginum, vel illæ, quæ habentur in S. Claræ feſto die 12. Auguſti, vel illæ in ejuſdem translatione 3. Octob. recitari deberent? Et S. Congr. inſtante P. Antonio à Campobaſſo Ordinis Min. Obſerv. Commiſſario Generali die 13. Junii 1682. reſpondit, recitari debere Lectiones in illius feſto.

Supplicantibus Fratribus Hiſpaniæ die 17. Septembris, feſtum SS. Nominis Mariæ transferri, & Indulgentias aſſiſtentibus Miſſæ Conventuali ejuſdem S. Nominis conceſſas, eo die acquiri indulgetur.

Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Regnorum Hiſpaniæ.

SUpplicantes Capucini Regnorum Hiſpaniæ Indulgentias à Sanctiſſimo Domino Noſtro conceſſas iis, qui interſunt Miſſæ Conventuali Sanctiſſimi Nominis Mariæ in die decima ſeptima Septembris, transferri ad ipſorum Eccleſias ſub eadem die, non obſtante impedimento feſtivitatis Sacrorum Stigmatum S. Franciſci. Sacra Rituum Congregatio reſpondit: Transferatur feſtum Sanctiſſimi Nominis Mariæ ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum; & quoad Indulgentias concedi poſſe ſi Sanctiſſimo placuerit. Hac die 14. Maii 1672.

Et facta per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua ſenſum Congregationis approbavit, & Indulgentias prædictas conceſſit. Hac die 18. Maii 1672.

Officium S. Antonii Patavini ſemel in menſe extra tempus Quadrageſimæ, Adventûs, dieſque Vigiliarum à Fratribus, & Monialibus recitari poſſe concedit.

Capucinorum Ordinis Minorum S. Franciſci.

SAnctiſſimus D. N. Clemens Papa X. ad pias preces R. P. Bonaventuræ Recinetenſis, Procuratoris, & Commiſſarii Generalis Capucinorum Ordinis Minorum S. Franciſci Sanctitati Suæ porrectas, per Eminentiſſimum D. Cardinalem Baſadonna benignè annuit, atque conceſſit, ut ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs prædicti ſui Ordinis

Religiosis Capucinis, tam Fratribus, quàm Monialibus, in quibuscunque Mundi partibus existentibus, & ad horas canonicas obstrictis recitari possit, & valeat Officium S. Antonii de Padua, semel in mense, per singulos annos, sub ritu semiduplici, die non impedita festo novem Lectionum; Excepto tamen tempore Adventûs, & Quadragesimæ, & Vigiliarum, ad instar similis concessionis, aliàs sub diebus 19. Julii, & 25. Novembris 1673. ab eadem Sanctitate sua factæ Ordini Minorum Conventualium, & Minorum Observantium ejusdem S. Francisci. Hac die 14. Martii 1674.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario *S. Rit. Congregatio.*

NOTA.

Ordo autem servandus, quoad lectiones, hic erit.

IN primo Nocturno de scriptura occurrente: Pro secundo, & tertio Nocturno sic disponentur.

Mensibus Januarii, & Februarii; Quæ posita sunt in die festo.

Mensibus Martii, & Aprilis; Quæ tertia die infra octavam.

Mensibus Maii, & Junii; Quæ quarta die.

Mensibus Julii, & Augusti; Quæ quinta die.

Mense Septembris; Quæ sexta die.

Mense Octobris; Quæ septima die.

Mensibus Novembris, & Decembris; Quæ die octava.

Fratres Provinciæ Colonienſis usui communi Religionis quoad festa, & Officia Sanctorum Diœcesanorum approbata, se conformare debere declaratur.

COLONIEN. SEU CAPUCINORUM.

PRo parte Provincialis Capucinorum Provinciæ Coloniæ supplicatum fuit pro declaratione, an dicta sua Religio possit tuta conscientia, & debeat se conformare usui communi prædictæ suæ Religionis, & facere Officium, & festa Sanctorum Diœcesanorum approbata pro talibus à Sancta Romana Ecclesia? Et Sac. Rituum Congregatio respondit, debet se conformare cum Directorio Officii suæ Religionis, & ita declaravit. Die 21. Maii 1676.

Ex Reg. Secret. S. Congreg. mens. & an. prædict. fol. 18.

Occurrente festo duplici infra octavam Sanctissimi Corporis Christi, ac etiam festo simplici, nonam Lectionem de Sancto festi simplicis recitari debere decernitur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

SAcra Rituum Congregatio, supplicante Fr. Ambrosio Sacerdote Capucino, inhærendo Decreto aliàs in simili casu emanato, iterum declaravit, quod occurrente festo duplici infra octavam Sanctissimi Corporis Christi, ac etiam festo Sancti simplicis, nonam Lectionem in Breviario habentis, de hoc Sancto recitari debet nona Lectio tam apud Sæculares, quàm Regulares, qui ad Horas Canonicas tenentur. Die 21. Januarii 1679.

Ex Reg. Secret. S. Congr. mens. & anni prædict. pag. 5.

Dubia de Missa Conceptionis B. V. M. de festis transferendis, ac per participationem privilegiorum recitandis, de indulgentiæ translatione, ac de Stolæ delatione &c. resolvuntur.

Ordinis Capucinorum.

SUpplicavit Sac. Rit. Congregationi Pater Procurator Generalis pro sequentium dubitationum declaratione.

Primò. An Missa assignata festivitati Conceptionis Virginis Mariæ pro Fratribus Minoribus possit celebrari in Sabbatis, ut votiva?

Secundò. An festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, si est transferendum, transferri debeat in diem infrà Octavam, vel post Octavam?

Tertiò. An Fratres Minores, qui ex Regula cap. 3. tenentur facere Officium secundùm Ordinem, seu Kalendarium S. R. E. propter communicationem, seu participationem privilegiorum Mendicantibus concessam, possint recitare Officia specialiter alte-

alteri Religioni conceſſa, ut de Corpore Chriſti, tempore Adventûs, & Quadrageſimæ?

Quartò. An in Regionibus Imperio ſubjectis, in quibus ex Indulto recitatur Officium S. Angeli Cuſtodis cum Octava menſe Septembris, debeat de eodem fieri ſecunda die Octobris?

Quintò. An feſtum ſemiduplex incidens in feſto duplici infrà Octavam non privilegiatam transferendum ſit poſt Octavam, vel de eo faciendum ſit Officium die immediatè ſequenti non impedito feſto duplici, vel ſemiduplici, ſicut ſit de ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam?

Sextò. An de feſto translato faciendum ſit Officium die immediatè ſequenti non impedito, etiamſi adſit aliud ejuſdem dignitatis feſtum priùs translatum?

Septimò. An translato feſto, in cujus die conceditur Indulgentia, transferatur etiam Indulgentia?

Octavò. An in Aſperſione Aquæ benedictæ, quæ apud Capucinos ſit à Sacerdote Alba, & Stola ſola induto, celebraturo immediatè Miſſam Conventualem, Stola ſit aptanda ante pectus in modum Crucis, vel ad utrumque latus pendens à collo?

Nonò. Solent Capucini Sacerdotes in die Cœnæ Domini Sanctiſſimum Corpus Chriſti ſumentes, deferre Stolam ante pectus in formam Crucis accomodatam; Quæritur, an debeant obſervare conſuetudinem introductam, vel deferre Stolam à collo pendentem?

Ad ſupradicta novem dubia Sac. Congregatio reſpondit, ut ſequitur:

Ad primum. Negativè.

Ad ſecundum. Transferendum eſſe in diem infra Octavam.

Ad tertium. Negativè, & quatenus extenſio petatur, omnino quoad tempus Adventûs, & Quadrageſimæ non eſſe concedendam.

Ad quartum. Negativè.

Ad quintum. Faciendum eſſe Officium de ſemiduplici, die immediatè ſequenti, feſto duplici, vel ſemiduplici non impedito.

Ad ſextum. Affirmativè.

Ad ſeptimum. Negativè.

Ad octavum. Stolam eſſe ante pectus ad modum Crucis aptandam.

Ad Nonum. Poſſe utrumque obſervari. Et ita declaravit die 30. Septembris 1679.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. & reperitur exemplar impreſſum in Arch. gen. Ord. Arm. S. Rit. Congregatio.

A' die 17. Decembris uſque ad Nativitatem, ſicut & tempore Adventûs, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum, non Officia votiva Religioni conceſſa, ſed de feria recitari debere ſtatuitur.

ORDINIS MIN. CAPUC.

EXponente Fr. Carolo à Crevalcono Capucino, quod apud Regulares per Decreta Summorum Pontificum ſit Officium infra menſem de eorum Fundatore, & aliis Sanctis, ſicut etiam apud Capucinos ſit ſemel in menſe de S. Franciſco, Conceptione B.M.V. Immaculatæ, & de aliis, etiam tempore Adventûs, & Quadrageſimæ per ſpeciales clauſulas; ſed eum in Breviario non extet Rubrica prohibens Officium novem lectionum, (ſicut habetur pro hebdomada majori) à die 17 Decembris uſque ad Nativitatem Domini, ſcilicet quando ponuntur Antiphonæ propriæ ad Laudes, & Magnificat, ſupplicante propterea pro declaratione, an recitari debeat dicto tempore Officiorum, nempe de S. Franciſco, & de aliis Sanctis, vel potiùs Officium ſit de feria à dicta die 17. uſque ad Nativitatem? Et Sac. eadem Congregatio, reſpondit: Officium ſit de feria non ſolùm à dicta die 17. uſque ad Nativitatem, ſed etiam tempore Adventûs, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum & Vigiliarum, & ità declaravit. Die 24. Febr. 1680.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. menſis & anni præd. fol. 19.

NOTA.

ET vide quoad clauſulam reſtrictivam ſupra fol. 9. dicta.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum

Hymnum *Gloria in excelſis* in Miſſis, etiam privatis, quæ celebrantur de B. V. Maria in Sabbato, dicendum eſſe decernitur.

PROVINCIÆ BRIXIEN.

SAc. Rit. Congregatio ad inſtantiam Fratris Simonis à Darſo Sacerdotis Capucini

cini Provinciæ Brixien. declaravit, juxtà Rubricas Miſsalis Romani, & decreta aliàs in Placentina 19. Martii 1607., & Urbis 27. Julii 1609. edita, Hymnum *Gloria in excelſis Deo* dicendum eſse in Miſſis votivis de S. Maria, etiam privatis, quæ celebrantur in Sabbato, quamvis non fiat Officium de ea; Et ita decrevit, & ſervari mandavit. Hac die 23. Septembris 1684.

Autog. in Secret. S. Congreg. menſis & anni præd. pag. 213. de quo exempl. Auth. in Arch gen. Ord. Arm. prædict.

Occurrentibus eadem die feſtis Dedicationis Eccleſiæ, & SS. Angelorum Cuſtodum, feſtum horum transferendum eſſe declaratur.

BAVARIEN.

EX parte Procuratoris Generalis Capucinorum Provinciæ Bavariæ expoſitum fuit, quod, cum eadem die occurrant Feſtum Dedicationis eorum Eccleſiæ, & SS. Angelorum Cuſtodum; proinde dubitaverit, de quo feſto deberet fieri translatio; Et Sac. Rit. Congregatio SS. Angelorum transferendum eſse cenſuit; & ita decrevit, hac die 4. Decembris 1688.

Ex Regeſt. Secret. Sac. Congr. menſis & anni præd. fol. 211.

In Eccleſia Fratrum Burghuſii feſtum SS. Angelorum Cuſtodum, transferri jam permiſsum, in diem, feſto duplici vel ſemiduplici non impeditam transferri, ac caſu, quo ob feſta duplicia vel ſemiduplicia per totam Dedicationis octavam transferri contingat, Rubricas Breviarii Romani, deſuper ſervari; ac, ſi infra octavam Dedicationis celebretur Officium de octava Dedicationis cum commemoratione octavæ Sanctorum Angelorum Cuſtodum, recitari debere declaratur.

SALISBURGEN.

AD dubia Procuratoris Generalis Capucinorum Provinciæ Bavariæ Sac. Rit. Congreg. ita reſpondendum cenſuit, Ad primum, feſtum S. Angeli Cuſtodis incidens in Feſto Dedicationis Eccleſiæ Capucinorum Civitatis Burghuſii, Salisburgenus Diœceſis, ex ſpeciali Indulto Sac. Congregationis transferri permiſsum, debet in primam diem transferri feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam. Ad ſecundum, ſi idem feſtum ob duplicia, vel ſemiduplicia per totam octavam Dedicationis transferri contingat, celebrandum eſt ſine Octava juxta Rubricas Breviarii Romani *tit. de translat feſtorum num.* 1. juxta finem. Ad tertium, ſi celebretur infra octavam Dedicationis, Officium faciendum eſt de octava Dedicationis cum commemoratione octavæ Sancti Angeli Cuſtodis. Die 18. Junii 1689.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. menſis & anni prædict. fol. 39.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum

In Miſſæ Collecta contra Turcas & hæreticos, non *Turcarum & hæreticorum* ſecundùm Rituale, ſed *Paganorum*, prout in Miſſali Romano habetur, dici debere, ſtatuitur.

SUpplicante Fratre Laurentio à Zibello Provinciali Capucinorum Provinciæ Lombardiæ, pro diffinitiva reſponſione, utrum in præſentium bellorum emergentiis dici debeat in Miſsæ collecta Turcarum, & hæreticorum, ut in Rituali, vel potius Paganorum tantùm, ſicut in Miſsali? Propoſito itaque allato dubio in Sacra Rituum Congregatione, Eadem reſpondit: In Miſsa dicendas eſse orationes, quæ habentur in Miſsali Romano juxta ea, quæ in ſimilibus reſpondit ipſa Sac. Congregatio in Egittanen. die 4. Aprilis 1626. juxta Conſtit. B. Pii V. Clement. VIII., & Urbani VIII. in eodem Miſsali editas, & ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 30. Julii 1689.

Ex Regeſt. Secret. Sac. Congr. menſis & anni præd. fol. 49.

Dubia

Dubia de feſtis SS. Alexii, & Philippi Benitii cadentibus in octavas SS. Bonaventuræ, & Ludovici Epiſcopi; de Miſſis pro omnibus Defunctis, & aliis pro anima magis indiga reſolvuntur.

BAVARIÆ ORDINIS CAPUCINORUM.

EX parte Miniſtri Provincialis PP. Capucinorum Provinciæ Bavariæ porrecta fuerunt Sac. Rit. Congregationi pro reſolutione infraſcripta dubia, videlicet:

Primum. Occurrente Feſto S. Alexii 17. Julii inter octavam S. Bonaventuræ, & Feſto S. Philippi Benitii die 23. Auguſti inter octavam S. Ludovici Epiſcopi Toloſani Ordinis S. Franciſci, declarari rogatur, quo die à Religioſis dicti Ordinis S. Franciſci celebrari debeant?

Secundum. Quæ Miſſa in curſu anni pro omnibus Defunctis dici debeat, &, an ſola oratio ſufficiat, &, ſi plures dici debeant, quænam illæ ſint?

Tertium. Cum aliquoties pro ſecundanda Perſonarum devotarum pietate, applicari debeat Miſſa pro anima Purgatorii magis indiga, qualis Miſſa & oratio dici debeat?

Super quibus eadem Sacra Congregatio reſpondit;

Ad primum. De feſto S. Alexii tanquam de ſimplici de præcepto faciendam eſſe commemorationem infra octavam S. Bonaventuræ, ut dictum fuit in Ordine Minorum Obſervantium 13. Junii 1682. De S. Philippo Benitio occurrente infra octavam S. Ludovici Epiſcopi, nihil, juxta Decreta de non transferendis Officiis ad libitum, & ſignanter die 24. Januarii 1682.

Ad ſecundum, & tertium. Servandas eſſe Rubricas Miſſalis Romani in iiſdem Miſſis Defunctorum approbatas, & ita declaravit, die 15. Decemb. 1691.

Ex Regeſt. Secret. S. Congr. menſis & anni prædicti.

Cadavera pauperum derelictorum, vel Perſonæ conſpicuæ, & privilegiatæ in Eccleſiis noſtris, loco tamen à Fratrum ſepultura ſeparato, ſepeliri poſſe confirmatur, & econtra Miſſam abſque burſa celebrari prohibetur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

FR. Fortunatus à Bononia, Guardianus Capucinorum Caſtri S. Petri, Diœc. Bononien. ſupplicavit Sacrorum Rituum Congregationi pro declaratione infraſcriptorum dubiorum:

Primò. An in Eccleſiis ſui Ordinis poſſint ſepeliri Cadavera Sæcularium in eadem ſepultura, in qua reconduntur Cadavera Religioſorum?

Secundò. An liceat Sacerdotibus Capucinis celebrare Miſſam abſque uſu Burſæ Corporalis, uti requirit ritus S. Romanæ Eccleſiæ?

Et Sacra Congregatio reſpondit:

Ad primum. In caſu pauperis derelicti, vel alicujus conſpicuæ Perſonæ à Superiore diſpenſatæ (quod rarò, & non ſine juſta cauſa eſt faciendum) poſſe hujuſmodi Cadavera ſepeliri in Eccleſia dicti Ordinis, ſed in loco ſeparato ab illo, in quo tumulantur Religioſi.

Ad ſecundum reſpondit omnino negativè. Die 19. Januarii 1692.

Ex Regeſt. Secret. Sac. Congr. menſis & anni prædict. fol. 2. de quo exemplar auth. in Arch. gener. Ordinis Armario *S. Rit. Congr.*

Concurrente in Eccleſia Fratrum noſtrorum loci de Arco, Tridentinæ Diœceſis, cum feſto Annuntiationis B. V. M., die Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ, hanc in Dominicam tertiam Septembris cum octava transferri decernitur.

TRIDENTINA.

CUm juxta Rubricas ſemper transferri debeat à PP. Capucinis loci de Arco, Tridentinæ Diœceſis, feſtum Annuntiationis B. M. V., ex quo ea die conſecrata fuerit eorum Eccleſia; Cumque expoſitum fuerit ob prædictam translationem, à Fratre Joanne à Riva, Guardiano Capucinorum Conventûs præfatæ Eccleſiæ, ut Sacra Rituum Congregatio concedere dignaretur facultatem transferendi feſtum Conſecrationis ad diem 20. Auguſti, Sacra verò Congregatio attentâ relatione Reverendiſſimi Ordinarii dictam Dedicationis illius Eccleſiæ celebritatem, in Dominicam videlicet tertiam menſis Septembris minus impeditam, cum ſua octa-

va

va inpoſterum ſingulis annis transferendam eſſe decrevit. Die 20. Decembris 1692.

Ex Regeſt. Secret. S. Congr. menſis & anni præd. fol. 149.

Officium S. Bonaventuræ per annum ſemel in menſe recitandi toti Ordini Minoritano conceditur, exceptis Quadrageſimæ, & Adventûs feriis.

ORD. MIN. S. FRANCISCI.

SAcrorum Rituum Congregatio referente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali de Lauræa ad preces Patris Franciſci Diaz à S. Bonaventura, Ordin. Minorum de Obſervantia Diffinitoris Generalis, ac Majeſtatis Cæſareæ Theologi, accedente conſenſu P. Procuratoris Generalis præfati Ordinis, benignè indulſit, ut inpoſterum Fratres Minores Ordinis S. Franciſci recitare poſſint ſemel in menſe die Feſto novem Lectionum non impedita, Officium Sancti Bonaventuræ S. R. E. Cardinalis, & Doctoris Seraphici, ſub ritu ſemiduplici, exceptis tamen Adventûs, & Quadrageſimæ temporibus. Die XIII. Junii 1693.

Exempl. Auth. in Arch. generali Ordinis Armario *S. Rit. Congregatio.*

Officium cum Octava, & Miſſa de S. Dominico Fundatore ab omnibus Ordinis noſtri Fratribus recitari indulgetur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

SAcrorum Rituum Congregatiu ad preces P. Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum gratiam extendendo benignè conceſſit, ut inpoſterum ab omnibus Fratribus Ordinis Capucinorum celebrari poſſit die 4. Auguſti in Feſto S. Dominici, Ordinis Prædicatorum Fundatoris, Officium cum Octava, & Miſſa ad inſtar conceſſionis aliàs factæ 2. Septembris 1679. Ord. Min. S. Franciſci de Obſervantia. Die 11. Julii 1693.

Exempl. Authent. in Arch. Gener. Ord. Armario *S. Rit. Congregatio.*

In Ordine noſtro Rubricam 36. Breviarii de Antiphona B. V. Mariæ locũ non habere, ſed Antiphonas finales ante Lytanias pro principio Orationis mentalis dicendas eſſe declaratur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

QUæſitum fuit à Sac. Rit. Congregatione An Rubrica 36. Breviarii Romani de Antiph. Beatæ Mariæ *num.* 3., in qua habetur, quod nunquam dicantur poſt aliquam horam, quando ſubſequuntur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, aut Lytaniæ, habeat locum etiam, quando à PP. Capucinis poſt completas Laudes Matutini, dicuntur Lytaniæ, non pro fine Officii, ſed ſpecificè pro præludio, & principio Orationis mentalis ſubſequentis?

Et Sac. Rit. Congregatio reſpondit in caſu propoſito Rubricam prædictam 36. *n.* 3. non habere locum, & Antiphonas finales dicendas eſſe ante Lytanias, quæ dicuntur pro principio orationis mentalis, & ita declaravit Die IX. Julii 1695.

Autograph. in Secret. Congregat. menſis & anni prædict. pag. 306. *à tergo, de quo exemp. Auth. in Arch. gen. Ord.* Armario *S. Rit. Congregatio.*

Calicem in fine Miſſæ velo in anteriore parte cooperiendum, & Lectionem nonam feſti ſimplicis ſine titulo Sancti, ſeu Sanctorum legendam eſſe reſpondetur.

PRAGEN.

FRater Adamus Turtenſis, Ordinis Capucinorum Civitatis Pragen. humiliter Sac. Ritnum Congregationi ſupplicavit pro declaratione infraſcriptorum dubiorum.

Primò. Utrum Calix in fine Miſſæ debeat totus velari in parte anteriori, prout ab initio Miſſæ?

Secundò. Utrum Lectio Feſti ſimplicis, adhibita pro nona Lectione in Officio Divino, debeat legi cum titulo v.g. Nona Lectio pro SS. Coſma, & Damiano.

Et Sacra eadem Ritnum Congregatio reſpondit.

Ad primum. Ante verſiculum, quod dicitur Communio, cooperiendum velo Calicem

licem in anteriori parte, prout ante Confeſſionem.

Ad ſecundum. Sine Titulo.

Et ita declaravit die 1. Martii 1698.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. menſ. & anni prædict. pag. 279.

Dubia de translatione feſtorum ad annum ſequentem; de concurſu feſti dup. min. SS. Angelorum Cuſtodum cum feſto pariter dup. m. Sanctæ Virginis non Martyris; de tranſlatione feſti Eccleſiæ univerſalis, & alterius Ordinis Minorum, æqualis, & inæqualia ritûs; de Commemoratione S. Dominici, S. P. Franciſci; ac de Officiis votivis per annum reſolvuntur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

NOn minus ad paccandas Religioſorum ſuorum conſcientias, quàm ad perſolvendas debito ritu Divinas Laudes, Fratre Franciſco Maria ab Aretio, Procuratore & Commiſſario Generali Capucinorum, nomine ſuo, ac Definitorii Generalis ſuæ Religionis humiliter Sac. Rituum Congregationi ſupplicante declarari infraſcripta dubia.

Primò. Cum ſæpe contingat aliqua Officia unius anni non poſſe in eodem celebrari, an liceat anno proximè ſequenti perſolvi?

Secundò. An concurrente feſto dup. min. Sanctorum Angelorum Cuſtodum, cum feſto dup. min. Sanctæ Virginis non Martyris, ſit faciendum in ſecundis Veſperis Sanctorum Angelorum, à Capitulo de Sancta Virgine, vel ſimplex commemoratio?

Tertiò. Si incidat in eumdem diem duplex Officium novem Lectionum ritûs æqualis, unum Eccleſiæ univerſalis, aliud verò Ordinis Minorum, & ambo tranſferantur; quodnam ex duobus priùs debeat tranſferri? Quid verò dicendum, ſi ſint ritûs inæqualis; ut contingit die 12. Novembris, in qua occurrunt feſtum S. Martini Mart. & Pontif., quod eſt ſemiduplex, & feſtum Sancti Didaci, quod eſt duplex ſecundæ claſſis.

Quartò. An commemoratio de S. Dominico ex conceſſione fel. rec. Clementis Papæ X. facienda, quando ſit Officium de Sancto Franciſco, tunc ſolùm fieri debeat, quando de eo ſit ſemel in menſe, vel etiam in die feſto Sancti Franciſci, & per Octavam, necnon in feſto Sacrorum Stigmatum, & Translationis; Et econtra idem faciendum ſit de S. Franciſco in feſto, & Octava Sancti Dominici, &, ſi immediatè, vel poſt alias commemorationes Sanctorum, etiam feriæ, & ſimplicis?

Quintò. An in Officiis per annum ſemel in menſe recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Patavino, & Clara, ſervandus ſit ordo conceſſionis, vel potiùs eorumdem Dignitatis?

Sacra eadem Rituum Congregatio, exquiſito ſuper eiſdem priùs Voto Magiſtri Cæremoniarum, ab Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus Colloredo, Ponente, & Petruccio juxta præſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis approbato, reſpondit.

Ad primum. Tranſferri poſſe.

Ad ſecundum. Secundas Veſperas Sanctorum Angelorum, cum ſequenti duplici minori, eſſe dimidiandas.

Ad tertium, & ad primam partem. Officium, quod ab Eccleſia univerſali celebratur, prius perſolvendum. Ad ſecundam, Particulare alteri univerſali eſſe poſthabendum. Ad tertiam. Feſta particularia majoris ritûs, minori præferenda eſſe, etiamſi in Kalendario pro univerſali Eccleſia deſcripta.

Ad quartum. Quatenus verificetur aſſertum Decretum, habere tantùm locum in Officio S. Franciſci, quod ſemel in menſe recitatur poſt alias commemorationes.

Ad quintum. Non eſſe attendendum ordinem Dignitatis. Et ita declaravit die 27. Septembris 1698.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario *S. Rit. Congr.*

N O T A.

ALiud jam circa primum à Sac. Rituum Congregatione generaliter diſpoſitum eſſe exhibebit Decretum ſub 8. Martii 1738. emanatum, & infra in Ordine ſuo Chronologico extendendum.

In tertio quoad partem = *particulare alteri univerſali eſſe poſtponendum* = relato ad Decretum ſupra *pag.* 9. *col.* 1. poſitum, contradictionem latère, in ſuperficiali paret aſpectu. Eâ tamen, quâ P. Cavalieri pollet, & quâ obſcuritatem in hujuſmodi Decretis aliquando

obviam

obviam dilucidat, perſpicaciâ, utrumque Decretum conciliat. Pro quo *tom. 2. Commentar. pag. mihi 330. & ſeq.* ſupponit, quod aliquando Sancti quidam ceu proprii aut particulares in Provinciis, Diœceſibus, Locis, aut Religionibus colantur, factique ſint vel ortu, vel occubitu, vel longiore incolatu, vel Apoſtolico labore, vel ſignis, vel prodigiis, in iis juxta præclara Theodoreti *lib. 8. Græc. affect.* verba *Urbium Cuſtodes, ac Locorum Præſides, hominum Duces, Principes, ac Propugnatores, per quos à nobis infortunia avertuntur, proculque arcentur, quæ à Dæmonibus inferuntur, mala*: & proinde populus quoque erga eos peculiaris devotionis feratur affectu. Ea quo concludit = *Hujuſce igitur ſpecialis vi attinentiæ, affectûs, & connaturalis ſolemnitatis, & celebritatis, qua deſtituuntur Sancti Kalendarii univerſalis, illis erecta meritò fuit favorabilis Rubrica de tranſl. feſt. num. 6., quæ in paritate ritûs, & dignitatis ſolemniùs præfert Officium = fiat de ſolemniori, & quæ minoris ſolemnitatis ſunt, tranſferantur*; Et in fine repetit = *Congruum eſt, ut* (Sancti particulares) *mihi tanquam ſolemniores illis de Eccleſia univerſali præferantur*. Inde Decretum, ſeu reſolutio tertia quoad partem illam = *particulare alteri univerſali eſt poſtponendum* = intelligi oportet cum conditione, ſi particulare non habeat ſolemnitatem majorem, in prædictis prærogativis fundatam. Quod & ipſa S. Rituum Congregatio confirmavit Decretis 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*, & 16. Februar. 1737. *in Mechlinen.* editis, ac aliis.

Circa quintum, quod ordo Dignitatis in officiis votivis non ſit attendendus, idem Cavalieri *tom. 2. Comment. fol. 283.* mentem Sacræ Congregationis ita explicat: *non eſſe ſervandum ordinem dignitatis, cenſuit Congregatio, de neceſſitate, non tamen quod liberum non ſit ordinem dignitatis ſervare, vel non ſervare.*

Lampadem intra & ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, excluſâ omni conſuetudine contraria, ſemper accenſam retineri ſancitur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

EXpoſito humiliter Sac. Rit. Congregationi per Procuratorem Generalem Ordinis Capucinorum, in nonnullis Provinciis, in quibus Chori Eccleſiarum ſuæ Religionis ſupra valvas earumdem Eccleſiarum diametraliter Altari Sanctiſſimæ Euchariſtiæ oppoſitas exiſtunt, conſuetudinem obrepſiſſe, in iiſdem Choris tempore nocturno, tam ad lumen afficiendum Altari Sanctiſſimi Sacramenti, quàm Dormitorio, unicam Lampadem in arcellula ex tela conſtructa retinendi, ea qua quidem ſituatione Lampadis, cùm ex maxima diſtantia Chori ab Altari Sanctiſſimi Sacramenti, hoc nihil, vel puſillum luminis recipiat, Sac. Rituum Congregationi ſupplicavit declarare.

An in Eccleſiis ſuæ Religionis prædictis, juxta recenſitam conſuetudinem retentio Lampadis ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti nocturno tempore, modo ſuperiùs expreſſo ſufficiat, vel potiùs ſit retinenda Lampas intra, & ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti ſemper accenſa, prout de die retinetur?

Et Sac. eadem Rit. Congregatio reſpondit: Negativè, & omnino Lampadem eſſe retinendam intra, & ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, ut continuò ardeat. Et ita decrevit, & ſervari mandavit. Die 22. Auguſti 1699.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congr. menſ. & anni prædict. pag. 97. à tergo.

Nona Lectio, & Oratio in vigilia Sancti P. Franciſci approbatur.

Die 3. Octobris

IN VIGILIA S. FRANCISCI CONF.

NONA LECTIO.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum &c.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Quia Dominus, ac Redemptor noſter novus homo &c.

Ad *Benedictus* Antiph. & Verſ. de feria occurrente.

Oratio. Domine Ieſu Chriſte, qui frigeſcente mundo &c.

Supraſcriptam nonam Lectionem cum Oratione, ad demiſſiſſimas preces P. Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum ab Emi-

Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Cardinale Colloredo relatam, Sac. Rit. Congregatio gratiam, aliàs toti Ordini Minorum Obſervantium S. Franciſci factam benignè extendendo, à toto etiam Ordine Capucinorum ſingulis annis in vigilia S. Franciſci die tertia Octobris cum commemoratione ejuſdem tam in Officio, quàm in Miſſa recitari poſſe cenſuit Die 16. Septemb. 1702.

Exempl. Authent. in Arch. Geu. Ordinis Armario *S. Rit. Congr.*

Cruces Altarium ſeu Proceſſionum ex præcepto non benedici debere, & proin ſimplicem Sacerdotem eas benedicere poſſe declaratur.

URBIS.

FRatre Ioſepho Maria à Turribus, Ordinis Capucinorum, ſupplicante demiſsè Sac. Rit. Congregationi declarari.

An Cruces Altarium, ſeu Proceſſionum ſint benedicendæ de præcepto, &

An, ſi non ſint de præcepto, poſſit ſimplex Sacerdos eas benedicere privatè, & non ſolemnitèr?

Sacra eadem Rit. Congregatio cenſuit reſpondendum:

Ad primum. Negativè.

Ad ſecundum. Affirmativè. Et ita declaravit die 12. Iulii 1704.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſis & ann. præd. fol. 826.

Dubia à Capucinis Galliæ de Antiphona *Ave Regina Cœlorum* ſecunda die Februarii; de feſto Annunciationis; de Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ vel Quinquageſimæ; Patrono loci; feſto S. Marci; de digniore ex Clero, & celebrante in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum; de S. Hoſtia feria 6. in Cœna Domini, ac Miſſa Conventuali &c. reſolvuntur.

ORD. CAPUC. GALLIÆ.

EX parte Capucinorum Galliæ infraſcripta dubia declarari S. Rit. Congregationi demiſsè ſupplicatum fuit:

Primum. An, cum ex decreto Sac. Rit. Congregationis 11. *Ianuarii* 1681. dicenda ſit Antiphona Beatæ Virginis *Ave Regina Cœlorum*, cum ℣. *Dignare me &c.* in fine Completorii ſecundæ diei Februarii, licèt transferatur Officium Purificationis ejuſdem B. V. Ita ſimiliter, licèt nondum recitatum ſit Officium Purificationis, dici tamen debeant in ſuffragiis, quando ſit de Officio ſemiduplici, vel ſimplici ℣. *Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix*, cum oratione: *Concede nos famulos &c.* Et in Miſſa ſecunda oratio: *A cunctis*, tertia ad libitum?

Secundum. An translato Officio Annuntiationis B. M., de quo poteſt fieri quinta die Aprilis, omiſſo Officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii hac die occurrentis, ſatiùs ſit celebrari Officium Annunciationis, vel hac die, vel die ſequenti, ut non omittatur Officium S. Vincentii? Et ſi hoc ultimum ſatiùs judicetur, An in Dioecesibus, in quibus celebratur quinta die Aprilis Officium translatum Annuntiationis B. M. cum feriatione diei, in quam transfertur, ſatiùs ſit & nos illud celebrare hac die, omiſſo Officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii, in gratiam Populorum, qui ad noſtras Eccleſias accedunt audituri Miſſam, & Officium de Myſterio Annuntiationis?

Et inde etiam, An transalto eodem Officio Annuntiationis juxta Romanas Rubricas in quartam diem Aprilis, debeamus tamen, vel poſſimus illud differre in ſequentem diem quintam Aprilis, in Dioeceſibus, in quibus tunc transfertur cum feriatione in hanc diem, ob feſtum S. Ambroſii, quod celebratur quarta Aprilis, propria ipſius obitûs die?

Tertium. An in Dioecesibus, in quibus in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ fit de Officio Purificationis Beatiſſimæ Virginis, in his Dominicis occurrentibus debeamus, vel poſſimus iis diebus recitare Officium cum ſola commemoratione, & 9. lectione Dominicæ in gratiam Populorum ad noſtras Eccleſias accedentium?

Quartum. An ſub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregotii XIII. tenemur recitare Officium ſub ritu duplici primæ Claſſis, veniat etiam Patronus Parochiæ, in qua commoramur? Et, ſi ſub hoc nomine comprehendatur, An, ubi Eccleſia dedicata eſt in memoriam, & honorem Plagarum Ieſu Chriſti, vel Dolorum B. V., debeamus de his recitare Officium, cum de his nullum extet in Breviario Romano?

Quintum. An in Dioeceſibus, in quibus feſto S. Marci occurrente per octavam Paſchæ, vel in Dominica, Lytaniæ transfe-

rantur cum abſtinentia poſt Octavam, vel poſt Dominicam debeamus hæc obſervare?

Sextum. An Dignior è Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum, recipit Candelam, Cineres, Palmam &c. debeat accedere ad Altare aum— vel ſine ſtola? Et, ſi ſine ſtola, an ipſe debeat genuflexus, ſicut alii, vel ſtans inclinatus recipere candelam, cineres, palmam à Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis candelam, palmam?

Septimum. An toleranda ſit conſuetudo quorumdam, qui contra quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter hoſtiam conſecratam reſervandam à feria quinta in Cœna Domini, uſque ad ipſius conſumptionem in feria ſexta Paraſceve?

Octavum. An poſtremò poſſit omitti in Choro Antiphona Beatiſſimæ Virginis in fine Officii, licèt immediatè ſequatur Miſſa, quam apud nos Capucinos vocamus Conventualem, quæ tamen juxta Rubricas Miſſalis *tit.3. num.1. & 2. & tit.15. num.* 2. cum non cantetur à Choro, ſed ſubmiſsè recitetur à Celebrante, verè Conventualis dici non poteſt, nec pars Officii antecedentis? Secundò. Cum non verè Conventualis ſit talis Miſſa, nec ſolemnis, licèt in feſtis ſecundæ claſſis celebretur cum incenſo, quia non celebratur cum aliis cœremoniis, & Miniſtris ad Miſſam ſolemnem requiſitis, ut patet ex Ritibus Miſſæ ſolemnis in Miſſali, An in ea, in feſtis ſecundæ claſſis poſſit omitti commemoratio ſimplicis eodem die occurrentis, cujus omiſſio præſcribitur à Rubrica Miſſalis *tit.7. num.1.* in Miſſa tantùm ſolemni?

Et Sac. Rit. eadem Congregatio referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Colloredo reſpondendum cenſuit:

Ad primum. Affirmativè.

Ad ſecundum. Quando transfertur ſolum Officium, & non ſolemnitas, tunc poteſt fieri de Sancto ad libitum occurrente.

Ad tertium. Negativè.

Ad quartum. Negativè.

Ad quintum. Quoad primam partem, quoad Lytanias & Proceſſionem, ſervetur Rubrica particularis Miſſalis in feſto S. Marci, quoad ſecundam partem ſervetur conſuetudo loci.

Ad ſextum. Quoad primam partem, ſine ſtola; quoad ſecundam, cum genuflexione, & cum oſculo manûs.

Ad ſeptimum. Servandam omnino Rubricam Miſſalis.

Ad octavum. Quoad primam partem circa Antipbonam finalem ſervetur *Rubrica 36. num.* 3.

Circa Miſſam, babenda eſt tamquam Conventualis: Quoad ſecundam partem, proviſum in prima parte, & ſervetur rubrica Miſſalis in dubio allegata *tit.7. num.*1.

Et ita declaravit. Die 14. Febr. 1705.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 7. 8. 9.

Officium de S. Juſtina Virg. & Mart. quoad Lectiones ad Fratres Conventûs Civitatis Utinen. extenditur.

UTINEN.

Relatis ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Colloredo in Sac. Rit. Congregatione enixis precibus PP. Capucinorum Conventûs S. Juſtinæ Virginis, & Martyris Civitatis Utini pro extenſione Officii, & Miſſæ de Sancta prædicta, aliàs pro Eccleſia, & Diœceſi Patavina conceſſorum demiſsè ſupplicantium, Sac. Rituum eadem Congregatio petitam extenſionem quoad Lectiones tantùm Oratoribus benignè indulſit, atque conceſſit. Die 24. April. 1706.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 160.

Dubia alia de celebrante Miſſam de uno Martyre &c. de feſto titulari S. Mariæ Angelorum; de occurſu ejuſdem Evangelii; de feſto Apparitionis Sancti Michaëlis Archangeli; de duobus feſtis translatis &c. de Officiis, Miſſis Defunctorum, & de Indulgentiis reſolvuntur.

PARISIEN.

Fratre Humile Franciſco Pariſienſi, Ordinis Capucinorum in Gallia pro declatione infraſcriptorum dubiorum Sacr. Rituum Congregationi demiſsè ſupplicante.

1. An Sacerdos ſatisfaciat oneri celebrandi Miſsas de uno Sancto Martyre, cujus inſignes, & approbatæ Reliquiæ aſservantur religioſiſſimè, & publico Fidelium cultui expoſitæ, ſed de quo, ſaltem nominatim, Miſſam celebrare non licet, cum ejus nomen non legatur in Martyrologio Romano: Si Sacerdos iſte celebret Miſsas de Martyribus generatim, & indiſtinctè, ſumendo Miſsas de communi plurium Martyrum, ſuppreſſis nomi-

minibus quorumcunque Martyrum in orationibus? Sin autem hoc probetur, quæritur, quid agendum iſti Sacerdoti in his caſibus?

2. An Titularis Eccleſiarum Dedicatarum ſub titulo S. Mariæ Angelorum, id eſt, Beatiſſimæ Virginis, ut Dominæ, & Reginæ Angelorum, non ſit Aſsumptio ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, in qua, ut Domina, & Regina Angelorum ſupra omnes eorum choros exsltata eſt; Sin ita ſit, quæritur, undenam ſumendum Officium de Beatiſſima Virgine ſub iſto titulo, & quandonam perſolvendum?

3. An in Ordine Frstrum Minorum quædam Eccleſiæ dedicatæ ſub titulo S. Mariæ Angelorum, ideſt, in memoriam miraculoſæ Apparitionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis cum ingenti multitudine Angelorum Beatn Franciſco in Eccleſia S. Msriæ Angelorum, primaria univerſi ſui Ordinis, rectè perſolvant Officium de hocce ſuo Titulari, recitando ſecunda die Auguſti cum toto hoc Ordine Officium Dedicationis hujuſce primariæ Eccleſiæ de Communi Dedicationis cum lectionibus propriis in ſecundo Nocturno de iſta miraculoſa Apparitione? Sin ita videatur, quæritur, undenam ſumendum Officium de hocce Titulari, & quandonam celebrandum?

4. An in Ordine etiam Fratrum Minorum quædam Eccleſiæ dedicatæ ſecunda die Auguſti, ſicut primsria ſui Ordinis Eccleſia, poſſint hacce eadem die unoque Officio utramque ſimul Dedicationem celebrare, & in ſecundo Nocturno recitare lectiones, quæ in Officio Dedicationis primariæ Eccleſiæ leguntur de præfata miraculoſa Apparitione?

5. An occurrente eodem Evangelio Vigiliæ omnium Sanctorum, & Officii Sanctorum Coſmæ, & Damiani in hanc Vigiliam transferrendi, ſufficiat in hoc caſu ſola commemoratio Vigiliæ ſine nona lectione de ea? Vel, an alterutrius mutandum Evangelium, & cujuſnam, cum utrique aptè conveniat? Et ſi Vigiliæ mutandum foret, undenam ſumendum? Item, an non in hac occurrentis dicenda ſit in Miſſa iſtorum Sanctorum tertia oratio de Spiritu Sancto, quæ eſt ſecunda Miſſæ hujus Vigiliæ, non verò tertia oratio *A cunctis*, cum in hac fieret etiam omnium Sanctorum memoria jam immediatè antè facta in oratione pro commemoratione Vigiliæ?

6. An, ſicut ex Decreto Sacr. Congregationis 1685. 24. Novembris dividendæ ſunt ſecundæ Veſperæ Officii dup. min. Sanctorum Angelorum Cuſtodum cum primis veſperis Officii ſequentis duplicis, etiam minoris de una Sancta Virgine, ita etiam in pari concurrentia Officii duplicis majoris Apparitionis S. Michaëlis Archangeli cum Officio etiam dup. majoris de uno Sancto Confeſſore dividendæ ſint Veſperæ? Vel, an potiùs ſola commemoratio ſequentis, juxta Rubricam generalem *tit.* XI. *num.* 2. cujus hoc Decretum videtur tantùm exceptio firmans Rubricam, Ideoque ſemper extet in Breviariis, ut in aliis concurrentiis obſervetur?

7. An ex duobus Feſtis translatis æqualis Solemnitatis poſſit priori extra totam ſuam octavam translato præferri poſteriùs translatum, eò quod de hoc ultimo poſſet fieri Officium, vel in aliqua die infra ſuam octavam, vel in ipſius die octava? Vel, an potiùs recitandum priùs ſit Officium de priori translato, juxta decreta Sac. Congregationis 1696. 22. Decembris, ad firmandam Rubricam de translatione Feſtorum *num.* 7.

8. An in Officio Defunctorum in die obitûs dicenda ſit etiam pro Sacerdote Defuncto oratio communis *Abſolve quæſumus Domine*, vel an oratio: *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes*? Cum hæc reſpectivè communis ſit pro Epiſcopis, & Sacerdotibus, & in Cœremoniali Epiſcoporum notetur dicenda in Officio Defunctorum in die obitûs Epiſcopi? Item, an in hoc Officio, & Miſſa in die obitûs pro Patre vel Matre Celebrantis, dicenda ſit ab ipſo Celebrante oratio, *Deus, qui nos Patrem & Matrem honorare*? vel dicenda ſit in Officio oratio, *Abſolve quæſumus Domine*: Et in Miſſa, *Deus cui proprium eſt miſereri*?

9. An in Miſſis pro anima in Purgatorio magis derelicta, vel graviores pœnas ſubeunte, aut diuturniores ſubitura, vel citiùs à Purgatorio libersnda, dici poſſint cum ſpeciali intentione pro hac snima orationes, quæ leguntur in Miſſali pro pluribus Defunctis? Non extant enim in Miſſali ſpeciales orationes pro iſtis ſingillatim animabus, & an viri, aut fœminæ ſit iſta anima, ignoratur?

10. An Fratres Minores in ſuis Eccleſiis, & Fratres, & Sorores Sæcularea Tertii Ordinis S. Frsnciſci in ſuis Cappellis promereri poſſint Indulgentias à Summo Pontifice non pro ipſis tantùm, ſed pro omnibus generatim, & indiſtinctè conceſſas, & quibuſdam diebus in iſtis Eccleſiis, vel Cappellis aſſignatas, licèt non viſæ ſint ab Epiſcopo? Et ſi hoc daretur, an in iſtis caſibus titulus hsrum Indulgentiarum poſſit iis diebus, quibus aſſignatæ ſunt, exponi publicè non extra, ſed intra has Eccleſiaa, vel Cappellas?

Eadem Sac. Rit. Congregatio referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Dom. Car-

dinale Santti Clementis reſpondit:

Ad 1. Non licere præfatum onus ſuſcipere, ſed ſervandum omnino decretum Sac. Congregationis 11. Auguſti 1691., & pro ſatisfactione oneris jam ſuſcepti celebrent Miſſam currentem cum applicatione Sacrificii ad mentem Benefactoris.

Ad 2. & 3. Pro meliori informatinne.

Ad 4. Negativè.

Ad 5. Juxta votum, nempe quoad primam partem, non immutandum, & recitandum Evangelium, & reſpectivè Humiliam omnium Sanctorum; Et quoad ſecundam partem, recitandam eſſe orationem Vigiliæ, & tertiam *A cunctis*.

Ad 6. Detur Decretum in Gerunden. 12. Iulii 1704.

Ad 7. Servandum Decretum Sac. Congregationis.

Ad 8. Serventur Rubricæ, & Rituale Romanum.

Ad 9. Relata.

Ad 10. Negativè, ſed Indulgentias eſſe legitimè publicandas ad formam Concilii.

Et ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 18. Septembris 1706.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. pag. 206. 207. 208.

Ad dubia in priore folio non reſoluta reſpondetur.

PARISIEN.

PRopoſitis ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale S. Clementis die 18. Septembris 1706. ad inſtantiam Fratris Humilis Franciſci Pariſini ex Provincia, & Majori Conventu Pariſienſi, Ordinis Minorum Capucinorum, quamplurimis dubiis, Cum Sac. Rit. Congregatio ſuper ſecundo, & tertio reſcribendum cenſuerit pro meliori informatione, revocatis impræſentiarùm ad trutinam prædictis dubiis, non reſolutis, nempe

Secundum. An Titularis Eccleſiarum dedicatarum ſub titulo Sanctæ Mariæ Angelorum, id eſt, Beatiſſimæ Virginis, ut Dominæ, & Reginæ Angelorum, non ſit Aſſumptio ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, in qua ut Domina, & Regina Angelorum ſupra omnes eorum choros exaltata eſt? Sin ita ſit, quæritur, undenam ſumendum ſit Officium de Beatiſſima Virgine ſub iſto titulo, & quandonam perſolvendum?

Et tertium. An in Ordine Fratrum Minorum quædam Eccleſiæ dedicatæ ſub titulo S. Mariæ Angelorum, id eſt, in memoriam miraculoſæ Apparitionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis cum ingenti multitudine Angelorum B. Franciſco in Eccleſia S. Mariæ Angelorum Primaria, univerſi hujus Ordinis, rectè perſolvant Officium de hocce ſuo Titulari, recitando ſecunda die Auguſti eum toto hoc Ordine Officium Dedicationis cum lectionibus propriis in ſecundo Nocturno de illa miraculoſa Apparitione? Sin ita videatur; Quæritur, undenam ſumendum Officium de hocce Titulari, & quandonam celebrandum?

Eadem Sac. Congregatio eodem Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali S. Clementi referente reſpondit:

Ad ſecundum. Celebrandum feſtum Sanctæ Mariæ Angelorum in die Aſſumptionis cum octava ejuſdem.

Ad tertium. Proviſum in ſecundo.

Et ita declaravit. Die 14. Maji 1707.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 44.

Dubia de feſtis Patronorum, anticipatione Officii Annuntiationis B. V., ac S. Joſephi, de commemoratione omnium Fidelium Defunctorum cadente in Dominicam, de Patrono Eccleſiæ Parochialis, de prima die feſtorum translatorum, de Monialibus Tertiariis Capucinis, ac duorum feſtorum occurſu reſolvuntur.

ORDIN. CAPUC. PROVINCIÆ LEODIENSIS.

FRater Martinus ex Provincia, & Conventu Leodienſi, Ordinis Capucinorum infraſcripta dubia declarare Sac. Rit. Congregationi demiſsè ſupplicavit.

In Urbe Stabuletenſi Clerus Sæcularis facit Officium duplex primæ claſſis cum octava 20. Ianuarii de S. Sebaſtiano Protectore Civitatis. Item etiam ſecunda Septembris de S. Remaclo Epiſcopo, totius Patriæ Patrono Principali; Ac inſuper 17. Septembris de S. Lamberto Martyre, qui eſt Patronus Principalis totius Diœceſis Eccleſiæ Cathedralis, quæritur, An Officium de dictis Patronis debitè fiat ſub eo ritu, &, an poſſint Regulares eadem Officia celebrare ſub eodem ritu ſeclusâ octavâ?

Secundum. In Diœceſi Leodienſi ex ſtatuto Diœceſano, & conſuetudine immemo-

morabili, quando feſtum Annuntiationis B.M. V. 25. Mart. incidit in hebdomadam ſanctam, ſolet præfatum feſtum unà cum Officio anticipari ad Sabbatum præcedens, etiam quovis alio feſto impeditum, quod & fieri (ſed non ita pridem) conſtitutum eſt, & conſuevit de feſto, & Officio S. Joſephi 19. Martii, & hinc quæritur, an Regulares, & qui ſequuntur ritum Romanum, poſſint in dicta anticipatione tam quoad Officium, quàm quoad feſtum ſe aliis conformare, prout hactenus ſemper fecerunt?

Tertium. Uſitatum eſt etiam in Urbe Leodienſi ex ſtatuto, & conſuetudine immemorabili ſemper facere commemorationem omnium Fidelium Defunctorum, die 2. Novembris, quamvis hæc incidat in Dominicam, quia ſequens dies eſt impedita per feſtum S. Huberti Epiſcopi, qui eſt Protector Civitatis, & feſtum præcepti. Unde quæritur, An liceat Regularibus, & aliis, qui ſequuntur ritum Romanum, Officium, & Miſſam Defunctorum celebrare in Dominica, prout ſemper fecerunt, quotieſcumque caſus propoſitus contigit?

Quartum. Solent Capucini Conventûs Leodienſis ex conſuetudine, pluſquam centum annorum, facere Officium duplex majus de S. Servatio Epiſcopo 13. Maji, quia eſt Patronus Principalis Parochiæ, in quâ morantur, & eſt feſtum Devotionis in Populo, quæritur, an liceat prædictis Officium illud ſubeo ritu continuare, ac etiam tranſferre in alium diem, dum contingit ab alio majori feſto impediri?

Quintum. In Rubricis particularibus novi Breviarii Franciſcani, pro Fratribus Min. de Obſervantia editi, anno 1696., extat ſpecialis Conſtitutio, num. 15. dictarum rubricarum his verbis expreſſa: = *Quando autem plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixè occurrant, ut translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proximè non impedita aſſignata cenſeatur in perpetuum pro die propria feſti tranſlati reſpectivè* =. An hæc rubrica poſſit in uſum deduci ab aliis alterius Congregationis Regularibus, ita ut cenſeri poſsit ab illis feſta perpetuò tranſferenda, fixa eſſe in perpetuum ad primam diem non impeditam?

Sextum. Frequentes ſunt in his Regionibus Regulares Congregationes Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci, quæ vulgò Pœnitentes Capucinæ nuncupantur, quia Conſtitutiones Regulares amplexæ ſunt Conſtitutionibus noſtris omnino conformes, & Habitum noſtro conſimilem deferunt ſine calceamentis, ſuntque Ordinariorum directioni ſubjectæ; Quæritur, An prædictæ Moniales non poſſint divina Officia perſolvere juxta Breviarium noſtrum, communicando gratiis Congregationi noſtræ conceſsis, quemadmodum illis communicant Moniales Capucinæ profitentes primam Regulam S. Clariæ? à quâ communicatione ſi forſan excludantur, ad illam benignè admitti humillimè poſtulant.

Et demum, cum in Conventu Ordinis Capucinorum Leodienſi, S. Michaëlis nuncupato, habeantur Reliquiæ inſignes Sanctorum Martyrum Trevirenſium, quorum memoria in Martyrologio Romano agitur ſexta Octobris, quæ dies cum ibidem ſit impedita per octavam S. Michaëlis propriæ Eccleſiæ Titularis, fiatque die ſequenti de S. Brunone, humiliter petitur pro congrua dictarum reliquiarum commemoratione, vel diem 17. Octobris, in qua occurrit ſemiduplex ad libitum, vel aliam diem proximam, Officio novem lectionum non impeditam, aſſignare.

Et Sacra Rituum eadem Congregatio referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali S. Clementis reſpondit.

Ad primum. Dentur Decreta.

Ad ſecundum. Serventur Rubricæ.

Ad tertium. Negativè.

Ad quartum. Negativè.

Ad quintum. Negativè.

Ad ſextum. Negativè.

Et tandem commemorationem Martyrum Trevirenſium pro die 31. Octobris poſſe concedi cenſuit; Et ita decrevit, & declaravit, die 28. Auguſti 1706.

Ex Regeſt. Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 195. 196. 197.

Dubia à Provincia Leodienſi noviter propoſita reſolvuntur.

ORDIN. CAPUC. PROVINCIÆ LEODIENSIS.

EX parte PP. Capucinorum Provinciæ Leodienſis pro aſſignatione dierum fixarum nonnullis feſtis Sanctorum, Sacr. Rit. Congregationi dimiſsè ſupplicatum fuit, prout in infraſcripto ſupplici libello.

Eminentiſſimis Sac. Rit. Congregationis Cardinalibus.

Cum placuerit EE. VV. die 28. Auguſti 1706. ad dubia per nos Capucinos Conventûs, & Provinciæ Leodienſis in partibus Germaniæ propoſita, negativè reſpondendo declarare, nullatenus nobis eſſe licitum uti facultate, quæ

quæ in Rubricis particularibus PP. Obſervantium num. 13. conceſſa habetur, ut, quando plura Officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixè occurrant, quod translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita aſſignata cenſeatur in perpetuum pro die propria feſti translati reſpectivè. Hinc iterum compellimur ab EE. VV. eâ, qua par eſt, humilitate ſupplicare, quatenus dignentur feſtis quibuſdam eadem die ſemper occurrentibus, & quorum proinde translatio debet apud nos eſſe perpetua, propriam, & fixam ſedem benignè aſſignare: ſunt autem ſequentia.

I. Die 13. Maji occurrit Trajecti Feſtum S. Servatii Epiſcopi, qui eſt Protector Civitatis cum feſto S. Petri Regalati, poteſtque dies immediatè ſequens pro ultimo aſſignari.

II. Die 10. Septembris occurrit Thudinii feſtum S. Theodardi Epiſcopi, & Martyris, qui eſt Protector Civitatis cum feſto S. Nicolai de Tolentino, ſuntque ab illa die reliquæ omnes impeditæ uſque ad 23. Septembris, quæ poſſet aſſignari pro ultimo.

III. Die 17. Septembris occurrit in tota Diœceſi Leodienſi feſtum S. Lamberti Epiſcopi, & Martyris, qui eſt Titularis Eccleſiæ Cathedralis, cum feſto SS. Stigmatum S. P. N. Franciſci, quod ſequenti die 18. ſemper celebratum fuit, quæ dies eum ſit iterum impedita per feſtum S. Thomæ de Villanova, placeat EE. VV. huic ultimo, quod eſt minoris ritûs, propriam diem aſſignare: Prima autem non impedita erit 26. ejuſdem menſis.

IV. Sexta Octobris occurrit Leodii Octava S. Michaëlis propriæ Eccleſiæ Titularis cum feſto S. Brunonis; & Stabuleti, ac Malmundarii occurrit feſtum S. Brunonis, cum feſto Sanctorum Martyrum Trevirenſium, de quibus habentur inſignes Reliquiæ, poſſuntque unum, & alterum ex prædictis feſtis in diem ſequentem figi.

V. Die 10. Octobris occurrit Malmundarii feſtum S. Gereonis Martyris, qui eſt Protector Civitatis, cum feſto S. Franciſci Borgiæ, & prima poſt illam dies vacua eſt 29. Novembris.

VI. Die 28. Octobris occurrit in Diœceſi Leodienſi Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis cum feſto Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, poteſtque uni, aut alteri ex illis dies ſequens aſſignari.

VII. Cum autem Dedicationes Eccleſiarum noſtræ Provinciæ diebus Dominicis, iiſque ut plurimùm valdè incongruis celebrentur; Nos infraſcripti Provincialis, & Definitores noſtri demiſsè ſupplicamus EE. VV., ut dignentur unam, & eandem diem aſſignare pro uniformi celebratione Dedicationis omnium Eccleſiarum hujuſce Provinciæ noſtræ Leodienſis, dies autem ad hoc convenientiſſima videtur, aut 26. Februarii, aut Dominica ſecunda poſt Paſcha.

In pluribus Diœceſibus Galliæ omnium fiunt Eccleſiarum Dedicationes eadem die, ut cum majori devotione, ſolemnitate, & uniformitate celebrentur, quam eamdem gratiam ab EE. VV. humiliter poſtulamus iiſdem de cauſis, pro Dedicationibus omnium Eccleſiarum noſtrorum Conventuum Provinciæ Leodienſis, ut nunquam omittatur hæc celebratio, ut non rarò accidit, cum tempore, quo deberet celebrari Eccleſiæ alicujus Conventûs Dedicatio, ſæpe ſæpius fiant noſtræ mutationes capitulares, & ſic Religioſi tranſeuntes de Conventu, in quo proxima eſt Eccleſiæ Dedicatio, ad alium, in quo jam celebrata eſt, teneantur, ut ſe conformare poſſint aliis Religioſis in recitatione Officii, illud Dedicationis omittere hoc anno, quod advenientibus iiſdem mutationibus annis ſequentibus, ut poteſt fieri, ferè ſemper omittant.

VIII. Cum placuerit etiam EE. VV. eadem die 28. Auguſti 1706. ad dubium per nos propoſitum, An liceat Regularibus, & aliis, qui ſequuntur Ritum Romanum, Officium, & Miſſam Defunctorum celebrare in Dominica, prout ſemper fecerunt hucuſque juxta conſuetudinem immemorabilem Civitatis Leodienſis, in qua fit commemoratio omnium Fidelium Defunctorum die ſecunda Novembris, quamvis hæc incidat in Dominicam, quia ſequens dies eſt impedita per feſtum S. Huberti Epiſcopi, qui eſt Protector Civitatis, & feſtum præcepti, Reſpondere Negativè, hinc iterum compellimur ſupplicare EE. VV., quatenus dignentur declarare nobis, an poſſit, & debeat differre dicta dies commemorationis uſque ad ſextam diem ejuſdem menſis, cum diebus tertia, quarta, & quinta occurrant feſta, quorum Officia ſiunt ſub ritu duplici, an verò poſſit, & debeat fieri die quarta, qua occurrit feſtum S. Caroli, quod non eſt de præcepto, quoties dicta dies commemorationis incidit in Dominicam, & hac die non poteſt celebrari, nec die tertia, ut ſupra dicitur, ſi hoc ultimum, tunc poſſet pro feſto S. Caroli aſſignari dies prima infra octavam Sanctorum omnium non impedita.

IX. Die 31. Octobris aſſignatâ noviſſimè ab EE. VV. pro die propria feſti Sanctorum Martyrum Trevirenſium, quorum habentur Reliquiæ inſignes in Eccleſia Conventûs noſtri Leodienſis, occurrit feſtum S. Wolfgangi Epiſcopi, cujus feſtum in tota

Ger-

Germania celebratur ſub ritu duplici, ſuntque ab illa die 31. Octobris reliquæ omnes impeditæ, uſque ad primam Decembris, quæ ſic poſſet ab EE. VV. pro die prædicta Sanctorum Martyrum Trevirenſium concedi.

Et eadem Sac. Rit. Congregatio, Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Sancti Clementis referente, Ad primum uſque ad octavum incluſivè reſpondit negativè; Ad nonum pro gratia. Die 19. Februarii 1707.

Ex Regeſt. Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. fol. 16. à tergo.

In occurſu Titulari feſto Inventionis S. Crucis, & Dedicationis Eccleſiæ Conventûs Bononienſis Officium cum integris Veſperis de feſto Inventionis celebrari debere præſcribitur, & aliam diem (non ampliùs immutandam) pro feſto Dedicationis aſſignari, arbitrio Eminentiſſimi Archiepiſcopi remittitur.

BONONIENSIS.

OCcurrentibus die tertia Maji in Eccleſia Fratrum Capucinorum Civitatis Bononiæ feſto Inventionis S. Crucis, quæ eſt titulus Eccleſiæ, & Dedicationis ejuſdem, petitum fuit ab eiſdem Fratribus Capucinis per Sacrorum Rituum Congregationem ſequentia dubia declarari:

Primum. An de Titulari (de Inventione ſcilicet S. Crucis) ſeu potiùs de Dedicatione Eccleſiæ occurrente eadem die celebrandum ſit Officium?

Secundum. De quonam debeant eſſe ſecundæ Veſperæ ipſa die tertia: de eo, de quo celebratum eſt Officium, vel potiùs de ſequenti, ſeu à Capitulo, vel cum ſola commemoratione de antecedenti, vel de ſequenti feſto?

Tertium. Ne ullum eorumdem duorum feſtorum tamſolemnium privetur debito cultu: an ſatiùs ſit conſulere Emin. Ordinario pro aſſignanda alia Sede feſto Dedicationis, ut poſſit celebrari cum debita ſolemnitate & ejus Octava?

Et eadem Sacra Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis S. Clementis cenſuit reſpondendum.

Ad primum. Eſſe celebrandum Officium Inventionis S. Crucis cum integris Veſperis juxta Rubricam decimam Breviarii de concurrentia feſtorum *num.* 2.

Ad ſecundum. Jam proviſum.

Ad tertium. Arbitrio Eminen. Archiepiſcopi pro aſſignatione alterius diei nunquam inpoſterum immutandæ.

Et ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 24. Novembris 1708.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. fol. 165.

Dubia de Officio Martyris in concurſu Confeſſoris, aut Confeſſoris cum Virgine; de translatione feſti in diem non impeditam; de Officio Octavæ S. P. Franciſci cadentis in Dominicam SS. Roſarii; de Communione Sabbati Sancti, & de applicatione Miſſæ in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum reſolvuntur.

ORDIN. CAPVCINORVM.

EX parte Fratris Franciſci à Neapoli infraſcripta dubia à Sacra Rituum Congregatione demiſsè declarari ſupplicatum fuit.

1. Supponunt nonnullæ Eccleſiæ (& hoc ex earum Kalendariis) Sanctos Martyres in concurrentia Officii duplicis cum Sancto Confeſſore debere habere Veſperas integras propter majorem dignitatem, & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore, & hanc majorem dignitatem, & nobilitatem tribuunt etiam Confeſſori concurrenti cum Virgine, ſicque in concurrentiis, quæ poſſunt accidere, tribuentes ſemper integras Veſperas ei, quem putant digniorem, non aliter, ac fit in concurrentia Feſtorum Domini, Beatæ Virginis Mariæ, Angelorum, Apoſtolorum &c. Quæritur, an hæc major Dignitas interſit, & attendenda verè ſit inter Officia æqualis ritûs, ac ejuſdem ſolemnitatis, aut potius ſtandum ſit præſcriptioni Rubricæ Breviarii Romani de concurrentia Officii *num.* 2., quæ dicit: = *Regulariter fit à Capitulo de ſequenti &c.*

2. Cum nonnulla Officia Sanctorum propter perpetuam occurrentiam cum aliis Officiis majoris dignitatis, ſeu ſolemnitatis, ſeu ritûs perpetuam habeant translationem, & juxta Rubricam *de Tranſlat. Feſt. num.* 6. in primam diem non impeditam ſemper

trans-

transferenda ſint. Quæritur, an illa prima dies cenſenda ſit propria illius Translati ſedes perpetuò, juxta Gavant. *ſect.* 3. *cap.*10. *num.*15. Ita ut debeat de eo celebrari ſemper illa prima die, etiamſi occurrat transferri aliud Officium ejuſdem, vel ſuperioris ritûs?

3. Decrevit hæc Sacra Rituum Congregatio, ſub die 22. Ianuarii 1707. quod occurrentibus in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. Officiis Sanctiſſimi Nominis ejuſdem B. M. V., & octavæ S. Roſæ Viterbien. Ordinis Minorum, transferatur primum in aliam diem, & in ea Dominica fiat de ſecundo, nempe de die octavæ &c. Quæritur, an idem ſit ſervandum cum Officio Sanctiſſimi Roſarii ejuſdem B.M.V., & octavâ S. Patris Franciſci ſi occurrant ſimul in Dominica ſecunda Octobris, propter translationem primi ad dictam ſecundam Dominicam juxta conceſſionem hujus Sacræ Rit. Congregationis, quando prima Dominica impeditur alio Officio majoris ritûs &c. nempe, An debeat in prædicta ſecunda Dominica recitari Officium diei octavæ Sancti P. Franciſci, & transferri in aliam diem, ſeu Dominicam Officium Sanctiſſimi Roſarii, quod in Regno Neapolitano celebratur, cum magno Populi concurſu?

4. An in die Sabbati Sancti, in qua unica tantùm Miſſa celebratur in Eccleſiis, juxta Decretum hujus Sacræ Congregationis &c. licitum ſit miniſtrare Fidelibus non infirmis Sacram Communionem?

5. An in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum licitum ſit applicare Miſſas in particulari ad libitum Celebrantis, & à petentibus eaſdem Miſſas eleemoſynam accipere, uti tenent nonnullæ Eccleſiæ, ſeu potiùs debeant applicari Miſſæ ſecundùm intentionem Sanctæ Matris Eccleſiæ pro omnibus Fidelibus Defunctis, licèt pro Miſſis dentur eleemoſynæ;

Et eadem Sac. Rit. Congregatio cenſuit reſpondendum.

Ad primum. Negativè.

Ad ſecundum. Negativè, & ſerventur Rubricæ generales.

Ad tertium. Negativè.

Ad quartum. Non propoſitum.

Ad quintum. Detur Decretum die 4. Aug. Dalmatiarum 1663. & ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 14. Dec. 1709.

Ex Regeſto Secret. Soc. Congreg. menſis & anni prædict. pag. 91. 92.

NOTA.

Decretum, quod Sac. Congregatio ad dubium quintum pro reſolutione dari mandavit, fuit tenoris ſequentis: *In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia poſſunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet, vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantùm.* Sac. Rit. Congregat. 4. Aug. 1663. in una Dalmatiarum.

Dubia de feſto ſemiduplici in Vigilia omnium Sanctorum; de ſemiduplici occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam; & de antiphona Commemorationis &c. reſolvuntur.

Emii ac Rmii Domini.

Frater Victorius à Novellaria, Concionator Capucinus in Provincia Lombardiæ, de mandato ſuorum Superiorum incumbens rectæ directioni Kalendarii pro exacto cultu Divino in recitatione Officii Divini, ac Miſſa in eadem Provincia, cum inter Clerum tam Sæcularem, quàm Regularem ſuper infraſcriptis dubiis invenerit quot capita tot ſententias; ut rectiùs omnia dirigantur, & ad mentem Sanctæ Sedis, humillimè proponit EE. VV. dubia, ac eadem humilitate ſupplicat pro declaratione.

Primum. Si contingat fieri Officium de Feſto ſemiduplici in Vigilia omnium Sanctorum: Utrum, non obſtante commemoratione Vigiliæ, tunc dici debeant ſuffragia communia in Laudibus, & Oratio *A cunctis* in Miſſa ejuſdem ſemiduplicis; An verò utraque ſint omittenda, & dicenda in Miſſa oratio *de Spiritu Sancto*?

Secundum. Utrum de ſemiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam, fieri debeat Officium die immediatè ſequenti non impedito, quamvis adſint alia feſta majoris ritûs priùs tranſlata?

Tertium. Si pro facienda in Laudibus Commemoratione alicujus diei infra Octavam, ſumenda ſit antiphona ex eodem Communi, unde ſumpta eſt pro Officio: Quæritur, utrum in hoc caſu ſervanda ſit Rubrica generalis *de Commemorationibus num.* 8., ut ſcilicet ſumatur ex primis Veſperis; an verò ſumi debeat ex ſecundis Veſperis, ex eo,

eo, quia dies infra octavam non habeat primas Veſperas?

Quartum. Cum ab hac Sacra Congregatione ſub die 12. Decembris 1626. declaratum fuerit, dicendam eſſe Præfationem communem in Miſſa quatuor Temporum occurrentium in octava Nativitatis Beatiſſimæ Virginis: Quæritur, utrum eadem dicenda ſit etiam, quando occurrente feria quarta quatuor Temporum Decembris infra octavam Conceptionis ejuſdem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, facienda ſit in Miſſa feriæ commemoratio de dicta octava? Et quænam erit tunc tertia oratio, utrum de Spiritu Sancto, an de Eccleſia, vel pro Papa?

Quintum. Utrum quinque, vel ſeptem orationes, quæ in Rubrica *de Orationibus num.* 12. : conceduntur ad libitum pro Miſſis de feriis per annum, intelligantur etiam conceſſæ pro Miſſis Vigiliarum, quæ jejunantur?

Sextum. Cum apud quoſdam inoleverit conſuetudo miniſtrandi Sanctiſſimam Euchariſtiam in Miſſa poſt Communionem Celebrantis per eumdemmet Celebrantem permultis accedentibus, ex quo ſequitur interruptio ejuſdem Miſſæ per unum quadrans horæ, & aliquando etiam per majus, aliquando per minus ſpatium temporis, & hoc ſaltem bis in hebdomada: Quæritur, An talis interruptio Miſſæ ſit quid relevans, & conſuetudo licita?

Septimum. Cum *in una Congregatione Montis Coronæ* inter plura dubia propoſitum fuerit = XI. *An in Miſſis de Requiem Sacram liceat diſtribuere Euchariſtiam?* = Et hæc Sacra Congregatio die 22. Januarii 1701. reſponderit: Ad XI. *Omnino Negativè* = Quæritur, An hoc Decretum afficiat omnes, & pro ſemper, vel potiùs ii, qui non ſunt ex eadem Congregatione Montis Coronæ, poſſint ad eorum placitum, in Miſſis *de Requiem* diſtribuere Fidelibus accedentibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, præcipuè infra Octavam Defunctorum.

Pro Gratia &c. Quam Deus &c.

N O T A.

ANtequam Sac. Rituum Congregatio ad horum dubiorum reſolutionem procederet, requiſivit deſuper votum D. Juſtiniani Chiapponi, Sanctæ Sedis Cœremoniarum Magiſtri, quod ita dedit:

EMINENTISSIMI PATRES.

Quoad primum: Dubium hoc originem trahit ab Oratione Vigiliæ tam in Officio Ordinis Capucinorum, quàm in Miſſa; utpote quæ reſpicit ſolemnitatem Omnium Sanctorum, quorum Vigiliam celebrando, prævenimus gloriosa ſolemnia, quaſi non ſint recitanda Sanctorum ſuffragia, ſeu commemorationes communes in Officio ſemiduplici præſcripta, uti ſuperfluæ in particulari, cum in Oratione hujus vigiliæ omnium quodammodo Sanctorum ſuffragia comprehendantur in communi. Res tamen aliter ſe habet, dum pluries in anno vigore rubricæ in Officio feriali in Chorit, ubi Rubrica ſervatur exactè, ſtatis horis recitatur, etiam Officium B. M. Virginit, prout in mea Vaticana Baſilica, Sacrorum Rituum omnium Eccleſiarum Magiſtra, in quo ad Laudes, & ad Veſperas ſit commemoratio omnium Sanctorum in communi, & nihilominus in Laudibus Officii feriæ currentis, & in Veſperis fiunt denuo ſuffragia Sanctorum in particulari, excepta commemoratione B. V. Mariæ, quia de ea factum eſt Officium; & ideo bene ſimul dici poſſunt oratio Vigiliæ omnium Sanctorum in Officio, & recitari conſuetæ commemorationes communes. Ultra quod commemoratio de Pace, ultimo inter prædictas, non comprehenditur in oratione Vigiliæ. Hæc quoad Officium: Quoad Miſſam ſimiliter pluries in Anno vigore Rubricæ celebratur Miſſa de Sanctis ſub ritu ſimplicis, vel ſemidup licis, in qua pro ſecunda oratione aſſignatur A cunctis: propria ad poſcenda Sanctorum ſuffragia: Et quis ignorat in ea omnes Sanctos, inter quos etiam connumeratur ille, de quo Miſſa celebratur, invocari? In Miſſa quotidiana Defunctorum dicitur prima oratio pro Epiſcopis, & Sacerdotibus, ſecunda pro Fratribus, & tertia pro Fidelibus Defunctis in communi. Nunquid in hac ultima oratione = Fidelium = Non comprehenduntur omnes Epiſcopi, omnes Sacerdotes, omnes Propinqui? Juvat ergo & in particulari, & in communi ſuffragia Sanctorum poſtulare, eaque repetere, juxta Evangelium Lucæ 11. Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis &c. Reſpondendum itaque cenſerem ad primam partem Dubii: Affirmativè. Ad ſecundam, Negativè.

Quoad ſecundum Dubium Affirmativè, & detur Decretum.

Ad tertium, ſervetur citata Rubrica de Commemoration. num. 8. *Vel reſpondendo ad duplicem Dubii partem; quoad primam Affirmativè; Quoad ſecundam Negativè; quia ſi dies*

infra Octavam non habet primas Veſperas, eas tamen habet Feſtum, de quo fit Octava.

Ad quartum, Pro intelligentia hujus dubii ſciendum, celebrandas eſſe duas Miſſas in Cathedralibus, & Collegiatis, quandocumque occurrit aliquod feſtum duplex Vigiliarum, quatuor Temporum, & Quadrageſimæ: Una ſcilicet de Feſto, altera de Vigilia, quatuor Temporum, ſeu Quadrageſimæ, Rubr. Miſſal. general. tit. 3. num. 1., & tunc, ſi Feſtum habet Præfationem propriam, utique in Miſſa de Feſto debet dici Præfatio propria. in Miſſa verò Vigiliarum, quatuor Temporum, ſeu Quadrageſimæ, debet dici Præfatio communis, niſi Feriæ prædictæ habeant & ipſæ Præfationem propriam, de tempore ſcilicet Quadrageſimæ, & de Octava Pentecoſtes: Et ita intelligendum eſt Decretum citatum de anno 1626. 12. Decembris; Adeoque reſpondeadum crederem diſtinguendo: Vel loquuntur Oratores de Miſſa ſolemni cum cantu? & tunc negandum ſuppoſitum; ſupponunt enim infra Octavam Conceptionis B. M. V. occurrente feria quarta quatuor Temporum celebrandam unicam Miſſam de feria, cum duæ ſint celebrandæ, ut ſupra dictum eſt, prima ſcilicet de die infra Octavam, juxta ritum Octavæ currentis ſine commemoratione feriæ, & altera de feria ſine commemoratione feſti, cum omnibus propriis, & Præfatione communi, ut ex ordine Romano ad uſum Baſilicæ Vaticanæ de anno 1695., & ita reſpondendum ad primam partem diſtinctionis. Vel loquuntur de Miſſa privata ſine cantu, & tunc Miſſæ dicuntur de feria ſine Gloria, & Credo, cum ſecunda orationi octavæ, tertia Eccleſiæ, vel pro Papa, & Præfatione de Octava, ut in ordine Romano præcipuè de anno 1695.

Ad quintum, Affirmativè, quia Feriæ, & Vigiliæ pari paſſu ambulant, ut videre eſt ex Titulo 2. Rubr. general. Miſſalis; in quo agitur unitim de feriis, & Vigiliis.

Ad ſextum, Nihil reſpondendum quoad relevantiam; Quoad conſuetudinem verò, reſcriberem, permittendum uſum communicandi Fideles iis Particulis, quas particulariter conſecravit Sacerdos ad ſatisfactionem nonnullorum Fidelium, negandum verò, & omnino tollendum abuſum nonnullorum Sacerdotum, qui poſt Sanguinis Sacratiſſimi ſumptionem extrahunt è Tabernaculo Pyxidem cum Particulis ad hoc primùm conſecratis, & confluentes, quotquot ſunt, Sacra Communione reficiunt per quadrantem horæ, & ultra, maximo auditorium Miſſam incommodo, & naturali diſpliccntia: Tollerandum autem uſum miniſtrandi Sacramentum Fidelibus è Tabernaculo in Pyxide extractum ante vel poſt Miſſam pro majori confluentium commodo.

Ad ſeptimum. Dandum Decretum Montis Coronæ citatum; quia, licèt Sac. hæc Congregatio tunc reſcripſerit in una Montis Coronæ, Dubium tamen erat univerſale, unde voluit omnes afficere, & ſemper; quia color Caſulæ non eſt conveniens diſtributioni Panis Angelici; & quia, ſicuti in Miſſis Defunctorum non datur Pax, quæ olim erat ad Fidelium intereſſentium ordinata; ita neque debet fieri Euchariſtiæ diſtributio, etiam infra Octavam, ut dicitur, Defunctorum, quia viget eadem ratio, & ſemper in Eccleſiis adeſt Altare pro diſtributione Sacramenti: Et ita &c. ſalvo &c.

Juſtinianus Chiapponus Apoſt. Sedis Sac. Cærem. Magiſter.

Voto hoc habito, & in Sacra Congregatione diſcuſſo, prodiit Decretum, ſeu reſolutio ſequens.

Sac. Rituum Congregatio referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Gabriellio cenſuit reſpondendum.

Ad primum, Affirmativè quoad primam partem, Negativè quoad ſecundam.

Ad ſecundum. Detur Decretum 22. Decembris 1696.

Ad tertium, Affirmativè quoad primam partem, Negativè quoad ſecundam.

Ad reliqua verò dubia reſolutio data non reperitur.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſis & anni præd. fol. 141.

Dubia

Dubia de Officio Patronorum Eccleſiarum particularium, etiam nondum conſecratarum; de ritu faciendi Officium Patroni; de celebratione feſti, & Officii Nominis Mariæ; de communione in Miſſis Defunctorum &c. reſolvuntur.

CUm ex parte PP. Capucinorum Provinciæ Lugdunenſis pro declaratione infraſcriptorum dubiorum Sac. Rit. Congregationi demiſsè ſupplicatum ſuerit, videlicet:

Primò. An debeat fieri Officium primæ claſſis cum octava Patronorum, ſeu Titulorum Eccleſiarum particularium, quales ſunt, v. g. Eccleſiæ Religioſorum, etiamſi ab Epiſcopia non fuerint conſecratæ, ut non rarò accidit in pluribus Diœceſibus, in quibus plures Eccleſiæ nondum fuerunt conſecratæ, licèt à multo tempore, ac etiam à ſæculis fuerint extructæ, & in eis Divina myſteria celebrentur, & illæ à tempore, quo fuerint fabricatæ, habeant pro Patrono, ſeu Titulari aliquem Sanctum?

Secundò. Sub quo ritu debeant Regulares, quorum Religio diviſa eſt in plures Provincias, pro illius faciliori, & ſtrictiori regimine facere Officium Sancti, quem ſibi elegerunt pro Patrono ſuæ Provinciæ à principio erectionis illius: an ſub ritu dup. primæ claſſis, vel ſecundæ claſſis, & cum octava, an ſub ritu ſimpliciter dupliei, an verò ſub ritu tantùm ſemiduplici?

Tertiò. Quale à Capucinis obſervari debeat dictorum Decretorum, 24. ſcilicet Septembria 1685. & 22. Januarii 1707. à Sac. Rit. Congregatione emanatorum circa celebrationem Feſti, & Officium SS. Nominis B. M. V., quando die pro tali feſto, & Officio aſſignatâ ab eadem Sacra Congregatione, occurrit dies octavæ alicujus Sancti?

Quartò. An Decretum, quo prohibetur dare Communionem in Miſſa pro Defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans talem Miſſam in quacunque occaſione, nequeat abſolutè eummunionem dare, ſcilicet, nec tempore celebrationis ante Poſt-Communionem, nec poſt celebrationem, finito ſcilicet Evangelio S. Joannis?

Quintò. An Altare, quod fuit conſecratum, amittat ſuam conſecrationem abſolutè, & ſimpliciter toties quoties demolitur?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis S. Clementis reſpondendum cenſuit:

Ad primum. Affirmativè, juxta votum D. Abbatis Chiapponi.

Ad ſecundum. Negativè.

Ad tertium. Servandum Decretum generale, juxta votum.

Ad quartum. Negativè in omnibus.

Ad quintum. Juxta votum.

Die 21. Junii 1710.

Verùm ſub die 21. Martii 1711. ab eodem Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. S. Clementia repropoſito quarto dubio, nempe = An Decretum, quo prohibetur dare communionem in Miſſis pro Defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans talem Miſſam in quacunque occaſione nequeat abſoluiè eommunionem dare, ſcilieet, nec tempore celebrationis ante Poſt-Commun onem, nec poſt celebrationem, finito ſcilieet Evangelio S. Joannis?

Eadem Saera Congregatio Rituum reſpondendum cenſuit = Dilata, & ad mentem, & mens fuit, ut reſolutio ad quartum edita 21. Junii 1710. non extradatur; & ita declaravit, ac ſervari mandavit.

NOTA.

ET circa hæc quoque dubia Sac. Congregatio reſpondere noluit, niſi præhabito ejuſdem prædicti D. Juſtiniani Chiapponi voto, quod proin & hìc extenſum ſequitur:

EMINENTISSIMI PATRES.

PRimum dubium verſatur circa Eccleſiam conſecratam, vel non conſecratam, videlicet: An poſſit fieri Officium, ut præſcribitur in tabella Rubricæ, ſub ritu dup. primæ claſſis de Sancto Titulari Eccleſiæ nondum conſecratæ? & non eſt dubium, quia Eccleſia non conſecrata gaudet iiſdem privilegiis, quibus gaudet conſecrata, iis tamen exceptis, quæ illi obveniunt poſt impletam conſecrationem; v. g. Indulgentia, & celebratio feſti Dedicationis. Eccleſia enim nondum conſecrata, fuit tamen ritè benedicta, cum invocatione Nominis Dei, & Sancti, ſub cujus titulo, & Patrocinio fuit erecta tam in oratione, quàm in Litaniis Sanctorum, ut in Rituali Romano, animo de Eccleſia diruta, vel execrata poteſt fieri Officium de Sancto Titulari. Guyet. de Feſtis Sanctorum lib. 1. cap. 4. quæſt. 6., qui & in

queſt. 5. antecedenti ejuſdem libri, & cap. agit de præſenti dubio, firmat feſtum Patroni, ſeu Tit. Eccleſiæ nondum conſecratæ, ſed ritè benedictæ fieri, & celebrari poſſe, imò, & debere, ideoque cenſerem reſcribendum = Affirmativè.

Ad ſecundum. An extra Italiam Decretum Urbani VIII. de Sanctis Patronis notum ſit, ignoro; recognoſci debere affirmarem: declinantes ab eodem Oratores ſupplicant pro gratia recitandi Officium Patronorum Provinciæ Regularis proprii Ordinis. Nihil de tali Officio interim reperitur in dicto Decreto Urbani VIII. inclinarem tamen ad gratiam per modum extenſionis; Legitur enim talis gratia conceſſa Fratribus Min. Obſerv. S. Franciſci, ut in tabella duplicium primæ claſſis eorum Breviarii nuper editi, & in ejuſdem Rubrica particulari num. 77. & ideo reſcribendum fore cenſerem = Pro gratia ad formam Rubricæ, & tabellæ Breviarii FF. Minorum Obſervantiæ.

Ad tertium. Neutrum ex allegatis Decretis attendendum eſt à PP. Capucinis Oratoribus; illa ſiquidem emanârunt, in caſibus particularibus, & ideo non ſunt invicem contraria, neque generalia. Si habent Oratores caſum particularem, exponant illum Sacræ Congregationi. Interim ſervandum Decretum generale pro Officio Sanctiſſimi Nominis Mariæ ultimo loco editum, reſcribendum cenſerem.

Ad quartum. Decretum allegatum in hoc præſenti dubio eſt de una Montis Coronæ, in qua reſolutum fuit negativè, videlicet, non debere à celebrante Miſſam Defunctorum Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum fidelibus miniſtrari. In altera Capucinorum Provinciæ Lombardiæ in diet ab Eminentiſſimis Patribus decidenda, cenſui reſpondendum ſimiliter negativè. Recedendi à ſententia nullam invenio cauſam. In illa enim Montis Coronæ dubium fuit formiter examinatum, & ideo reſcribendum cenſerem = Negativè in omnibus.

Ad quintum, & ultimum diſtinguendum putarem: vel Altare fuit conſecratum ad modum Altaris fixi, ut in Pontificali Romano, cum ſacris Sigillis, & unctionibus inter ſtipitem, & Altare, id eſt Altaris menſam, & tunc certum eſt, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, à ſuo ſtipite, eſſe execratum Altare juxta Cap. Ad hæc, *ubi Gloſſ. litt. A. & Cap. quod in dubiis de conſecratione; vel fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, ut in eodem Pontificali, & tunc ſine execratione poteſt amoveri, & in eodem loco reaptari, quia non franguntur ſigilla. Sigilla enim, quæ ſunt Crucei, quæ fiunt ab Epiſcopo cum polite dexteræ manûs ſacro chriſmate intincto, inter ſtipitem, & menſam Altaris, quæ ſic inter ſe conjungat, non fiunt in conſecratione Altaris portatilis, atque ita cum tali diſtinctione reſcribendum cenſerem, ſalvo ſemper &c.*

Juſtinianus Chiapponus Sac. Cærem. Sedis Apoſtolicæ Magiſter.

EPISTOLA

Sac. Congregationis S. Officii.

Abuſum *in Litaniis, & Ave Maria*, adjungendi = *Regina ſine labe originali concepta* = tolli committitur.

Emñe, ac Rmñe Dñe Obſmñe.

CUm in hac Sacra Congregatione S. Officii fuerit perceptum, quod inter Capucinos Alaſſii, & Finalis in Provincia Genuenſi invaluerit abuſus cantandi in Litaniis & Ave Maria = *Regina ſine labe originali concepta* = cupit eadem, ut Eminentia Veſtra penes Superiores hujus Ordinis authoritatem ſuam interponat, quatenus hujuſmodi abuſus removeatur. Et cum obſequiorum meorum &c.

Romæ 7. Ianuarii 1713.

G. Card. Mareſcottus.

Forit = Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Acciajoli, Ordinis PP. Capucinorum Protectori.

Autograph. in Arch. Gen. Ord. Armario *S. Congr. S. Officii.*

Electio B. V. Mariæ ſub myſterio Sanctiſſimæ Conceptionis in Patronam Principalem totius noſtri Ordinis approbatur, & recitatio Officii ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, omneſque aliæ prærogativæ Patronis principalibus competentes, conceduntur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

EXhibita Sac. Rituum Congregationi per Fr. Ioannem Antonium à Florentia Procu-

Procuratorem Generalem Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum, nomine etiam Diffinitorium Generalium totius Ordinis prædicti electione in Patronam Principalem B. M. V. ſub myſterio Sanctiſſimæ Conceptionis, nuper ab ipſis facta; ad preces modò Fr. Ioannis Antonii prædicti pro confirmatione humillimè ſupplicantis, Sac. Rit. Congregatio referente Eminentiſſimo; & Reverendiſſimo D. Cardinale Caſſino, attento, quod electio prædicta fuerit ſer. ſer., & juxta præſcriptum in Decreto ſel. rec. Urbani Papæ VIII. die 23. Martii 1630. edito, legitimè facta, eamdem approbavit, ac confirmavit, & B. M. V. Sanctiſſimæ Immaculatæ Conceptionis ſic in Patronam Principalem electæ, prærogativas omnes Patronis Principalibus competentes, cum recitatione Officii ejuſdem ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava in univerſo prædicto Ordine attribuit, atque conceſſit. Die 10. Martii 1714.

Autog. in Secret. S. Congr. menſ. & ann. præd. p. 102. de quo exempl. Authent. in Arch. Gen. Ord. Arm. *S. Rit. Cong.*

NOTA.

ALia, quæ electionem Deiparæ, ſub titulo Conceptionis Immaculatæ, in noſtræ Religionis Patronam concernunt, primus Bullarii Tomus pag. 150. explicat, quibus unicè addi debet Decretum Definitorii Generalis, quo B. Virgo ſub prædicto Titulo fuit electa, & quod fuit tenoris ſequentis:

In Nomine Domini. Amen.

NOs *Frater Michael Angelus à Ragoſa, Miniſter Generalis Ordinis S. Franciſci Capucinorum una cum A. RR. PP. Definitoribus Generalibus Romæ congregatis, ſeriò animadvertentes, Religionem noſtram innumeris à Domino beneficiis Deiparâ intercedente fuiſſe cumulatam, eandemque Religionem ardentiſſimè erga myſterium Immaculatæ Conceptionis ejuſdem Deiparæ devotione ſemper conflagraſſe, de prædictorum A. RR. PP. Definitorum Generalium conſilio, & conſenſu, ſtatuendum duximus, prout de facto præſenti Decreto ſtatuimus, & decernimus, eligendam eſſe, ſicut de facto eligimus, Deiparam ſub hoc myſterio Immaculatæ Conceptionis ſpecialiter cultam, in principalem totius Religionis noſtræ Patronam & Protectricem, ejuſque Immaculatæ Conceptionis feſtum inpoſterum omni, quâ poterit, ſolemnitate ſingulis annis celebrandum.*

Datum Romæ die 15. *Octobris* 1712.

Fr. Michael Angelus, qui ſupra.
Fr. Joan. Antonius à Florentia Definitor, & Procurator Generalis.
L. S.
Fr. Antonius à Cramburgo Definitor Generalis.
Fr. Maximus à Muro Definitor Generalis.
Fr. Timotheus à Flexia Definitor Generalis.
Fr. Joachimus à Soranea Definitor Generalis.
Fr. Timotheus à Rodenas Definitor Generalis.

Feſtum SS. Fauſtini, & Jovitæ ad omnes Provinciæ Brixienſis Conventus extenditur.

BRIXIEN.

PAtre Provinciale Ordinis Capucinorum Provinciæ Brixienſis S. Rit. Congregationi humiliter ſupplicante, ut Officium SS. Fauſtini, & Iovitæ, quod in Diœceſi Brixienſi cum octava recitari aſſeritur, ad omnes Conventus ſui Ordinis Provinciæ prædictæ extendere dignaretur, Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Prioli extenſionem petitam concedendam eſſe cenſuit Die 16. Iunii 1714.

Ex Regeſto Secret. Congr. menſ. & anni præd. fol. 131. *de quo exempl. Auth. in Arch. Ord.* Armario *S. Rit. Congregatio.*

Offi-

Officium de S. Martha in Eccleſia Civitatis Taraſcenſis recitandum eſſe, decernitur, Officio de S. Armando omiſſo.

TARASCEN.

CUm ex parte PP. Capucinorum Eccleſiæ Civitatis Taraſcen. expoſitum fuerit, quod eorum Eccleſia tam in primarii lapidis collocatione, quàm in ſui benedictione habuit pro Patrona, vel Titulo S. Martham, quodque poſt multos annos à fundatione præfatæ Eccleſiæ Eminentiſſimus Armandus Cardinalis de Richelieù dictam Eccleſiam conſecravit, ac ſub titulo S. Armandi eamdem poſuit abſque ullâ aſſignatione diei feſti dicti Sancti, qui in Martyrologio Romano nequaquam deſcriptus reperitur: Cumque PP. Capucini prædicti, ob ambiguitatem, nec de S. Martha, de qua Officium diei feſti cum octava ſemper celebrârunt, neque de S. Armando modò recitent, propterea pro determinatione recitationis Officii Sancti Patroni Principalis eorum Eccleſiæ Civitatis Taraſci, Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicârunt. Et Sacra eadem Congregatio Rituum, Officium de Sancta Martha tamquam Patrona Principali ſupradictæ Eccleſiæ recitandum eſſe declaravit, & ita decrevit Die 21. Martii 1716.

Ex Arch. Secret. S. Congr. p. 25.

Translatio Officii B. Nicolai de Rupe ad 23. Martii conceditur.

ORD. CAPUC. PROVINCIÆ HELVETIÆ.

EXponentes Patres Capucini Provinciæ Helvetiæ, quod uſque ab anno 1671. a ſan. mem. Clemente X. Clero Sæculari, & Regulari Diœceſûm Conſtantienſis, & Curienſis, ſive totius Helvetiæ Catholicæ Officium Beati Nicolai de Flue, uti Patroni ſupradictæ Provinciæ, pro die 22. Martii ſub ritu duplici minori ad libitum conceſſum fuerit, quodque ob indultum recitandi eadem die Officium S. Benvenuti, Epiſcopi Auximani, Ordinis S. Francifci, ſub ritu duplici majori univerſo Ordini Capucinorum à Sacra Rit. Congregatione anno 1711. conceſſum, prædictum Officium Beati Nicolai de Flue in præfata Provincia juxta Rubricas recitari nequeat, ideo pro facultate transferendi ad diem 23. Martii Officium dicti Beati Nicolai Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicârunt; Et Sac. eadem Rit. Congregatio gratiam petitam Oratoribus concedendam eſſe cenſuit. Die xi. Julii 1716.

Autogr. in Secret. S. R. Congreg. menſ. & ann. præd. pag. 84. de quo exemp. auth. in Arch. gen. Ord. Arm. Sac. Rit. Congregatio.

Fratribus Provinciæ Rhenanæ die 19. Novembris ſub ritu duplici ſecundæ claſſis feſtum S. Eliſabeth Viduæ celebrari conceditur.

ORD. CAPUC. PROVINCIÆ RHENANÆ.

PEr directo à Patribus Capucinis Provinciæ Rhenanæ libello, quo Sac. Rituum Congregationi enixè ſupplicârunt, ut feſtum S. Eliſabethæ Viduæ die 19. Novembr. ſub ritu duplici minori celebrari conſuetum, indeque ob occurrentiam octavæ Sancti Didaci Conf. ad diem 27. ejuſdem menſis translatum, inpoſterum die prædicta 19. ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava celebrari poſſit; Sac. eadem Congregatio referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale de Abdua gratiam petitam Oratoribus concedendam eſſe cenſuit. Die 17. Aprilis 1717.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 149.

Occurrente in Eccleſia Conventûs Aquæ nigræ die octava Dedicationis cum feſto S. Annæ, Officium de hac cum commemoratione diei octavæ Dedicationis faciendum eſſe declaratur.

MANTUANA.

EX parte Fratrum Capucinorum Conventûs Aquænigræ Diœceſis Mantuanæ Sac. Rit. Congregationi humillimè ſupplicatum fuit, quatenus ob occurrentiam diei

diei octavæ Dedicationis eorum Eccleſiæ cum Feſto S. Annæ, prædictum feſtum Dedicationis, ſive ante, ſive poſt Feſtivitatem Sanctæ Annæ inpoſterum transferri benignè concedere dignaretur; Et Sac. eadem Congregatio reſpondit, feſtum Dedicationis minimè transferendum, ſed faciendum eſſe Officium Sanctæ Annæ cum commemoratione diei octavæ Dedicationis dictæ Eccleſiæ. Die 15. Julii 1719.

Ex regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 64.

Lectiones ſecundi & tertii Nocturni propriæ cum Oratione, & Miſſa pariter propria de S. Felice à Cantalicio approbantur, ac in die feſto ipſius Sancti cum Officio ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ab univerſo Ordine recitari poſſe conceditur.

ORDIN. CAPUCINORUM.

SAc. Rituum Congregatio ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Capucinorum, nomine etiam totius Religionis, ſupraſcriptas Orationem, & Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni proprias, necnon Miſſam S. Felicis Capucini ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Barberino Ponente reviſas, correctas, & in S. Rit. Congregatione per Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Picum, loco Eminentiſſimi Barberini abſentis, relatas approbavit, & in feſto ipſius Sancti cum Officio ſub ritu ſecundæ claſſis ab univerſo præfato Ordine utriuſque ſexûs inpoſterum recitari, ac celebrari poſſe benignè conceſſit die 25. Maji 1726.

N O T A.

TUm Miſſam propriam, tum Orationem, tum Elogium Martyrologio Romano de S. Felice apponendum extensè exhibet tomus 1. Bullarii fol. 170. & fol. 139. de extenſione autem Officii de Eodem ad totam Italiam, & Inſulas adjacentes agit idem tomus fol. 214. & alia deſuper dabuntur infrà.

A' Fratribus noſtris Domûs S. Antonii Madriti Officium ejuſdem S. Felicis cum octava celebrari indulgetur.

TOLETANA.

SAnctiſſimus D. N. Benedictus PP. XIII. ad humillimas preces nomine PP. Capucinorum Conventûs S. Antonii Oppidi Matriti Sanctitati Suæ porrectas, benignè indulſit, ut ipſi feſtum S. Felicis Capucini, quod hactenus cum Officio ſub ritu duplici majori peragere conſueverunt, inpoſterum ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum octava celebrare poſſint, & valeant. Die x. Junii 1726.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni prædicti. fol. 402.

A' Fratribus Conventûs Lugi feſtum S. Blaſii Epiſc. Mart. die tertia Febr. ſub ritu duplici celebrari, & concurrens B. Ludovicæ Albertoniæ Officium transferri, conceditur.

RAVENNATEN.

SAc. Rituum Congregatio ad humillimas preces Patris Guardiani Ordinis Capucinorum Conventûs Legi in Provincia Bononiæ, Diœceſis Ravennaten. benignè indulſit, ut præfati Patres Conventûs die tertia Februarii Officium S. Blaſii, cujus feſtum ratione Reliquiæ, magno Populi concurſu, in ipſorum Eccleſia cum ſola Miſſa cantata ob occurrentiam alterius Officii B. Ludovicæ Albertoniæ hactenus celebratum fuit, in poſterum ſub ritu duplici recitare, & Officium dictæ Beatæ Ludovicæ ad aliam diem transferre poſſint, & valeant. Die 3. Aug. 1726.

Ex Regeſto Secret. S. Congregat. menſ. & anni præd. fol. 420.

Feſtum S. Bernardi ob occurrentiam diei octavæ Sanctorum Martyrum Hippolyti & Caſſiani transferri, & die 21. Auguſti tanquam proprio à Fratribus Civitatis Toloſanæ celebrari indulgetur.

EXpoſito à P. Fratre Stephano à Caſtil-lar Provinciali Fratrum Minorum San-

cti

cti Franciſci Capucinorum Provinciæ Toloſanæ, quod à nonnullis Religioſis dicti ſui Ordinis Civitatis Toloſanæ Feſtum cum Officio S. Beroardi Abbatis, quod ob occurrentiam octavæ Sanctorum Martyrum Hippolyti, & Caſſiani Eccleſiæ prædictorum Fratrum Patrooorum, & ob ſupervenientiam Dominicæ ad aliam diem transfertur, ut plurimùm per oblivionem omittitur : propterea pro aſſignatione in poſterum diei 21. Auguſti tao quam propriæ pro recitatione Officii ipſius Saocti Bernardi, Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicatum ſuit ; & Sacra eadem Congregatio hojuſmodi Oratoris inſtaotiæ juxta petita anouendum eſſe cenſuit. Die 20. Martii 1728.

Ex Reg. Secret. Sac. Congr. pag. 254.

Officium & Miſſam de B. Seraphino à à Monte Granario quotannis 12. Octobris in toto Seraphico Ordine, Civitate & Dioeceſi Aſculana, ac in terra Montis Granarii celebrari annuitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

CUm attentâ approbatione publici cultûs vigore indultorum Apoſtolicorum B. Seraphino de Aſculo Ordiois Minorum Capucinorum præſtiti. *Vide tomo primo Bullarii pag. 194. reſiduum, ficut & alia Beatum hanc Dei Servum concernentia.*

In Eccleſia Conventûs Civitatis Placentinæ die 12. Octobris Officium de eodem B. Seraphino celebrari, & occurrens feſtum conſecrationis Eccleſiæ ad alium diem ab Ordinario deſignandum transferri conceditur.

PLACENTINA.

CUm, prout expoſitum ſuit, Feſtum Beati Seraphioi de Monte Granario in Civitate Placentina, in qua maxima erga dictum Beatum viget venoratio, à Fratribus Ordinis Capucinorum illius Civitatis die 12. Octobris minimè celebrari valeat, ratione occurrentiæ alterius feſtivitatis Conſecrationis eorumdem Eccleſiæ ; cumque ex parte P. Procuratoris Geoeralis dicti Ordinis pro translatione diei feſti Conſecrationis eorumdem Eccleſiæ præfatæ ad 22. dicti menſis, Sac. Rit. Congregationi humillimè ſupplicatum fuerit, traoslationem, ut ſoprà, petitam, ad diem ab Ordinario inpoſterum ſemel deſignandam, & ampliùs oon immutandam poſſe coocedi cenſuit. Die 10. Decembris 1729.

Ex Regeſto Secret. S. Congreg. menſ. & anni prædicti. fol. 552.

Officium & Miſſa de B. Fidele à Sigmaringa Protomartyre &c. toti Ordini Minoritano conceditur.

ORDINIS S. FRANCISCI.

CUm ex parte P. Maximiliaoi de Wanghena cauſæ Ordinis Min. Capucinorum S. Franciſci, & Canonizatioois B. Fidelis à Sigmaringa Poſtulatoris, pro extenſione officii prædicti Beati ad univerſum Ordinem S. Franciſci. *Reſid. vide tom. prim. Bullarii pag. 284. ubi & fol. 185. Decretum Urbis & Orbis de Elogio Martyrologio Romano inſerendo reperitur : Bulla autem Canonizationis ejuſdem Sancti Protomartyris infra in parte Supplementi dabitur.*

Pro ſervanda uniformitate à Fratribus Conventuum Provinciæ Tuſciæ ſub diverſis Statibus exiſtentium Officia Provinciæ conceſſa recitari indulgetur.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINC. HETRURIÆ.

SAcra Rituum Congregatio ad humillimas preces Patris Provincialis Ordinis Capucinorum Provinciæ Hetruriæ benigoè indulſit, ut ad ſervandam uoiformitatem in recitatione Officiorum Hetruriæ conceſſorum Fratres ſupradicti Ordiois trium Conventuum, quatenus ipſi ſint ſub aliorum Statibus, ſed in dicta Provincia, Officia Provinciæ Hetruriæ jam conceſſa inpoſterum recitare poſſiot, & valeaot. Die 9. Decembris 1730.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. fol. 77.

Occur-

Occurrentibus in Provincia Januenſi ad 24. Aprilis feſtis S. Georgii Martyris ſub ritu duplici primæ claſſis, & B. Fidelis à Sigmaringa pariter Mart. ſub ritu dup. maj., hoc ultimum ad 27. ejuſdem menſis transferri permittitur.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINC. JANUEN.

CUm ex parte Fratrum Ordinis Capucinorum Provinciæ Januen. expoſitum fuerit, quod Officium Beati Fidelis à Sigmaringa juxta Indultum Apoſtolicum die 24. Aprilis in dicta Provincia, ob occurrentiam alterius Officii S. Georgii ſub ritu duplicis primæ claſſis, minimè recitari valeat. Cumque modò pro translatione inpoſterum Officii dicti Beati Fidelis à Sigmaringa ad 27. præfati menſis Sac. Rit. Congregationi humillimè ſupplicatum fuerit, Sacra eadem Rituum Congregatio Oratorum inſtantiæ juxta petita annuendum eſſe cenſuit. Die 21. Januarii 1730.

Ex Reg. Secret. S. Congreg. menſ. & an. prædict. fol. 7.

Recitatio Officii de quinque Plagis D. N. J. Chriſti Monialibua Civitatis Pariſienſis quotannis in prima die Veneris Quadrageſimæ indulgetur.

CUm ex parte Monialium Capucinarum Civitatis Pariſienſis Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicatum fuerit, quatenus extenſionem Indulti ab ipſis in poſterum recitandi Officium qninque Plagarum D. N. J. Chriſti in prima die Veneris Quadrsgeſimæ, pront aliàs ſub annia 1658., & 1663. Monialibus prædictis elargitum ſuit, concedere dignaretur, Sacra eadem Rituum Congregatio hujuſmodi inſtantiæ, juxta petita, benlgnè annoendum eſſe cenſuit. Die 17. Januarii 1733.

Ex Reg. Secret. Sac. Congr. menſ. & anni prædict.

N O T A.

COnceſſiones, quæ ſuprà de annis 1658., & 1663. memorantur, fuerunt ſequentes: prima quidem,

Monialibus Capucinis de Paſſione nuncupatis cnixè inſtantibus, ut Sac. Rit. Congregatio eis facultatem tribuere dignaretur publicè recitandi qualibet prima feria ſexta Quadrageſimæ Officium quinque Plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Eadem Sac. Congregatio Apoſtolica Nuntio Galliarum, qui hujuſmodi inſtantiam ſuis ſtudioſiſſimis litteris commendaverat, reſcribendum eſſe cenſuit, quod ejus arbitria remitteretur, Officii prædicti recitationem, & forteſſis ad tempus, & non in perpetuum, Monialibus prædictis indulgere. Die 13. Julii 1658.

Secunda verò ſuit tenoris ſequentis:

Ad petitionem & preces R. P. D. de Piccolomineis, Archiepiſcopi Cæſareæ, S. Rit. Congregatio conceſſit ad quinquennium Monialibus Capucinis Pariſiis facultatem recitandi Officium quinque Plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti in prima die Veneris Quadrageſimæ, prout etiam aliàs die 13. Julii 1658. pariter conceſſerat. Die 16. Junii 1663.

Officium & Miſſa de Sanctiſſimo Redemptore ad univerſum Ordinem extenditur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

POrrectis à R. P. Fr. Bonaventura Barberino Miniſtro Generali, & P. Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, nomine etiam totius Deffinitorii ejuſdem Religionis, humillimis precibus, quibus ad magis promovendam devotionem erga Sanctiſſimum Redemptorem, pro extenſione in poſterum illius Officii proprii, & Miſſæ ad univerſum ſuum Ordinem pro Dominica tertia Julii, aliàs pro toto Dominio Reipublicæ Venetiarum conceſſi, enixè ſupplicatum fuit, illiſque per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Guadagni in Sacra Rituum Congregatione relatis, Sacra eadem Congregatio dictum Officium, & Miſſam juxta petita in univerſo præfato Ordine ſub ritu duplici majori recitari, & reſpectivè celebrari poſſe benignè indulſit, atque conceſſit. Die 12. Martii 1735.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario S. Rit. Congr.

NOTA.

PLures, etiam ex ipſis Noſtratibus, hoc Sanctiſſimi Redemptoris Officium in univerſa noſtra Religione celebrari mirantur: malè inde actum non crediderim, ſi tum ejus originem, tum motivum illius ad totum Ordinem noſtrum extenſionis ſubjungam. Sciendum proin eſt, quod anno 1577. contagioſa lues Civitatem Venetiarum invaſerit, & longa horrendaque ſtrage eam populo plenam in ſolitudinis figuram redegerit, quin vel humanæ prudentiæ conſilia, vel artis remedia ſævientis mali curſum cohiberent, vel etiam communes preces iracundiam Domini lenirent. Quapropter Aloyſius Mocenigus, tunc Sereniſſimæ Reipublicæ Princeps ſeu Dux, furorem Domini, voto publici templi, ſub titulo Redemptoris, conſtruendi, placandum eſſe, gravi ſermone in conſpectu Senatûs propoſuit: acceſſit & hic exemplò Principis conſilio, dieque conſtituto in Eccleſia S. Marci, votum vovit Domino, in publicis Senatûs tabulis ita expreſſum:

Ex his, quæ tam in Sacris litteris, quàm rerum humanarum hiſtoriis memoriæ tradita ſunt, facilè cunctis exploratum eſſe poteſt, Divini furoris flagella, quæ publicè in populos ſæviunt, vix unquam, præterquam publicæ pœnitentiæ, ac humilitatis exhibitione depelli. Quamobrem, cum Dei iram, gravi hoc pœnitentiæ flagello adverſus nos concitatam, luce clariùs ſpectemus, ſanè æquum eſt, ut præter ea, quæ ad morbum effugandum, in Urbe hactenus ſumma prudentia ſtatuta ſunt, publicæ orationes, ac ſupplicationes inſtituantur, quibus divina ab omnibus Clementia exoretur.

Idcirco Sereniſſimus noſter cum univerſo Magiſtratu ac conſilio diebus Jovis, Veneris, ac Sabbati in Eccleſia S. Marci ſimul convenient, ubi Sacro Miſſæ Myſterio celebrato ſupplicatio fiat, in qua Sanctiſſimum Domini Corpus per Urbem circumferetur, Sabbato verò ſuppli. catione peracta, Sereniſſimus Princeps publico totius Reipublicæ nomine votum emittat, quo Templum ſub Chriſti Redemptoris titulo ædificandum Deo ſpondeat, ut eò facilius Urbem ſua pictate à peſtilentia liberet. Qua die verò Urbi à contagio liberata fuerit, quotannis Sereniſſimus Princeps, ac Senatus Templum illud Chriſto Redemptori dicatum, omni pietate adeunto, ac in perpetuum tanti beneficii memoriam præſentes venerantor.

Quam acceptum in conſpectu Divini Throni fuerit appenſum anathêma, probavit effectus, *conſolatus* eſt enim Dominus miteſcente illico peſte Venetam *Sion*, *omneſque ejus ruinas: pulſatque Deſertum illius* novas *delicias*, *& ſolitudinem ejus*, *quaſi hortum Domini*. Hinc & Senatus indilatè ad votum explendum proceſſit, ſitu Conventui noſtro vicino ad fabricam ſelecto, tertio Maji ejuſdem anni primarium lapidem cum inſcriptione = *Ex pio ſolemni voto Reipublicæ, ad arcenda fulgura dirę peſtis, Redemptori Deo ſanctè dicatum, Gregorio XIII. Pont. Max. Venetiarum Duce Aloyſio Mocenigo, & Joanne Tarviſano Patriarchâ* 1577. poſuit, ædificium, pro quo aliàs ſumma decem millium aureorum duntaxat deſtinata erat; ex congenia Sereniſſimæ Reipublicæ in res divinas liberalitate, expenſo poſtmodum propè centum millium aureorum pondere, teſte noſtro Boverio *tom. 1. Annal. pag.* 815. abſolvit, illiuſque curam & adminiſtrationem Fratribus noſtris gratioſiſſimo delectu, & ſervatis ſervandis demandavit, ad quod & ſingulis annis, *qui redempti ſunt à Domino*, ſolemnitate maxima, Dominica 3. Julii, *revertuntur*, hymnis & canticis recolentes memoriam redemptionis ſuæ. Devotionem ut Fratres noſtri adaugerent, Sacræ Congregationi ſupplicârunt, ut prædictâ Dominica Officium Dedicationis recitandi, & in Miſſa collectam pro gratiarum actione addendi facultas ipſis concederetur, quam & obtinuerunt Decreto ſequenti:

Cum ex parte P. Provincialis Ordinis Capucinorum Provinciæ Venetæ Sac. Rit. Congregationi humillimè ſupplicatum fuerit, quatenus facultatem benignè concedere dignaretur, ut Officium Dedicationis Eccleſiæ ſub titulo Sanctiſſimi Redemptoris Civitatis Venetiarum, ab antiquo tempore à Reverendiſſimo Patriarcha jam conſeceratæ, impoſterum tertiâ Dominica menſis Julii, quâ, maximâ ſolemnitate, etiam cum interventu Sereniſſimi Ducis, ac totius Senatûs in memoriam liberationis à peſte, feſtum à Patribus Capucinis Civitatis præfatæ in dicta Eccleſia celebratur, recitari valeat, Sacra eadem Rituum Congregatio, attentis circumſtantiis in libello ſupplici expreſſis, Officium petitum pro prædicta die, arbitrio tamen Reverendiſſimi Patriarchæ ſemel aſſignanda, & nequaquam ampliùs immutanda, poſſe concedi cenſuit, & quod in Miſſa addi poſſit collecta pro gratiarum actione. Die 9. Auguſti 1721.

Ad novas eorumdem Fratrum inſtantias, fuerunt & ab eadem Sac. Congregatione lectiones propriæ approbatæ per Decretum ſequens:

Supra-

Supraſcriptas lectiones pro diebus ſecunda, quarta, & quinta, ac in Octava Sanctiſſimi Redemptoris, per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Gotti correctas, atque relatas, Sac. Rit. Congregatio ad humillimas preces Patrum Capucinorum Eccleſiæ ſub dicto titulo Civitatis Venetiorum approbavit, & à Patribus ejuſdem Ordinis præfatæ Civitatis per Octavam Sanctiſſimi Redemptoris inpoſterum recitari poſſe benignè indulſit, atque conceſſit. Die 28. Aprilis 1731.

Altiùs poſtmodum penſavit de hoc Officio Generale Ordinis Definitorium, illudque ad totam Religionem extendi congruum cenſuit, non tam, ut Ordo, qui in honore Templi communicaret, etiam in Officio laudis partem haberet, quàm ut feſtum Redemptoris, quod in Eccleſia Dei, ſub hoc titulo adhuc rareſcere noverat, univerſi Ordinis noſtri cultu dilataretur, ac in medio omnium noſtrorum Templorum eadem die in voce exultationis benediceretur ei, qui *redemit nos in Sanguine ſuo*, & *in tempore tribulationis multiplicavit in nobis virtutem ſuam*. Hinc & patefacto hoc ſuæ devotionis conſilio, Sac. Rit. Congregatio, petitam extenſionem ratam gratamque habuit Decreto antepoſito: & poſtmodum orationes quoque proprias in Miſſa recitari poſſe indulſit, ut ſequitur:

Ordinis Minorum Capucinorum.

AD humillimas preces Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capucinorum, nomine etiam totius ſuæ Religionis, porrectas, ac per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Georgium Spinula relatas, Sacra eadem Congregatio ſupraſcriptas Orationes proprias pro Miſſa Sanctiſſimi Redemptoris, jam pro toto Dominio Reipublicæ Venetiarum approbatas, inpoſterum etiam in univerſo præfato Ordine recitari poſſe benignè indulſit, atque conceſſit. Die 7. Decembris 1737.

In memoriam Seraphicæ Regulæ, ab Apoſtolica Sede 29. Novembris approbatæ, Feſtum Sanctorum trium Ordinum in dictum diem transferri, & econtra feſtum B. Delphinæ in 26. Novemb. anticipari conceditur.

CUm in tota Religione Capucinorum celebretur die 26. Novemb. Feſtum omnium Sanctorum trium Ordinum S. Franciſci ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis, & alterum B. Delphinæ Tertii Ordinis die 29. dicti menſis, in qua S. Franciſcus reportavit ab Honorio Papa III. confirmationem Regulæ, P. F. Bonaventura à Ferraria Miniſter Generalis dicti Ordinis ob tam inſignem memoriam, pro translatione inpoſterum feſti dictorum Sanctorum Trium Ordinum ad 29. Novemb. & pro anticipatione illius B. Delphinæ ad 26. dicti menſis, ſupplicavit, & Sac. Rit. Congregatio hujuſmodi Oratoris inſtantiæ juxta petita benignè annuit. Die 1. Martii 1736.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario *S. Rit. Congr.*

Fratribus Oppidi Novellaræ, in Officio Dedicationis S. Mariæ Angelorum, ſeu Portiunculæ, commemorationem diei octavæ de S. Anna Titularis Eccleſiæ facere permittitur.

RHEGIEN.

CUm Octava Sanctæ Annæ Tituli Eccleſiæ Patrum Capucinorum Oppidi Novellaræ Diœceſis Rhegienſis incidat in diem ſecundam Auguſti, in qua in tota Religione Minoritana celebratur ſub ritu duplici majori Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Angelorum cum Indulgentia de Portiuncula: & quia Octavæ, juxta rubricas, non transferuntur, Pater Procurator Generalis ejuſdem Ordinis pro facultate, ut inpoſterum in præfata Eccleſia die ſecunda Auguſti peragi poſſit in Officio, & Miſſa dictæ Dedicationis commemoratio Sanctæ Annæ, Sac. Rit. Congregationi humiliter ſupplicavit. Et Sac. eadem Congregatio petitam gratiam ratione Indulgentiarum, & Populi concurſûs concedendam eſſe cenſuit. Die 23. Junii 1736.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 97.

Electio B. Mariæ de Monte Serrato in Patronam Principalem, ac S. Eulaliæ in Patronam minus Principalem à Provincia Cataloniæ facta ratihabetur, & Officium cum Miſſa pro utroque feſto juxta ſtylum conceditur.

ORDIN. CAPVCINORVM PROV. CATHALONIÆ.

PRorectis ex parte Patrum Capucinorum Conventuum Provinciæ Matris Dei Cathaloniæ Sacræ Rituum Congregationi humillimis precibus, quibus pro approbatione Electionum Beatæ Mariæ de Monte Serrato in Patronam Principalem, & S. Eulaliæ in Patronam minus Principalem Conventuum Ordinis Capucinorum ſupradictæ Provinciæ, nuper ab ipſis in Capitulo Provinciali ſervatis ſervandis, ac legitimè factarum, necnon pro conceſſione Officiorum, nempe de Monte Serrato ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava pro die 8. Septembris, & de Sancta Eulalia ſub ritu duplici pro die 12. Februarii cum oratione, & lectionibus ſecundi Nocturni, jam pro Regnis Hiſpaniarum approbatis, illiſque relatis, Sac. eadem Congregatio electiones, ut ſuprà, factas approbavit, & prærogativas omnes Sanctis Protectoribus Principalibus, & minus Principalibus competentes cum Officio, & Miſſa juxta petita attribuit, atque conceſſit. Die 8. Martii 1738.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni præd. fol. 365.

NOTA

ET libellum ſupplicem à Provincia Sacræ Congregationi pro hac gratia præſentatum, vide *tom. v. Bullarii pag.* 327. quæ per errorem *numero* 329. notatur.

Similem quoque electionem in S. Joſepho à Provincia Franconiæ factam, & à Sac. Congregatione approbatam exhibet *tom.* IV. *fol.* 170.

Officia de Sanctis, quæ in fine anni ſuperſunt, non ampliùs ad annum ſequentem transferri, ſed in die proprio commemorationem de hujuſmodi Sanctis illo anno fieri debere ſancitur.

EX parte P. Joſephi à Vernio Ord. Min. Capucinorum ſupplicatum fuit pro declaratione infraſcripti dubii: *An Sancti, de quibus in toto anni decurſu celebrari Officium non potuit, transferendi ſint ad annum ſequentem, vel potiùs eo anno ſint omittendi?* Sac. Rituum Congregatio inhærendo alteri reſolutioni in ſimilibus datæ ad inſtantiam Reverendiſſimi Archiepiſcopi Hiſpalen. ſub die 26. Novemb. 1735. reſcribendum cenſuit: *Sanctos, qui in fine anni ſuperſunt, non eſſe ad annum ſequentem transferendos, ſed quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderandos eſſe tanquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut ſit in ſemiduplicibus, cum nona lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum lectionibus propriis ſecundi nocturni ad modum uniui.* Et ita declaravit. Die 8. Martii 1738.

Autog. in Secret. S. Rit. Congreg. menſ. & anni præd. pag. 365.

NOTA.

REgula ita conſtanter pro Ordine noſtro ſtabilita ne ex dubio quoad feſta duplicia, an ſcilicet & hæc eo anno, quo celebrari nequeunt, omitti debeant? reddatur minùs univerſalis, eam & hujuſmodi feſta duplicia comprehendere, Sacra Congregatio ſequenti declaravit Decreto:

Decreta, quę ſtatuunt, non eſſe tranſferendos ad annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſupererunt, intelligenda ſunt non ſolùm de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus, & locum habent, ſive ab accidentali, ſive à perpetuo occurrente impedito. S. R. Congreg. 16. Septemb. 1741.

A' diſpoſitione hujus Decreti, relati *pagina* 288. *num.* 41. inter Decreta Florentiæ anno 1743. impreſſa, P. Cavalieri feſta majora per annum præſervat, prout in ejus *tom.* I. *Comment. pag.* 520. *n.* IV. occurrente caſu videri poteſt.

RE-

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Miſſa & Officium proprium de S. Felice à Cantalitio ad totam Italiam, & Inſulas adjacentes extenditur, & reviſio orationis, lectionumque propriarum, ac diei aſſignatio Sac. Rit. Congregationi committitur.

Beatiſſime Pater.

BArtholomæus Cardinalis Ruſpolus, Ordinis Minorum Capucinorum S. Franciſci Protector, Orator humillimus, & Sanctit. Veſtræ Creatura cum omni obſequio exponit, qualiter Officium proprium, & Miſſa S. Felicis à Cantalicio Laici Profeſſi prædicti Ordinis ex Apoſtolicis indultis non ſolùm in univerſa Religione Capucina, ſed etiam Cantalicii in Diœceſi Civitatis Ducalis, in toto Dominio Reipublicæ Genuenſis, & Beneventi, quod eum in ſuum elegit Protectorem, de facto recitatur. Cumque à Poſtulatore cauſæ pro extenſione dicti Officii & Miſſæ ad Eccleſiam univerſalem ſan. me. Benedicto XIII. fuiſſet ſupplicatum, ſub 7. Febr. 1730. exiit reſcriptum, quod Illuſtriſſimus Dominus Promotor Fidei deſuper loqueretur. Cum autem ob ſubſecutam poſt paucos dies alteſati Pontificis mortem id fieri non potuiſſet, cumque devotio Fidelium erga præfatum Sanctum in tota Chriſtianitate evaſerit univerſalis, & ob continua miracula, quæ Deus ad illius interceſſionem operatur, quotidie augeatur, Orator Sanct. Veſtræ humillimè ſupplicat, quatenus extenſionem memorati Officii & Miſſæ ad Eccleſiam univerſalem extendere dignetur, & exaudiri ſperat, tum quod agatur de Sancto, quem cum ſpecialiſſima devotione omnis natio Catholica jam diu coluit, tum quod primus ſit prædictæ Religionis, de Eccleſia & fide Catholica tantò benemeritæ, & alium Sanctum in Kalendario univerſali deſcriptum non habeatis, tum, quod non ſolùm pro duobus aliis Sanctis eodem tempore à ſan. mem. Clemente XI. canonizatis, videlicet S. Pio V. & Andreæ Avellino, verùm etiam pro aliis Sanctis ſucceſſivè canonizatis, ſimilis gratia fuerit conceſſa. Si dein Sanctit. Veſtra circa hoc difficultatem haberet, in hoc caſu Orator pro extenſione dicti Officii & Miſſæ ad totam Italiam, & Inſulas adjacentes, ſaltem rogat, quemadmodum id ad petitionem, & ſupplices preces EE. DD. Cardinalium Pico & Columna (uti ex Decreto 18. Maji 1737. emanſto patet) pro Sancto Aloyſio Gonzaga poſteriùs canonizato conceſſit. Gratiam hanc &c.

Ex audientia Sanctiſſimi die 3. Octobris 1738.

Sanctiſſimus cenſuit ex particularibus circumſtantiis petitæ executionis Miſſæ & Officii proprii S. Felicis à Cantalicio Laici Profeſſi Ordinis Capucinorum pro tota Italia, & Inſulis adjacentibus tantùm; & commiſit Sac. Rituum Congregationi examen & reviſionem orationis, & lectionum propriarum; necnon deſtinationem diei pro ejuſdem Miſſæ & Officii recitatione.

L. de Valentibus S. Fidei Promotor.

Autog. in Arch. Gen. Ord. Arm. *S. Rit. Cong.*

NOTA

APprobationem Orationis & Lectionum pro Italia, & Inſulis adjacentibus ſpecialium, nec non deſignationem ad vigeſimam primam Maji exhibet Sac. Congregationis Decretum *tom.* 1. *Bullar. fol.* 215. extenſum.

Pro feſtis SS. Vincentii à Paulo, Gertrudis, & Joannis à Cruce perpetuò in Kalendario Provinciæ Bavaricæ impeditis, alium diem à præfatæ Provinciæ Patribus aſſignari conceditur.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINCIÆ BAVARICÆ.

NOn valentes Patres Capucini Provinciæ Bavaricæ recitare tria Officia, nempe, S. Vincentii à Paulo 19. Julii, S. Gertrudis 15. Novembris, & S. Joannis à Cruce 24. ejuſdem menſis, quæ in eorum Kalendario ab aliis Officiis perpetuò impediuntur; Propterea P. Provincialis ſupradictæ Provinciæ pro facultate, ut ab ipſis inpoſterum aſſignetur prædictis Officiis prima dies proxima non impedita, tamquam fixa, Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicavit. Et Sac. eadem Rituum Congregatio petitam aſſignationem à Patribus præfatæ Provinciæ fieri poſſe cenſuit. Die 21. Martii 1739.

Ex Regeſto Secret. S. Congreg. menſis & anni prædict. fol. 34.

Novum

Novum Ordinis Kalendarium cum quarumdam octavarum dimiſſione &c. approbatur.

Emi, ac Revmi Domini.

CUm ex repctitis Sacræ hujus Congregationis Indultis nimia excreverit in Kalendario Minoritano octavarum Sanctorum ejuſdem Ordinis numerus, itaut via remaneant in eo dies liberi pro reponendis in toto anni decurſu feſtis, ſeu Officiis translatis: quinimò etiam nonnulla feſta Kalendarii univerſalis faciant transferre, atque è propria die amovere.

Miniſter Generalis Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum, ejuſque Generales Definitores hæc attendentes, ſimulque huic octavarum propriarum nimietati, varias, ac multiplices incongruentias afferenti conſulere cupientes, humiliter ſupplicant EE. VV., ut Kalendarium proprii Ordinis (quod hîc exhibent) cum abraſione quarundam peculiarium octavarum, reſtitutione Sanctorum in proprios dies, collocationeque aliorum Officiorum, ad rubricarum rationem accomodatum, atque diſpoſitum, approbare dignentur, & ab omnibus præfati Ordinis Religioſis obſervari mandare, ac præcipere; ob quam gratiam &c. Ut Deus &c.

ORDINIS CAPUCINORUM.

CUm Fr. Bonaventura à Ferraria, Miniſter Generalis, Petrus Maria à Luca, Procurator Generalis, cæteriquc Definitores Generales Ordinis Minorum Capucinorum ex parte propriæ Religionis expoſuerunt, ob multiplices octavas in eorum Kalendario exoriri officiorum, & feſtorum impedimenta, adeoque humillimè ſupplicaverint pro dimiſſione dictarum octavarum, & mutationum approbatione, Sacra eadem Congregatio, audito prius voto R. P. D. Ludovici de Valentibus Fidei Promotoris, ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Belluga, Ponentis, dimiſſionem prædictarum octavarum à Religioſis præfati Ordinis prius recitari ſolitarum, & retentionem illarum tantùm, quæ in ſuprafcripto Kalendario continentur, nec non aſſignationem dierum pro Sanctorum feſtis celebrandis, prout in eo ſtatuuntur, approbavit, & ita inpoſterùm in univerſo præfato Ordine ſervari mandavit. Die 23. Januarii 1740.

Ex Regeſt. Secret. S. Congreg. menſis & anni præd. fol. 189.

N O T A.

SUbjungere hîc ipſum Kalendarium, prout à S. Congregatione fuit approbatum, ſupervacaneum judico, cum Noſtratum nullus ſit, qui illud in Breviario Ordinis ab anno 1740. impreſſo non reperiat extenſum. Prætermitti tamen non debet animadverſio, quod inſtantia à Religione pro ita reformato Kalendario facta validiorem, quàm crederetur, invenerit obicem in Scriptura cenſoria prævie S. Congregationi porrecta. Territa tamen, & otioſa non manſit Religio, ſed ineunctanter Scripturæ Scripturam oppoſuit. Quam utramque tum ob eruditionis complexum, tum ob alia plura, ſpeciali notâ digna hîc ſubnecto, & quidem primò primam, & in exceſſu Kalendario novo contrariam.

Quantùm laude dignus eſt Adm. RR. Patrum Capucinorum zelus in quærendo remedio incongruentiis, quæ in illorum Kalendario ob nimiam Officiorum propriorum pluralitatem occurrunt, quemadmodum in parte ii ipſi in foliis communicatis fatentur, ubi quoad octavas aſſerunt = *Quod hæ non ſolùm inter ſe colliſiones faciant, ſed etiam cauſent incongruentiam, quod ſemiduplicia aliquoties ad finem Decembris, vel extra annum debeant tranſferri &c. nonnulloſque Sanctos Kalendarii univerſalis à proprio die removeant, reddant magis anguſtos dies Sanctiſſimo Natali proximos, ita ut vel nunquam, vel rarò Officia currentium Feriarum, ad tantæ devotionis myſterium præparatoriarum celebrari poſſint eouſque, ut per annum vix diem ad recitandum Officium Defunctorum à rubricis ſemel in menſe præſcriptum relinquant liberum &c.*, tantùm videtur, quod remedium ab iis in diminuendis duntaxat octavis juxta novum Kalendarium exhibitum conſtitutum, & propoſitum, non ſufficiat ad tollendas incongruentias aliter, quàm quoad aliquas ſolùm ſuperficialiter, & pro annis paucis, quin è medio tollantur duæ illæ radices, quæ ſunt omnium incongruentiarum cauſa, & conſiſtunt primò in exceſſiva multiplicitate Rituum ſuperiorum ſecundæ claſſis, duplicis majoris, & minoris, vel paucitate ſemiduplicium, & ſecundò, in multiplicitate feſtorum ſecundariorum, & adventitiorum. Quod totum ſcaturit non tantùm ab ipſis Sacræ Congregationis conceſſionibus, quantùm ab antiquia abuſibus in Kalendarium Minoriticum, ante Breviarii Romani reformationem inductis, poſtmodum

modum retentis, & adauctis, quin unquam tale Kalendarium ad perfectam cum rubricis conformitatem juxta Decretorum generalium ſenſum, ac Sac. Rit. Congregationis, omniumque magis exactorum, & authoritate pollentium Rubriciſtarum mentem fuerit redactum; hinc jam à ſuo tempore celebris Rudolphus Tungrenſis in Libro *de obſervant. Canon. propoſ.* 17. *per totum*, poſtquam parſimoniam variorum Kalendariorum, & in ſpecie Chartuſiani, Ciſtercienſis, & Ordinis Prædicatorum commendâſſet, maturè ponderavit *contrarium Fratrum Minorum uſum*, quem multis reprobat, utpote ab antiquo Romano ordine prorſus aberrantem, quemadmodum & Guyetus *lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 9. obſervat.

Quapropter Sac. Rit. Congregatio, cui obſervantia Rubricarum, & Decretorum cum reductione Kalendariorum particularium ad uniformitatem ritûs Romani cordi eſſe debet, ſpeciatim in occaſione, qua nova Kalendaria cum conſenſu Religioſorum approbantur, hoc procurare debet, aut aliàs Kalendaria tantùm tollerentur, & relinquantur in ſtatu, in quo ſunt, quin ulterius approbentur.

Duplicia ſecundæ claſſis in hoc Kalendario Capucino circa viginti ſunt, Duplicia majora excedunt triginta, & totidem quaſi reperiuntur Duplicia minora, dum econtra Semiduplicia ſunt duntaxat tria. Dum econtra regula Rubriciſtarum cum Gavanto, & aliis fixa manet, quod, quò majora ſunt feſta, eò quoque rariora, minuſque frequentia eſſe debeant, prout fusè Guyctus *loc. cit.* comprobat, & demonſtrat, ubi merè duplicium hanc, ceu iis connaturalem, firmat ideam = *En tibi veram, genuinamque duplicium indolem, ut videlicet talia ſint, quæ parem diei Dominicæ populi conventum exigant. Et verò, an non illud æquiſſimum eſt, quandoquidem & ipſa Duplicia Dominicis præferuntur &c.*

Nec minor eſt incongruentia in ipſis ritibus, cum ſint aſſignati abſque regula, imò contra regulam omnium Rubriciſtarum, quorum res certa eſt, quod penes Eccleſiam ſeu Familiam magis diſtingui debeant ii Sancti, qui magis ad hujuſmodi Eccleſiam, vel Familiam ſpectant.

Jam in novo Kalendario Capucino obviat ritus ſecundæ claſſis conceſſus alicui Sancto, qui de Ordine Franciſcano non eſt, quin tamen ille concedatur Sancto Felici, qui de Familia Capucinorum eſt. Similiter ritus ſecundæ claſſis Martyribus Japponenſibus, merè Beatis, & Congregationis Diſcalceatorum Hiſpaniæ Alumnis attribuitur, & vice verſa B. Fideli à Sigmaringa, & B. Joſepho à Leoniſſa, qui ſunt propriè de Familia Capucinorum, conceditur duntaxat ritus duplicis majoris. Inſuper B. Seraphinus ejuſdem Capucinorum Familiæ collocatur inter duplicia minora, quin ratio poſſit penetrari.

Paſſim quoque videntur *Beati* aliarum Familiarum, etiam Tertii Ordinis, cum aſſignatione Duplicis majoris, & econtra Sancti Canonizati cum duplici minore; Alii quoque Beati qualificati, ceu *primi Ordinis*, *ſecundi Ordinis* in ipſo PP. Capucinorum Kalendario reperiuntur redacti ad ſemiduplex duntaxat, quando è contrario, ſtante quoque, quod inter Beatos, & Sanctos circa duplex minus non ſit ſolida differentia, maxima tamen hæc eſſe deberet circa alios ritus ſuperiores primæ, & ſecundæ claſſis, ac Duplicis majoris, cum hi magis diſtincti ritus à Rubricis aſſignentur ſolis Patronis, ideſt, Patronis principalibus ritus primæ claſſis, quaſi Principalibus ritus ſecundæ claſſis, & Secundariis ritus duplicis majoris, uti ex ipſis tabellis Breviario cum rubricis præfixis conſtat.

Jam, quemadmodum Decreta generalia Sacræ Congregationis anni 1630. poſtea ab Alexandro VII. confirmata, expreſsè prohibent, ne *merè Beati* eligantur in Patronos vel Principales, vel Secundarios, prout fuſius cum aliis Cardinalis Lambertinus explicat, ita intrinſecè prohibiti cenſentur *Beatis* ritus Sanctis Patronis proprii, ideſt, ritus primæ, & ſecundæ claſſis, & duplicis majoris.

Nec juvat allegare quoddam exemplum diſpenſationis à S. Sede factæ circa electionem cujuſdam *Beati* in Patronum, cum hujuſmodi exempla hucuſque rareſcant, nec fuerint conceſſa, niſi poſt formalem electionem Loci, vel Regni, ubi feſtum apparatu, concurſu, ac devotione, illi Patronorum conformi celebrabatur, quando econtra in Kalendario Capucino agitur de inducenda integra ſerie Duplicium majorum abſque ſpeciali, & feſtivo apparatu. Hinc talis ritus ad aliud non tendit, quàm ad fovendum abuſum, & ad hunc authenticandum cum nova & expreſſa Sanctæ Sedis approbatione, quando hucuſque fuerat duntaxat tolleratus.

Etſi etiam hujuſmodi ritus expreſsè foret conceſſus, abſurdum non erit, ſi ad regulas generales reducatur, poſtquam ob multiplicitatem palpatur incongruentia, quam eauſavit, & quam ipſi Patres Oratores confitentur, & quam magis in futurum cum creſcente numero *Beatorum* (quorum Religio Franciſcana non paucos habet) cauſabit per novum ſemper hujuſmodi abusûs augmentum, ſi ad opportunum remedium non cogitetur ſemel

pro

pro ſemper ponendum. Et quidem eò magis, cum ita ſit ſenſus tam Rubricarum, quàm Decretorum generalium circa *Beatorum* cultum, quem volunt limitatum, loco illius illimitati, ſolis Sanctis proprii, & quidem etiam quoad ritum, uti Gavantus *in Rubr. Brevior. fect. 1. c. 5. tit. 2. n. 12.* obſervat = *Sedes Apoſtolica quoad locum, tempus, ritum in Beatorum cultu limitatè procedit* = ubi & P. Meratus *in nov. obſervat.* = *Veriſimum eſt, quod Eccleſia limitatè procedit in cultu Beatorum tum quoad tempus, tum quoad locum, tum quoad ritum celebrandi eorum feſta, Miſſas, & Officia* = Militat Decretum anni 1630. de Beatis in Patronos non eligendis, & conſectariò ipſis non debet dari ritus duplex, Sanctis Patronis ſpecialis, uti dictum: militant Decreta 5. Octobris 1652. 1659. & 1660., per quæ picturæ Beatorum ſuper Altaris generaliter probibentur = *firmis remanentibus Decretis, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque* apud Meratum *tom. 2. in Ind. n. 361. & ſeq.* Lambertinum *tom. 1. p. 317. & ſeq.*, ubi notatur, quod à tempore Clementis XI. in Brevibus Beatificationis fuerit omiſſa, & omittatur clauſula = *tutò procedi poſſe ad Canonizationem* &c. Militat tandem Decretum anni *1736.* quo reſpectu Beatorum conceſſio Officiorum propriorum prohibita eſt.

Ex quibus Decretis, & proviſionibus clarè colligitur mens & intentio Sac. Congregationis ſemper magis reſtringendi, & limitandi cultum merè Beatorum, etiam ex motivo magis ſtimulandi Poſtulatores ad Canonizationes: hinc & eò magis neceſſarium creditur reducere ad reformationem etiam ritum, ipſis abſolutè non competentem, in quo ſi conceſſio facta ſit anterior Decretis prædictis, approbatio, quæ hodiedum expetitur, dictis Decretis eſt poſterior. Unde videtur, vel quod ad illorum normam Kalendarium regulari, vel quod in terminis puræ tollerantiæ, abſque nova approbatione relinqui, debeat.

Nec minor eſt incongruentia in dicto Kalendario quoad feſta ſecundaria, nam, quantùm congruit, ut feſta ſecundaria Sanctorum, Primariorum Patronorum, vel aliorum magis principalium, quæ ritu primæ, vel ſecundæ claſſis gaudent, uti in caſu noſtro ſunt feſta S. Franciſci, S. Claræ, S. Bonaventuræ, & S. Antonii Patavini, permittantur tantùm incongruum eſt, quod Sanctis inferioribus concedantur. Imò eoipſo, quod PP. Capucini aliorum Sanctorum octavas removerint, ſequitur, quod dum illos ceu Sanctos, aut principaliſſimos Patronos non amplius reſpicere volunt, etiam feſta ſecundaria omittere debeant, utpote ipſis non amplius competentia. Pro quo notari debet, quod Eccleſia univerſalis alia feſta ſecundaria, præterquam Beatiſſimæ Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Joannis, & Stephani Protomartyris, ceu primorum noſtræ ſanctæ Fidei Cardinum, celebrare non ſit aſſueta, prout Guyetus *lib. 1. cap. 8. per totum* obſervat, ubi in aliis terminis de feſtis ſecundariis, præter Sanctos Patronos, aut Principales non loquitur.

Eapropter omiſſis etiam aliis magis minutis obſervationibus Officiorum, quæ ob hujuſmodi rituum majorum, & Feſtorum impedimentum extra dies proprios vagari debent, ita ut nec cum diebus Kalendarii univerſalis, nec cum enuntiatione proprii martyrologii &c. concordare poſſint, videtur, quod bucuſque dicta ſufficere poſſint, ut S. Congregatio ponderare dignetur, non jam an poſſit, ſed an expediat ad Kalendarii Capucini approbationem procedere &c.

Oppoſitio hæc Illuſtriſſimi Scriptoris, ne vota Religionis noſtræ in Sac. Congregatione conſeſſu contraria impreſſione implicaret, extemplò fuit impugnata ſcripturâ ſequente.

Religio Capucina, quæ inter omnes alias in Eccleſia Dei juſto titulo ſe minimam reputat, ne ab aliis Minoritanis, cum quibus ſub uno Capite, & eodem Fundatore unum ſolum conſtituit Corpus, degeneret, nec deviet ab obſervantia illius præcepti, quod pari cum aliis zelo in Seraphica Regula profitetur = *Clerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem S. Romanæ Eccleſiæ.* Reg. c. 3., neceſſarium cenſuit reformare Kalendarium proprium eo modo, quo Sac. Congregationi exhibet, non quidem, quod Kalendarium ab ordine, & ritu S. Rom. Eccleſiæ aberret, aut à ritu Ambroſiano, vel Monaſtico dependeat, cum hoc expreſsè intentioni Seraphici Patris adverſetur, ſed ob motiva, quæ religioſo candore in præſentaria inſtantia exponuntur: nam, quamvis tali reformatione Religio omnes illas incongruentias, quas, qui dictum Kalendarium exactitudine ſua Perſona dignâ examinavit, in illo obſervavit, removere nequeat, non tamen negari poterit, quin per remotionem novem octavarum, per collocationem variorum Officiorum Kalendarii univerſalis in diebus propriis, & per liberum curſum feriarum, quas prædictæ octavæ occupabant, multæ dictarum incongruentiarum tollantur. Ex quo limpidò reſultat, quantùm reformatio talis Kalendarii, ſi approbetur, ad majorem ordinis Romani conformitatem conducat.

Pro-

Progredi pro melius accomodando Kalendario Capucino ad reductionem arctorum limitum, & ſenſum antiquorum Decretorum generalium (de quibus non pauca dicenda forent etiam reſpectu Kalendarii Romani) idem eſt, ac prætendere, ut in tali demum ſtatu perpetuò conſiſtat. Opus hoc eſt (Ut cum pace illius, qui id ſibi imaginatur, loquar) quod compleri non poteſt, quin procedatur ad exciſionem totalis derogationis, & deſtructionis omnium aliorum Decretorum poſteriorum, & hujuſmodi idææ contrariorum, & quin claudatur porta omnis ulterioris conceſſionis ritûs, & Officii pro tempore futuro. Ad quod faciendum nec Sacra Congregatio, nec Summi Pontifices ſe ligari, nec propriam ipſorum ſummam authoritatem cum hiſce limitibus reſtringi permittent, cùm illam omni lege antiquæ Rubricæ, vel Decretorum jam promulgatorum ſuperiorem recognoſcant.

Advertitur effectivè, quod juxta variationem temporis, etiam variatæ ſint diſpoſitiones Kalendariorum, rituum, & multi errores, qui tempore antiquo currebant immunes, hodiedum reperiantur eliminati. Veteres Legislatores rerum Eccleſiaſticarum circumſtantias rerum futurarum prævidere non poterant; ex quo ſequitur, quod Sacra Congregatio, & Summus Pontifex *pro tempore* novis, & magis diſcuſſis rationibus aliquoties ad res aliter regulandas moveantur. Quod non eſt nova temporis noſtri diſpoſitio, ſi credere velimus id, quod Eminentiſſimus Bona in ſuo tractatu rerum Liturgicarum *lib. 1. c. 5. n. 3.* ſcriptum reliquit = *Creſcente Fidelium numero cæperunt Apoſtoli Lectiones, preces, cæremonias adjicere, quibus & Sacrificii dignitas clariùs eluceſceret, & major ipſi veneratio conciliaretur, pietaſque fidelium, ac fervor magis accenderetur* = & idem ipſum de Officio Divino, ritu, & Kalendario dici poteſt. Multiplicitas rituum ſecundæ claſſis, & Duplicium majorum, quæ in noſtro obſervatur Kalendario, à Sede Apoſtolica Ordini FF. Minorum non fuit conceſſa abſque ſpeciali intuitu meriti, & characteris cujuslibet Sancti, vel Beati, ſi aliàs quis Sacram Congregationem, aut Sanctam Sedem de exceſſu reprehendere nolit: nec etiam ipſis FF. Minoribus imputari poteſt, quod pro eorum arbitrio in Kalendario ſuo hujuſmodi ritus poſuerint. Interim per errorem dictum eſt, quod primo, & propriiſſimo noſtræ Reformationis Sancto, videlicet Felici à Cantalicio, in Kalendario non fuerit datus ritus diſtinctus.

Mos gradatim elevandi ritum Sanctorum in Kalendario Romano, tempore antiquo practicatus, laudabilis videbatur, juſtumque ſuum habebat motivum; nam pro ratione, quo devotio, & cultus populi erga Sanctos extendebatur, S. Sedes ad ritum eorum elevandum incitabatur. Hoc idem cum tali rigore magis moderno noſtro tempore practicare, viſum non fuit expedire, cum nec ſtatutum, nec lex, cui contraveniatur, adſit. Nec neceſſariùs poſtmodum judicatus eſt hujuſmodi rigor reſpectu illorum Sanctorum, qui cultum ſuum inter Ordinis Regularis limites coarctatum habent, cum à benignitate S. Sedis, in ſuis conſiliis ſemper liberæ & providæ, ipſis eodem tempore illa ritûs diſtinctio aſſignetur, ad quam in temporis progreſſu poſſent aſcendere, & hoc in finem, ut, ubi cultus eſt reſtrictus, honor ritûs ad minus ſit competens.

Ad quod notari debet id, quod Guyetus ſcribit = *In nullo magis Eccleſiæ alicujus decus eminere, quàm ſi talibus Sanctis referta ſit, quorum celebritas duplicis gradum quocumque tandem legitimo ſibi titulo vindicet, cujuſmodi ſunt Sancti plurimarum ſedium Antiſtites, aliique Locorum Naturales inſignioris notæ, aut quorum inſignes habentur Reliquiæ. Item primarii Ordinum Profeſſores, aut Inſtauratores.*

Attendi non debet, quod in noſtro Kalendario Beati Martyres Japonenſes ritu ſecundæ claſſis gaudeant, cum ſciatur, quod illorum cauſa Canonizationis jam ſit terminata, & pro ultima ſolemni ejus functione emanatum Decretum = *Sacrorum Rituum Congregatio ad eorum Canonizationem deveniri poſſe decrevit* = prout in ipſorum legitur hiſtoria. Hæc autem ultima formalitas ad effectum non fuit deducta vel ex impotentia illius, qui expenſis debebat ſuccumbere, vel ex alio accidente; hinc hi Beati Martyres debent habere ritum parem aliis Beatis, quorum cauſæ in ſuo ſunt curſu, vel derelictæ habentur, aût qui per Beatificationis æquivalentiam Beatorum titulo coluntur.

Quo non obſtante, ſi Sacra Congregatio in hocce caſu aliqualem ritûs moderationem inducere velit, Religio Capucina prudentiſſimo illius judicio circa hujus determinationem ſe remittit, præſertim intuitu quorumdam Sanctorum, aut Beatorum Ordini noſtro minus propriorum, prout ſunt illi Tertii Ordinis de Pœnitentia, de quibus tamen dici non poteſt, quod ad Ordinem non ſpectent, cum ab hoc ad hunc ſtatum ceu Filii ejuſdem Inſtitutoris, & Patris fuerunt admiſſi.

Circa Sanctos, & Beatos primi Ordinis, juſtum & rationabile videtur, ut iiſdem prærogativis, quibus in PP. Conventualium, aut Obſervantium, aut cujuſcunque alterius Reformationis Kalendario gaudeat, etiam in noſtro potiantur, & quidem non ſolùm

propter uniformitatem poſſibilem dicti primi Ordinis in eo, quod concernit Sanctorum propriorum cultum, verùm etiam ne dividatur gratia, quam Sancta Sedes cum Decretis cumulativis, & ſine ulla diſtinctione univerſo FF. Minorum Ordini æqualiter conferre dignata eſt.

Multiplicitas conceſſionum, aut Officiorum in noſtro Kalendario notata, ab altero non procedit, quàm à multiplicitate Sanctorum, vel Beatorum, qui temporis progreſſu à S. Rom. Eccleſia cultum ſnum obtinuerunt. Hoc idem autem ſuccedit reſpectu Kalendarii Romani, &, quamdiu Canonizationes Sanctorum inſtituentur, adaugeri non ceſſabit. Verum quidem eſt, quod in noſtro Kalendario Officia, & Feſta Sanctorum majorem conficiant numerum, cum illis Eccleſiæ univerſalis adjungantur propria Ordinis, ſufficit tamen ad hoc, ut numerus ſit juſtificatus, & quod omnes conceſſiones ſint legitimæ, & tandem, quod in facie ſolemnis, & univerſalis Decreti, à S. Congregatione promulgati, à s. m. Urbano VIII. approbati, & in fronte Breviarii collocati nihil in dicto Kalendario ſit reprehendendum. De cœtero *è re omnino ac dignitate eſſe alicujus Eccleſiæ*, Guyetus *lib. t. c. 1. queſt. 19.* aſſerit, *plurimis propriis feſtis abundare, ſi ea verè illius Eccleſiæ propria ſunt*, hoc eſt, ſi Sanctos omnes illos, quorum feſta recolit, utero ſuo conceptos, ac in ſinu veluti educatos, Cœlo tandem ipſa pepererit; cui enim Matri ſummæ gloriæ non ſit tam fauſta fœcunditas?

Omnia Feſta, vel majoris vel minoris ſint ritûs, collocata ſingillatim in noſtro Kalendario in diebus ſuis, & juxta rubricas Breviarii Romani diſpoſita, inter ſe non faciunt colluſionem, nec cauſant incongruentiam, nec impediunt ferias magis venerabiles, nec alias intra annum &c. Hoc autem dici non poſſet, ſi manerent intactæ octavæ, quas Religio de Kalendario tollere ſtatuit, cum hæ ſequelam multorum dierum impeditorum ſecum portent.

Quantùm ad Officia, Ordini noſtro non propria, in noſtro Kalendario unica & ſola octava Magni Patriarchæ Dominici, quæ à Sacra Congregatione ſub 11. Julii 1693. ad nos Capucinos fuit extenſa, numerari poteſt, ſique hujus conceſſionis ponderentur motiva, nullus deſuper mirabitur; ſicut mirari nullus debet, quod Ordo Prædicatorum vice versâ & modo ſpeciali Feſtum Glorioſi noſtri Patris Sancti Franciſci celebret, & per hoc in Filiis unius, & alterius ſuave illud ſpiritualis amicitiæ vinculum, quo in vita corda Magnorum horum duorum Patrum erant ligata, exemplariter continuetur.

Multiplicitas tandem Feſtorum ſecundariorum in noſtro Kalendario cenſurata, ad alterum non reducitur, quàm ad quaſdam paucas translationes Sanctorum primariorum Proſeſſorum noſtri Seraphici Inſtituti, quibus juxta prælaudati Guyeti judicium, ceu Patronis minus principalibus debetur cultus à communi aliorum Sanctorum diſtinctus, & conſequenter incongruum non eſt, quod à Sancta Sede Religioni facultas fuerit conceſſa celebrandi feſtum eorum translationis, per quod plerumque refricatur memoria cujuſdam prodigioſi ſucceſſûs, qui in oblivione non debet relinqui. Eò majore autem ratione in noſtro Kalendario hæc feſta Translationum Sanctorum celebriorum intacta manere debent, quod occaſione reformationis Kalendarii illorum octavæ tollantur, & proin per celebrationem eorum Translationum aliqualiter extenſio illius cultûs, qui abraditur, ſuppleatur.

Quantumvis in Kalendario Romano pauca Sanctorum feſta ſecundaria numerentur, in particularibus tamen Diœceſium, vel Religionum ſunt multa, & meritò approbata. Ad quid proin conduceret tollere ea de noſtro Kalendario duntaxat, ſi cum Decreto univerſalis revocationis non tollerentur ab omnibus? Digna hic eſt animadverſio, & authoritas Guyeti *lib. 18. q. 3. c. 1.* dicentis = *Omnium Feſtivitatum hujuſce generis potiſſima, ac uſitatiſſima eſt Translatio, qua videlicet recolitur memoria Corporis Sancti alicujus olim ex uno loco in alium ſolemni apparatu deportati, cujuſmodi Translationes numero 22. recenſentur in Martyrologio Romano.*

Inſignis hic Author ad favorem feſtorum ſecundariorum, ſpeciatim Translationum, multa profert, imò excedere videtur dicendo, quod hujuſmodi feſta ab Epiſcopis poſſint inſtitui, *ubi ſup. q. 7.* Aſſertio hæc eſt, quæ Romæ non placet: tantùm tamen, dum dicit, plurimum noſtrum juvat propoſitum, ita, ut perſuadeamur *à fortiori*, quod majore ratione nos illa à S. Sede conceſſa, & à Papa confirmata celebrare valeamus, & conſectariò à Breviario noſtro ex quacunque cauſa ſive ab antiquis ritibus, ſæpius repurgatis, aut mutatis, ſive à Scriptoribus, venerandis licèt, & æſtimatis, à paucis tamen, attentis temporum circumſtantiis, & viciſſitudinis neceſſitate acceptatis proveniente, deleri non poſſint.

Quod FF. Minores poſt Breviarii Romani reformationem, aliquos antiquorum abuſuum in illorum retinuerint Kalendario, & ideo hoc ceu ab antiquo ordine Romano aberrans reprehenſione dignum ſit, facilè quidem cum authoritate extrinſeca ad manum dici-

tur,

tur, non tamen ita facile erit adducere deſuper exempla, & probationes. Si ergo noſtrum Kalendarium Minoriticum cum ordine Romano non conſonet, conſonabunt eam Ciſtercienſe, Carthuſianum, Dominicanum, ceu ſupra noſtrum exaltata? Scitur, quod Tungrenſis poſt traductum FF. Minorum ritum, ceu illi Eccleſiæ Romanæ non conſonantem, à veritate poſtmodum fuerit compulſus ad ita ſcribendum = *Sciendum tamen, quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de Gente Urſinorum, qui cœpit anno Domini MCCLXXVII. & Palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Miſſalia, & alios Libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero Eccleſiæ Urbis uterentur libris, & Breviariis Fratrum Minorum, unde hodie in Roma omnes Libri ſunt novi & Franciſcani.* Ita ille *lib. de Canon. obſerv.* Quod refertur ad id, quod Author iſte jam ſupra dixerat = *Hodie omnium credulitas, & opinio divulgatur, quod nulla ſervent ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, niſi Fratres Minores, nec aliquorum, niſi in ipſorum Breviariis, & Libris continetur, ex eo, quia B. Franciſcus in Regula præcipit, at Clerici faciant Officium Divinum ſecundum dictum Ordinem, ubi Breviaria habere poſſint.* Et quamvis contrarium à ſe repertum aſſerat, fama tamen communis non poteſt minui à teſte ſingulari, quantumque omni exceptione majore.

Species dein meræ tollerantiæ, quæ pro noſtro Kalendario ſuggeritur, non videtur, qualiter verificari poſſit in diſpoſitione feſtorum, & Officiorum ab eo, qui legitimam habebat facultatem, approbatorum. & quidem *non ſeorſim*, ſed generaliter approbatorum, cum octavis in Kalendario ipſo, uti in Regeſtis S. Congreg. Rituum ſub 8. Februar. 1728. videre eſt.

Omnia hæc dicta ſint non ad oppugnandas ſapientiâ & zelo plenas obſervationes illius, qui noſtrum examinavit Kalendarium, ſed duntaxat ad tollendam quamcunque umbram repugnantiæ, quam Sacra Congregatio in illo approbando habere poſſet. Quod à ſacro confeſſu, & ejus ſumma benignitate Religio Capucina ſperat, & pro gratia habebit.

Quam Deus &c.

Feliciter res ſuccеſſit, ſaltemque Decreto antepoſito Kalendarium approbatum.

Feſta Dedicationis Eccleſiarum Conventuum Viennæ ad S. Udalricum, & Waythoviæ ad Thajam ad alios dies transferri indulgetur.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINCIÆ AUSTRIÆ, ET HUNGARIÆ.

CUm in duabus Eccleſiis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Provinciæ Auſtriaco-Hungaricæ, feſtum Dedicationis celebrari minimè valeat, nimirum Viennæ ad S. Udalricum, ubi idem feſtum incidit in diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & Waythoviæ ad Thajam, ubi dies octavæ ſemper incidit in Dominicam Pentecoſtes, P. Fr. Sanctus Gmunden. dicti Ordinis, & Provinciæ Miniſter Provincialis, ac Miſſionis Præfectus Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicavit, quatenus prædictum feſtum Dedicationis Viennæ ad S. Udalricum ad Dominicam immediatè ſequentem infra octavam commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & alterum Waythoviæ ad Thajam ad Dominicam quintam poſt Paſcha transferre dignaretur. Et Sac. eadem Congregatio pe-

titas translationes pro diebus ab Ordinariis deſignandis, & nunquam inpoſterum mutandis concedendas eſſe cenſuit. Die 22. Aprilis 1741.

Ex Reg. Secret. S. Congr. menſ. & anni prædict. fol. 284.

NOTA.

VIa eſt Ordinis Provincia, quæ in occurſu hujuſmodi Dedicationis cum alio feſto ad S. Rit. Congregationem recurrere non debuerit, & Decretum antepoſitu reſpectivè ſimile non obtinuerit. Inter hos numerari poſſunt Convenſus Civitatis Ducalis, Civitatis Mutinenſis, Œnipontanus, Cathacenſis &c. &c.. Ne autem hujuſmodi Decretis in ſubſtantia iiſdem hæc prima tomi pars nimium intumeſcat, & Autographa illorum in omnibus reſpectivè Conventibus aſſervari mihi perſuadeam, pauca hîc inſerere, & cum hoc ultimò ea, quæ Sac. Congregatio in hujuſmodi occurſu impræſentiarùm reſcribere conſueſcit, aliis Conventibus ad inſtructionem & regulam relinquere volui.

Lectiones univerſo Ordini RR. PP. Conventualium pro Officio diei feſti S. Ludovici Epiſcopi Toloſani jam conceſſas Breviario Ordinis noſtri inſeri, ac imprimi indulgetur.

ORDINIS MIN. CAPUC.

SAnctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV. ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Ordiois Capucinorum benignè indulſit, ut ad normam Kalendarii ejuſdem Ordinis à S. Rit. Congregatione noviſſimè reformati, & approbati, ſupraſcriptæ Lectiones propriæ ſecundi nocturni eum oratione pro Officio diei feſti S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, jam univerſo Ordini Minorum Conventualium conceſſæ, in Breviario præfati Ordinis ioſeri, & imprimi poſſint, & valeant. Die 5. Maji 1741.

Authog. in Arch gen. Ord. Armario S. Rit. Congregatio.

Modus recitandi Officium diei feſti Dedicationis Eccleſiæ ſub titulo S. Mariæ *del Pilar*, ac per totam octavam Monialibus Civitatis Oſcenſis præſcribitur.

OSCEN.

AD humillimas preces nomine Monialium Capucinarum Monaſterii S. Mariæ *del Pilar* Civitatis Oſcen. ſupplicantium pro aſſignatione Officii diei Feſti Dedicationis ipſarum Eccleſiæ ſub titulo Sanctæ Mariæ *del Pilar*, ac per totam octavam Sac. Rituum Congregationi porrectas, atque relatas, Sac. eadem Rituum Congregatio benignè conceſſit, ut Moniales prædictæ in Feſto Dedicationis Eccleſiæ Officium, & Miſſam B. M. V. prout in die 5. Auguſti feſtivo Sanctæ Mariæ, exceptis lectionibus ſecundi Nocturni, pro quo ſumantur lectiones ab Officio Sanctæ Mariæ, in Sabbato de menſibus Maji, Junii, & Julii, ſub ritu duplici primæ claſſis eum octava inpoſterum recitare poſſint, & valeant. Die 11. Julii 1742.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congr. menſis & anni prad. fol. 378.

A' Fratribus Civitatis Perufinæ feſtum SS. Cornelii & Cypriani à propria die perpetuò amotum, die 22. Septembris, licet ſeptimo infra octavam Dedicationis, ſtatè celebrari non improbatur.

PERUSINA.

FR. Bernardus à Tipherno modernus Guardianus Conventûs Capucinorum Civitatis Perufinæ, quatenus ad tollenda jurgia inter Fratres Choriſtas præfati Conventûs exorta circa Translationem Feſti SS. Martyrum, & Epiſcoporum Cornelii, & Cypriani occurrentis die 16. Septembris cum Feſto Dedicationis ejus Eccleſiæ Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicavit pro declaratione infraſcripti dubii, nempe:

An Officio Sanctorum Martyrum, & Pontificum Cornelii & Cypriani dies 22. Septembris, ſeptima octavæ Dedicationis, ut non impedita ab alio Feſto, aut alia noo impedita poſt octavam ejuſdem Dedicationis, aſſignanda ſit?

Et Sacra eadem Congregatio audito prius Voto unius ex Apoſtolicarum Cœremoniarum Magiſtris reſcribendum cenſuit.

Feſtum Sanctorum Cornelii, & Cypriani à propria die perpetuo amotum, die 22. Septembris, licet ſeptima infra octavam Dedicationis, ſtatè celebrari deinceps poſſe non improbatur. Et ita &c. Hac die 28. Novembris 1744.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſis & anni prædict.

In Provincia Rhegienſi ulterioris Calabriæ 16. Nov. feſtum B. Salomeæ, & 17. ejuſdem S. Gregorii Thaumaturgi celebrari indulgetur.

PROVINCIÆ REGIEN. ULTERIORIS CALABRIÆ.

CUm P. Provincialis Capucinorum Sancti Franciſci Ulterioris Calabriæ expoſuerit in eâdem Provincia venerari corpus S. Gregorii Thaumaturgi, ac per Decretum Sacræ Rituum Congregationis recitari die 17. Novembris ejus Officium ſub ritu dupliei: Cumque eâdem die in Kalendario Ordinis Capucinorum aſſignatum reperiatur Officium B. Salomeæ Virginis pariter duplex;

plex, propterea Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicavit, quatenus Oratori facultatem benignè impertiri dignetur, ut in Conventibus memoratæ Provinciæ recitari valeat à ſuis Religioſis die 16. Novembris Officium B. Salomeæ, & die 17. ejuſdem alterum S. Gregorii Thaumaturgi; Sac. eadem Congregatio gratiam petitam Oratori concedendam eſſe cenſuit. Hac die 27. Martii 1745.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congr. menſis & anni præd.

Feſta S. Walburgæ, & S. Cunegundis ex Sanguine Bavariæ, diebus non impeditis, more Diœceſano à Provincia Bavariæ recitari annuitur.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINCIÆ BAVARIÆ.

EXponente P. Provinciale Ordinis Capucinorum Provinciæ Bavaricæ, quod in dicta Provincia colunt Feſta S. Walburgæ, & S. Cunegundis &c. ex genere & ſanguine Bavarico. Cumque in dictis diebus feſtivis Fratres Capucini ejuſdem Provinciæ feſtum Ordinis aliquoties celebrandum non habeant, Sac. Rit. Congregationi demiſsè ſupplicârunt, quatenus ipſis facultatem celebrandi dicta Feſta ritu & more Diœceſano, quando incidunt in dies non impeditos, benignè indulgere dignaretur; Et Sacra eadem Congregatio Oratoris inſtantiæ juxta petita benignè annuit hac die 6. Julii 1746.

Ex Regeſto Secret. S. Congr. menſ. & anni præd.

In Conventu Tugienſi die 2. Auguſti Feſtum Dedicationis S. Mariæ Angelorum, vulgò Portiunculæ, ad ritum duplicis ſecundæ claſſis elevari, & die dicto cum commemoratione diei octavæ S. Annæ Patronæ recitari indulgetur.

CONSTANTIEN.

ADenixas preces porrectas nomine Patris Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum humillimè ſupplicantis pro indulto favore Religioſorum ſui Ordinis Conventûs Tugienſis Provinciæ Helveticæ recitandi die ſecunda Auguſti quotannis Officium Feſti Dedicationis S. Mariæ Angelorum, quod vocant Portiunculæ, cum commoratione diei octavæ S. Annæ, licèt hujus feſtum cum octava tanquam Patronæ Eccleſiæ prædicti Conventûs Tugienſis ſub ritu ſuperioris claſſis recolatur. S. Rit. Congregatio, attentis peculiaribus circumſtantiis, in caſu, de quo agitur, concurrentibus, benignè reſcripſit pro gratia, prævia elevatione Feſti præfatæ Dedicationis à ritu duplicis majoris ad duplicem ſecundæ claſſis. Hac die 19. Aprilis 1748.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congr. menſ. & anni prædicti.

NOTA.

SImile indultum obtinuit ſub 8. Martii 1749 Conventus Provinciæ Styriæ Leopolienſis in Carniola.

Lectiones ſecundi Nocturni Officii de S. Joſepho à Leoniſſa propriæ pro omnibus locis & Eccleſiis, quibus Officium de Sancto prædicto conceſſum eſt, approbantur.

ORDINIS CAPUCINORUM.

ENixis precibus Patris Procuratoris Generalis Ordinis S. Franciſci Capucinorum Sac. Rituum Congregationi porrectis, ac per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem de Gentilibus relatis, Sacra eadem Congregatio, audito prius R.P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, ſupraſcriptas Lectiones ſecundi Nocturni propriæ pro Officio diei Feſti S. Joſephi à Leoniſſa diligenter reviſas, atque examinatas, prout jacent, benignè approbavit, ut tam in univerſo Ordine Capucinorum, quàm in iis locis, & Eccleſiis, quibus Apoſtolica Sedes idem Officium, & Miſſam conceſſit, inpoſterùm recitari valeant. Die 7. Septembris 1748.

Autograph. in Arch. Gen. Ord. Armario *S. Rit. Congr.*

In

In Ecclesiis FF. Capucinorum Italiæ sub titulo S. Mariæ Angelorum dedicatis, 2. die Augusti Officium cum Missa de B. V. Maria titulari, prout in Festo ad Nives, præter lectiones secundi Nocturni &c. juxta alia Decreta recitari debere sanciturr.

ORDINIS CAPUCINORUM PROVINC. ITALIÆ.

HUmillimis precibus P. Provincialis Capucinorum Provinciæ Calabriæ tam suo nomine, quàm aliorum sui Ordinis Provincialium Italiæ Sanctissimo Domino Nostro porrectis, & ab eo ad Sac. Rituum Congregationem remissis, quibus supplicat pro declaratione Dubii = *An in Ecclesiis Capucinorum Italiæ sub titulo S. Mariæ Angelorum dedicatis fieri debeat die 2. Augusti Officium cum Missa de B. Maria Virgine, prout hactenus servatum fuit, vel potius Festum S. Mariæ Angelorum sit celebrandum die Assumptionis ejusdem?* Sac. Congregatio, re maturè discussâ, ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Alexandri Albani referibendum censuit *servari solitum*, nempe in casu proposito die 2. Augusti faciendum esse Officium cum Missa de B. M. V. Titulari Ecclesiæ, prout in Festo ad Nives, præter lectiones secundi Nocturni, quæ sumendæ sunt ex secundo Nocturno Nativitatis B. Mariæ mutato verbo *Natali* in verbum *Festivitate*, juxta Decretum editum die 10. Junii an. 1690. Et ita decrevit die 7. Septemb. 1748.

Ex Regest. Secret. S. Congr. mens. & an. præd.

MONUMENTA,
ET DECRETA GENERALIA

Servos Dei cum Sanctitatis aut Martyrii fama defunctos quoad eorum Beatificationem, & Canonizationem concernentia.

ANIMADVERSIO

Deliberato consilio cum Monumentis, & Decretis prædictis defecto à materia Ordinem Capucinum specifice tangente, eoipso tamen, quod illa generalia sint, & in Ordine nostro non rarus illorum occurrat usus, Anterioribus Decretis, quæ ex parte cultum jam Beatificatorum, vel Canonizatorum afficiunt, dignè & ad plurium Fratrum nostrorum instantias subnectuntur.

Recedit Ordo Capucinus hucusque ab illorum exemplo, qui Alumnos suos Sanctitatis famâ, & miraculorum gloria illustres ad Sacri Altaris honores promoveri, vel in Apotheosin referri detrectant, vel, ne Sancti in Ordine suo aliqualiter vilescere videantur, vel, ne frequens Canonizatio hujus existimationem apud vulgum diminuat, vel, ne Religiosa Solitudo accurrentis populi multitudine in illorum Cœnobiis perturbetur, & proin id ipsum hisce Ordinibus universim applicari queat, quod Theophilus Raynaldus operum tom. 9. in S. Brunone punct. 10. §. 2. *de Ordine Carthusiano singillatim commendat* = non tam sollicite sunt Sanctos suos patefacere, quàm multos Sanctos facere. *Sicut autem utrumque facere multò perfectius esse videtur, ita alii Regulares Ordines non tantùm Sanctos in suæ religiosæ perfectionis sinu genuisse, & lacte Sanctitatis cibâsse gestiunt, sed etiam eos in memoria sæculorum Vivos, & Sacro honore insignitos conservare quærunt, tum, ut illorum exemplo posteræ ætas ad imitationem illarum præsertim virtutum, in quibus claruêre, provocentur, tum, ut etiam in terris, ubi locus agonis, & campus certaminis extitit, laboris mercedi, & luctæ corona recipiatur, ac gloriæ essentiali, quâ gaudent inter comprehensores, correspondeat accidentalis inter Viatores, tum, ut Ecclesia militans in præmio Sanctorum exultet*, & Rex sempiternæ Majestatis & gloriæ (*quemadmodum in Bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara memoratur*) in Sanctorum concilio glorificetur, divini cultûs observantia augeatur, Fidelium pietas & devotio excitetur, detestandæ hæreses magis magisque convincantur &c. *Meliora horum Religiosorum Ordinum charismata æmulans Religio Capu-*

pucina Fratres illos, quos mirabilis in Sanctis ſuis Deus donis ſupernaturalibus cumulavit & diſtinxit, triviali aliorum cineri commiſceri, ac in terra oblivionis ſepeliri placulum ſibi ducit; hinc jam à ſuo initio de debito illorum honore ſollicita, geſta eorum exactè colligere, pluresque cauſas, de quarum nonnullis opus Bullarii vagam præbet notitiam, ad Sac. Congregationis cenſuram portare ſategit. Id etiam & tantum effecit, ut intra 40. annorum ſpatium tres Sanctos, videlicet Fidelem à Sigmaringa, Sac. Congregationis de Propaganda Fide Protomartyrem, Joſephum à Leoniſſa, ac Felicem à Cantalicio Laicum, Confeſſores, Eccleſiæ Dei ſe dediſſe meritò gloriari poſſit. Notatus quoque jam eſt in Canonizandorum albo Beatus Seraphinus à Monte Granario, apuſque gratiæ & gloriæ ſuo tempore, divino favore aſpirante, complendum fore confidimus: in via Beatificationis econtra feliciter (uti jam omnibus patet) procedunt cauſæ Venerabilium Dei Servorum Laurentii à Brundufio, Ordinis noſtri Generalis, & Bernardi à Corleone Laici, ac pro cauſa Servæ Dei Veronicæ à Julianis, Monialis, opera ab illa edita jam ſunt diſcuſſa, & alia neceſſaria impigrè parantur: De proceſſibus hinc inde de Servis Dei Capucinis auctoritate ordinariâ confectis longiùs hic agere ſupervacaneum judico, cum paucis abhinc annis tales de Servis Dei, Antonio ab Olivado, Provinciæ Rhegienſis, Angelo ab Acrio, Provinciæ Cuſentinæ, Bonaventura Barberini, Ordinis Miniſtro Generali, Archiepiſcopo Ferrariæ &c. Provinciæ Bononienſis, fuiſſe inſtitutos, ac illum de Servo Dei Fr. Criſpino à Viterbio, Provinciæ Romanæ, defacto in Curia Epiſcopali Urbevetana continuari, ſcire ſufficiat.

Non tamen ex tam uberi germine fœcunditas Agri Capucini minuitur, languet, aut areſcit, ſed fortiùs econtra in dies vireſcit in productione Virorum, quorum vitam ſingularis mosum innocentia, ac varia Signorum operatio commendat, & mors voce populi perſonat pretioſa: In Domino quoque ſperamus duraturam eſſe hanc claram Virorum, ſeu Servorum Dei in nobis progeniem; hinc ne conſilium, de perpetuando illorum poſt mortem honore, aliquando conceptum, vel actionum exceſſu, vel formalitatum defectu (quemadmodum pluries jam id factum eſſe dolere debemus) corsuere contingat, ſupradicta Decreta Generalia, quæ in libellum Romanis typis cuſum reſtricta, Sacra Congregatio ad unguem obſervari cupit, pro norma & regula hic extendi neceſſum cenſui:

Hæc autem Decreta eo, quo in aureo Lambertino opere *tom.* 2. in appendice reperiuntur, modo exſcribuntur, intermixtis ad ſervandum ordinem Chronologicum inter Decreta Urbani VIII. & Ven. Dei Servi Innocentii XI. nonnullis aliis Decretis, vel Beatificandos, vel Beatificatos &c. concernentibus.

DECRETO

Sanctiſſimæ Inquiſitionis

Imagines Servorum Dei cum Sanctitatis aut Martyrii fama Defunctorum in Oratoriis, aut locis publicis, aut privatis amoveri jubetur, & libros de illorum miraculis, revelationibus &c. imprimi, tabellas ex cera, argento &c. confectas, aut pictas ad illorum tumulum appendi, ac lumina accendi, ſervandis non ſervatis, prohibetur.

Feria v. die 2. Octobris 1625.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Urbano, Divina Providentia Papa Octavo, ac Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CUm Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Urbanus Divina Providentia Papa VIII. die xiij. Mart. 1625. decretum ediderit infraſcripti tenoris, videlicet:

Sanctiſſimus Dominus Noſter ſollicitè animadvertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus propununtur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra, tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia acce-

accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito officii paſtoralis occurrere, re etiam cum Illmis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus, communicatâ, & maturè conſiderata, ac diſcuſſa, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem & cultum præſeferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſiis tam ſæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros, eorumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, geſta, miracula, revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis, Theologos, alioſque pios, ac doctos Viros in conſilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, ejuſque reſponſum expectet. Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque ex ſculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra faciendo, Sedique Apoſtolicæ reſervanda, ac probanda.

Declarans, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolici, vel Ordinarii, coluntur.

Ut autem præmiſſa diligentiùs obſerventur, Univerſis & ſingulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipit, ut in ſua quiſque Diœceſi, vel Provincia ſedulò pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperiùs diſpoſita fiant, tranſgreſſores verò, ſi Regulares fuerint, privationis ſuorum officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, nec non & ſuſpenſionis à divinis, ſi verò Clerici ſæculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, exequutioneque ſuorum Ordinum reſpectivè, aliſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut Imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquo modo affixerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum hujuſmodi, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis, ac in Acie Campi Floræ affixum, omnes proinde arctet, atque afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet: quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Poſtmodum verò idem Sanctiſſimus D. N. à quibuſdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conſervare liceret, Sanctitas Sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam Divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare; re priùs cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti Decreto declaravit. Quòd, ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit, prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita, ut nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur;

ita-

ſtatuit impræſentiarum ; & decernit, ut quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumve alium publicum ſæcularem, ſeu regularem Tabellas, & Imagines, aliudve ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamvis cum martyrii, vel ſanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraviſſe dixerit, liceat Eccleſiaſticis Perſonis, Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ Præpoſitis, Tabellas, & Imagines, ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcii fuerint, atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Eccleſia, loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare, ut, ſi quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujuſmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuſcunque non obſtantibus.

Jo. Antonius Thomaſius S. Rom. & Univerſal. Inquiſitionis Not.

Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octava, Pontificatûs S. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. die verò 30. menſis Octobris, ſupradictæ Literæ, ſive Decretum affixum & publicatum fuit ad Valvas Principis Apoſtolorum Urbis, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Prælibati Sanctiſſi. D. N. PP. Curſorem.

Decreta circa Proceſſus pro Beatificatione, & Canonizatione Ven. Servorum Dei conficiendos præpoſita confirmat & declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cæleſtis Hieruſalem Cives, quorum gloriosis natalitiis ſancta lætatur mater Eccleſia, ſicut hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ miniſterio à piis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem, militantis Eccleſiæ regimini divinâ providentiâ præpoſitum, pro ſuo præcipuo honoris Domûs Dei zelo invigilare, ne quid in Perſonarum cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, ſive cultum, inconſultâ Sancta Sede prædicta innovetur. Aliàs ſiquidem Nos ſolicitè animadvertentes abuſus, qui irrepſerant, & irrepere non ceſſabant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque in Eccleſiis, aliiſque locis publicis, atque etiam privatis cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrabantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur, volenteſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito officii paſtoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis communicatâ, & maturè conſideratâ, ac diſcuſsâ, de eorumdem Cardinalium conſilio ſub die xiij. Martii 1625. declaravimus, ſtatuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa eſſet) defunctorum Imagines, aliaque præfata, & quodcumque aliud veneration em, & cultum præferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, & (ſi quæ appoſitæ eſſent) amoverentur, prout eas ſtatim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione, ut præfertur, celebres è vita migraviſſent, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis Theologos, alioſque pios, ac doctos Viros in conſilium adhiberet, &, ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novi, & inordinati in re tam gravi committeretur, negocium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmitteret, ejuſque reſponſum expectaret, revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, geſtaque continentibus, eatenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmodi impreſſa

erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino, prout suprà, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quod per suprascripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumve Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii celebrantur.

Cumque postea die ij. Octobris ejusdem anni 1625. à quibusdam revocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas inposterum offerri contingeret, recipere, & antea oblatas conservare liceret; Nos, qui tantummodo voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum eisdem Cardinalibus communicatâ de simili eorum consilio declaravimus, quod, sicut nunquam prohibuimus, nec intentionis nostræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum hujusmodi, ita ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus, & decrevimus, ut, quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu Regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis Personis Ecclesiarum, locorumque prædictorum curæ præpositis tabellas, & imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atq; approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare, & asservare, ut, si quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ.

Demum verò, ut ejusmodi Decreta observarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicatâ, deque eorumdem consilio præmissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicujus utriusque sexûs cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve ejusmodi Sanctitatem redolentibus, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur, nisi Postulator prius per legitimas juridicè susceptas probationes circa Personam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis Sanctitatem præseferentibus ageretur, præscriptam in præfato nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit, &, nisi postea succesivè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter Delegatus, diligenti præhabita disquisitione circa eandem Personam, supracitato Decreto nullatenus contraventum esse, ritè pronunciaverit. Utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper, ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque hujusmodi processus à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusque à Sanctæ Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione, alio sejunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatum ritè, ac rectè, ut præmittitur, cognovisse, ac prænunciásse præfato Decreto nequaquam contrarium esse plenè constiterit, ac deinde à Nobis judicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in prædicto Decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens, deque his, atque infrascriptis omnibus, quæ in his Decretis disposita & ordinata sunt, aliquâ suboriente difficultate, Ordinariis locorum, & Delegatis Apostolicis quibuslibet, omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, ut Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandavimus eisdem, & aliàs, prout in Decretis desuper editis plenius continetur.

Quare inviolabili Decretorum prædictorum observationi, quantùm cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Decreta prædicta, cum omnibus & singulis in eis contentis, tenore præsentium per-

perpetuò approbamus, & confirmamus, il. liſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omniaque & ſingula Decreta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, obſervari omnino præcipimus ſub pœna nullitatis quarumcumque informationum, proceſſuum, ac interpretationis aliter, quàm prævia ſuprà ſcripta prænotione inſtructorum, eorumque admiſſionis, publicationis, ac interpretationis, itaut earumdem informationum receptiones, proceſſuumve inſtructiones, necnon eorum admiſſiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non inſtructis, non admiſſis, non publicatis, non interpretatis, eorumque ampliùs ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes, ad præmiſſa vocati, & auditi, minuſque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanârint, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs ſufficienter, aut etiam nullatenus juſtificatæ fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, ſive eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ, remedium impetrari, ſeu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel conceſſo quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Nuncios, & alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ubilibet exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ſtatim atque præſentes litteræ noſtræ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in ſua quiſque reſpective Diœceſi, vel Provincia ſedulò pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant, tranſgreſſores verò ſi Regulares fuerint, privationis ſuorum Officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, necnon ſuſpenſionis à divinis, ſi verò Clerici ſæculares privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, exequtioneque ſuorum ordinum reſpectivè, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo affixerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus quatenus opus ſit ree.me. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, cæteriſque in contrarium facientibus qui-

buſcumque. Ut autem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateranenſi, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amovebuntur, earumdem exempla in eiſdem locis affixa dimittantur, quæ ſic publicatæ, & affixæ poſt duos menſes à die publicationis computandos, omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent, quodque illarum tranſumptis impreſſis, ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die v. Julii MDCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, Indictione ſecunda, Pontificatûs Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Urbani divina providentia Papæ VIII. die verò 5. Septemb. ſupradictæ litteræ, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicarum Sanctî Joannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curſ.

Pro D. Mag. Curſ. Dominicus Mag. Curſ.

Verùm, cum aliqui ſuper his hæſitare non ceſſabant, idem Sanctiſſimus noſter infraſcriptas Declarationes, ac inſuper alia Decreta inferiùs adnotata, per nonnullos Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos S. R. E. Cardinales, & RR. PP. DD. Romanæ Curiæ Prælatos diligenter examinata, fieri mandavit:

Imagines eorum, qui cum Sanctitatis ſeu Martyrii fama obierunt, non apponantur in Altari publico, vel privato, & multò minus cum diademate, laurenlis, aut radiis, ſeu ſplendoribus, vel alio quocumque modo venerationem & cultum præſeferente, & indicante. Hæ enim prohibentur apponi non ſolùm in Altaribus prædictis, ſed etiam in Oratoriis vel Eccleſiis, aut locis publicis, ſeu privatis quibuſcumque, antequam à Sede Apoſtolica canonizentur, vel Beati declarentur.

Reſponſum, quod à Sede Apoſtolica in vim prædictorum Decretorum exſpectare debent Ordinarii locorum, ut imprimi poſſint libri continentes geſta, miracula, ſeu revelationes eorum, qui cum prædicta fama Sanctitatis ſeu Martyrii deceſſerunt, non detur, niſi eum infra ſcriptis proteſtationibus in dictis libris, & hiſtoriis inſerendis. Declarando etiam expreſsè, quod tales libri ſeu hiſtoriæ, licèt ab Ordinariis reviſæ, & poſt Sedis Apoſtolicæ reſponſum approbatæ, non faciant majorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, ſeu Beatificationem, quàm quæ aliàs abſque tali approbatione de jure feciſſent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu.

Proteſtatio Authoris in principio libri imprimenda.

Cum Sanctiſſimus D. N. Urbanus Papa VIII die 13. Martii anno 1625. in Sacra Congregatione S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit libros imprimi hominum, qui Sanctitate aut Martyrii fama celebres è vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum intercеſſionibus à Deo accepta, continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo velit cenſeri approbata; Idem autem Sanctiſſimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sanctî vel Beati abſolutè, & quæ eadunt ſuper Perſonam, bene tamen ea, quæ eadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romano, ſed fides tantùm ſit penes Authorem. Huic Decreto, ejuſque confirmationi & declarationi obſervantiâ, & reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo profiteor, me haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accepi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

Sequens verò proteſtatio in fine libri.

Lector adverte in elogiis Virorum illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ Sanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam alia ab iis geſta, quæ cum vires humanas

manas ſuperent, miracula videri poſſunt, præfagia futurorum, manifeſtationes arcanorum, revelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt, alia hujuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione divinitus collata: demum nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrii videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis Lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam, quæ à ſola fuorum authorum fide pondus obtinent, atque adeo & non aliter, quàm humanam biſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè, juxta Declarationem ejuſdem Decreti à Sanctiſſimo Domino Noſtro Dom. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam ſervari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, & Martyrii inducere ſeu augere, nec quidquam ejus exiſtimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſâ hac meâ lucubratione obtinerent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tamen ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego N. N.

Particularis proceſſus cum ſubſequenti pronuntiatione Ordinarii, ſeu Sedis Apoſtolicæ Delegati ſicut præcedere debet ex forma prædictorum Decretorum ſuper cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet, & ab iiſdem reſpectivè faciendus eſt, quando aliquis Poſtulator allegaret, ſe verſari in uno ex caſibus exceptuatis, nempe, quod cultus fuerit adhibitus ex indulto Summorum Pontificum, vel permiſſione Sac. Congregationis, vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, atque tollerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii, ut ſemper appareat in primis fuiſſe ſatisfactum ſupradictis Decretis.

Votivæ tabellæ, imagines & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, quæ in ſecreto retineri mandantur, etiam in Sacrario cuſtodiri permittuntur, & eo modo, quo cultum & venerationem non præſeferant.

Sub prohibitione facta Secretario Congregationis Sac. Rituum, nec non Sanctæ Fidei Promotori, ne aperiant proceſſus undecumque ad Curiam tranſmiſſos, niſi ſervatâ formâ tradita in prædictis Decretis, comprehendi declaratur etiam Protonotarium Apoſtolicum ad hujuſmodi munus pro tempore deſtinatum, & alium quemcumque.

In cauſis Canonizationum & Beatificationum propter earum gravitatem ſolet Sedes Apoſtolica procedere cum magna maturitate, & hoc, ut meliùs adimpleatur, pro illis referendis & diſcutiendis mandavit Sanctiſſimus Dominus Noſter tres Congregationes de Menſibus Januarii, Maji, & Septembris coram Sanctitate ſua fieri debere, prohibens agi de dictis cauſis extra præfatas tres Congregationes, in quibus ultra Cardinales Congregationi Sac. Rit. Præpoſitos, & Protonotarium Apoſtolicum, Sacriſtam Sanctiſſimi, Promotorem Fidei, & Secretarium, eidem aſſiſtentes, intereſſe etiam debeant illi Auditores Rotæ, quibus contigerit aliquam ex cauſis proponendis fuiſſe commiſſam. Et hi omnes, præter Congregationis Secretarium, & Fidei Promotorem, non admittantur in Congregatione, priuſquam cauſæ per Cardinales fuerint propoſitæ, & poſtea eorum votis patefactis à Congregatione recedant, ad hoc, ut Cardinales liberiùs poſſint examinare merita cauſæ.

Conſultores Sac. Rit. Congregationis debeant in qualibet ex dictis Congregationibus adeſſe præ foribus Aulæ Pontificiæ, ut, ſi Sanctitati Suæ placuerit illos audire ſuper aliquo articulo, ſeu difficultate, poſſint præſto eſſe.

Ad hoc, ut in Congregationibus dictis coram Sanctitate Sua habendis ordinatè, dilucidè, ac breviter procedatur, in unaquaque ex eis referantur per Cardinales tres, vel ad ſummum quatuor tantùm cauſæ, & ſaltem per dies 15. antecedentes dictis Congregationibus coadunari debeat altera particularis Sac. Rit. Congregatio, vel plures (ſi opus fuerit) in Palatio antiquioris Cardinalis Sac. Congregationis præpoſiti, tunc temporis in Urbe præſentis, in qua Cardinales Ponentes cauſarum, concordato priùs facto cum Promotore Fidei, illoque præſentato Sanctitati Suæ, ac tranſmiſſo Cardinalibus Sac. Congregationis, Protonotario, Rotæ Auditoribus intereſſe debentibus, Sacriſtæ, & Conſultoribus, referant cauſas pro faciliore reſolutione poſtea faciendâ coram Sanctiſſimo.

Quando propter alias urgentes occupationes non poterit Sanctitas Sua vacare alicui ex dictis Congregationibus, ut ſuprà, deſtinatis, mandavit, ut cauſæ hujuſmodi proponantur coram ſe in menſe immediatè ſequenti,

ti, & in die ab ea deputando, declarans ſuam voluntatem omnino eſſe, ut quolibet anno tres convocentur Congregationes pro dictis cauſis diſcutiendis.

Si in aliqua ex dictis tribus Congregationibus poſt diſcuſſionem, quæ erit diligentiſſimè facienda ſuper unoquoque proceſſu circa illius validitatem, virtutes, ac miracula alicujus Servi Dei, non ſupererit tempus Cardinalibus referendi ſtatum & merita alicujus cauſæ, poterit de ea agi, & ad expeditionem procedi per Cardinales in prima eorum Congregatione ordinaria immediatè ſequenti poſt quamlibet ex dictis tribus Congregationibus, factâ deinde relatione per Secretarium Sanctitati Suæ.

Idemque ſervari permittitur circa cognitionem & examen miraculorum, quæ coram Sanctitate Sua erit referenda, ſi in aliqua ex dictis Congregationibus diſcuti, vel expediri non potuerit.

Permittit inſuper Sanctiſſimus, ut in qualibet ex Congregationibus ordinariis diſcutiantur & terminentur omnia & ſingula concernentia declarationem paritionis ſupradictis Decretis de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis à Sanctitate Sua editis, aperitionem omnium & ſingulorum proceſſuum, deputationem & ſubrogationem Judicum, & his ſimilia, dummodo de reſolutionibus habitis ſuper prædictis fiat per dictum Secretarium relatio Suæ Sanctitati.

Juramentum præſtari ſolitum in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctiſſimo reſervatæ, mandavit Sanctitas Sua, ut omnino præſtetur tam per Cardinales Sac. Congregationis Rituum, & per duos Familiares, ab unoquoque eorum deputandos, quàm per Rotæ Auditores & unum pro quolibet eorum arbitrio eligendum pro videndis, & transferendis ſcripturis neceſſariis & opportunis, ac etiam per Protonotarium, Sacriſtam, Promotorem Fidei & Conſultores de non revelandis his, quæ in prædictis Congregationibus tractabuntur: à qua excommunicatione Sanctiſſimus declaravit, & voluit nulli competere facultatem abſolvendi, neque etiam Majori Pœnitentiario, ſed Sanctitati Suæ, & Succeſſoribus duntaxat: Sub quo juramento & pœna voluit etiam comprehendi omnes ſuprà nominatos, qui receptis litteris commendatitiis, ſupplicibus libellis, aut aliis ſimilibus officiis oretenus ſuper dictis cauſis, ea non revelaverint Secretario Congregationis ad effectum deducendi ad notitiam Sanctitatis Suæ.

Formula Juramenti.

Nos infraſcripti S.R.E. Cardinales Congregationis Sac. Rituum tactis per Nos Sacroſanctis Evangeliis coram nobis poſitis juramus, & promittimus fideliter exercere officium noſtrum in his, quæ proponuntur in Congregationibus Sac. Rituum habendis coram Sanctiſſimo, & non revelare, nec loqui, niſi cum aliis dictæ Congregationis Cardinalibus, tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & Officialibus prædictæ Congregationis, ac duobus Familiaribus ab unoquoque noſtro deputandis, quæ fient, aut tractabuntur, non ſolùm in Cauſis ſpectantibus ad dictam Congregationem, ſed etiam in aliis ad illam non ſpectantibus in dicta Congregatione coram Sanctitate Sua occaſione diſcuſſi de rebus Magnatum, Religionum, vel aliàs gravioribus occurrentibus, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi à Summo Pontifice duntaxat (excluſo etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in articulo mortis, abſolvi poſſimus, & ſub eadem pœna perjurii & excommunicationis, de qua ſuprà, juramus ſimiliter, & promittimus, quod ſi per litteras, aut ſupplices libellos, ſive etiam oretenus, vel per interpoſitas Perſonas, commendationes à quocunque etiam cujuſvis dignitatis & præeminentiæ Nobis factæ fuerint, de Cauſis pertractandis in dictis Congregationibus, præfatas litteras ſcienter non aperiemus, ſed clauſas & ſigillatas mandabimus conſignari in manibus Secretarii dictæ Congregationis; ſi verò non informati de contentis in prædictis litteris contigerit per Nos aperiri, & legi, ſi eædem continebunt ſimiles commendationes tantummodo, pariter eas tranſmittemus ad eundem Secretarium; Verùm ſi de aliis negotiis in prædictis litteris pertractabitur, mandabimus tranſcribi illam tantùm partem continentem commendationem, diem datæ, & locum, necnon etiam ſubſcriptionem illius, qui negotium commendavit, quam pervenire curabimus ad manus prædicti Secretarii, atque eiſdem litteris non referibemus, niſi de mandato dictæ Congregationis, & ſaltem in ipſo actu votandi propalabimus à quo, vel à quibus Cauſa fuerit Nobis commendata. Et ita Nos præfati Cardinales promittimus & juramus; ſic Nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præſtabitur ab Officialibus, Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & Familiaribus, mutatis mutandis.

Sanctitas Sua expreſsè prohibuit Sac. Rit. Congregationi ne deinceps procedat in

in Cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis ſeu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius: quinimo etiam lapſis quinquaginta annis de ſimilibus Proceſſibus tam factis, quàm faciendis agi vetuit, niſi habita priùs, & expreſsè obtenta licentia à Sanctitate Sua, vel ejus Succeſſoribus.

Sub Decreto hujuſmodi vult comprehendi etiam Cauſas, in quibus modo reperiuntur expeditæ litteræ Remiſſoriales, & Compulſoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem ſuam, & complementum à facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmiùs obſervetur, inſuper jubet, ut, ſi Memoriale ſuper hoc directum Congregationi porrigatur cum Reſcripto Sanctitatis Suæ, ut aliqua ex hujuſmodi Cauſis ad præfatos effectus examinetur, nullum ſortiatur effectum, niſi in eodem Reſcripto ſpecialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur.

Verùm, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes, permittit Sanctitas Sua, non habitâ ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi poſſit de prædictis Proceſſibus, ſive de aliis, authoritate Ordinaria fabricatis, vel fabricandis, ad effectum deliberandi, an per Sedem Apoſtolicam debeant concedi litteræ Remiſſoriales in genere, quibus obtentis, & fabricatis ſuper eis Proceſſibus, ſervatis ſervandis, illiſque Sac. Rituum Congregationi præſentatis, permittit pariter Sanctitas Sua, ut in Sac. Congregatione diſcutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine, & ad effectum tantùm cognoſcendi, an ſit procedendum ad Proceſſus in ſpecie. Et Proceſſibus in ſpecie completis, & Sac. Congregationi delatis, videatur tantùm de illorum validitate; quibus definitis, iidem Proceſſus per Secretarium claudantur, & conſignentur Sigillo Sac. Congregationis, non aperiendi, donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum, quo completo, nullo modo de eis agi poſſit, niſi expreſsè mandetur à Summo Pontifice.

In Proceſſibus faciendis ſervari ſolent omnia diſpoſita in Cæremoniali, ſeu Rituali Romano ſub Leone X. impreſſo, ac tradita per Hoſtien. & alios Doctores in *cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctor.* Nec prius moveri ſolet Sedes Apoſtolica, quàm Reges, Principes, & aliæ Perſonæ authenticæ, & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non ſtatim, ſed exſpectare, quod diu pulſetur; nam, ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium inſtantiæ, præſertim ſpontaneæ, tunc Summus Pontifex (ſi ei videbitur) per commiſſionem manu Sanctitatis Suæ ſignatam, citato Promotore Fidei, committit cauſam Congregationi Sac. Rituum, in qua in primis & ante omnia cognoſci debet de adimplemento dictorum Decretorum, de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis à Sanctiſſimo Domino Noſtro emanatorum.

Forma Commiſſionis generalis.

Beatiſſime Pater. Adeo hactenus aucta, in dieſque magis augetur fama Sanctitatis Servi Dei N. de N. unà cum miraculi, quæ Omnipotens Deus ejus meritis & interceſſione concedere dignatur, ut ob conceptam in diverſis Mundi partibus, maximè verò N. N. erga cum devotionem, à pleriſque in eorum neceſſitatibus invocetur, & plurimorum etiam gravium Virorum exiſtimatione Beatificationis, & Canonizationis honore dignus, intercedente infallibili S. V. judicio reputetur. Ex quibus motus, piâque intentione, ac particulari erga dictum Servum Dei N. devotione ductus Sereniſſimus Rex N. (aut alius Magnus Princeps N. vel plures Principes N. N. qui pro tali Beatificatione, vel Canonizatione inſtent) *per ſuas litteras inſtanter petiit à S. V. ut ad ejuſdem N. Beatificationem & Canonizationem procedere dignaretur. Propterea cum jam ſint confecti Proceſſus authoritate Ordinaria ſuper Sanctitate vitæ, Virtutibus, & Miraculis dicti Servi Dei N. illique jam ad Urbem tranſmiſſi, ad effectum eoſdem Proceſſus præſentandi in Sac. Rit. Congregatione, Pro parte devoti S. V. Oratoris N. de N. Procuratoris ſpecialiter in hac Cauſa à præfato Sereniſſimo Rege, ac etiam ab N. & N.* (quæ debent eſſe Perſonæ authenticæ, & honeſtæ, nempe Univerſitates, Capitula, Religiones, & ſimiles) *qui pariter eidem S. V. pro Beatificatione & Canonizatione dicti Servi Dei N. inſtantiam faciunt, conſtituti, humiliter eidem S. V. ſupplicatur, quatenus dignetur cauſam, & cauſas Beatificationis & Canonizationis, necnon cognitionem Virtutum, Morumque, & Miraculorum, ac publicæ famæ Sanctitatis dicti Servi Dei N. Populorumque erga ipſum devotionis cum ſuis inciden. dependen. emergen. annexis & connexis eidem Sac. Rit. Congregationi committere & mandare, cum facultate in primis, & ante omnia aliquem ex Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus ejuſdem Sac. Congregationis in cauſæ Relatorem deputandi, & Proceſſuum ad partes factum ſuper obſervantia Decretorum à S. V. in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſuper non cultu editorum* (quatenus factus ſit) *recipiendi, aperiendi, & citato, & audito Fidei Promotore, diſcutiendi, ex eodemque declarandi dictis Decretis ſufficienter paritum fuiſſe*

faiſſe (quatenus verò dictus Proceſſus ſuper obſervantia dictorum Decretorum ad partes factus non ſit) *illius confectionem, ſi in Curia aderunt probationes, committendi Eminentiſſimo Domino Cardinali, S.V. Vicario, ſi verò extra Curiam, alicui Epiſcopo, at ad ejuſdem Proceſſûs ad partes confectionem, juxta tenorem eorumdem Decretorum deveniat, ad effectum illum poſtea in eadem Congregatione præſentandi, & audito R. P. D. Fidei Promotore diſtutiendi, & ex eo, ut ſuprà, declarandi; factaque per eandem Sacram Congregationem declaratione, ſupradictis Decretis ſufficienter paritum eſſe, eáque poſt relationem S. V. per R. P. D. Secretarium Congregationis faciendam, ab eadem S. V. approbatâ, ad Proceſſuum auctoritate Ordinaria confectorum, & coram ea legitimè præſtandorum aperitionem, diſcuſſionem, ac diligentem examinationem ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis in ea deputati, audito pariter & citato D. Promotore Fidei deveniendi, & ſi ex illis eidem Sac. Congregationi viſum fuerit, & S. V placuerit, poſſe ad generalem inquiſitionem ſuper eâdem Sanctitate Vitæ, Virtutibus, & Miraculis Apoſtolica auctoritate deveniri, eidem Sac. Congregationi pariter indulgere, & liberam facultatem concedere, ut aliquibus Epiſcopis Provinciæ N. committere valeat, ut per ſe ipſos inquirat de fama & devotione populi, de miraculis, & aliis denunciandis dicti Servi Dei N. in genere tantùm, & non in ſpecie, & quoad famam, ſi vigeat de præſenti, & ad hunc effectum aliquot articulos ad eoſdem Epiſcopos tranſmittat, ſuper quibus, & ſuper interrogatoriis per Promotorem Fidei conficiendis, debeant per ipſoſmet, & non alios, Teſtes examinare cum interventu Sub-Promotoris Fidei, per eundem Promotorem in Curia nominandi, & cum poteſtate citandi, & inhibendi, etiam ſub cenſuris &c. & etiam per Edictum &c. Contradictores &c. Invocato &c. & aliis facultatibus opportunis. Quibus peractis, ea, quæ invenerint, fideliter referibant, & Proceſſum hujuſmodi ad eandem Sac. Congregationem ſub ſigillo clauſum per fidelem Nancium tranſmittant cum ipſorum litteris, in quibus ſignificent, an eis videatur, quod præditis Teſtibus, & eorum depoſitionibus fit danda fides, & quod ſuper veritate eorandem ſit in ſpecie committenda inquiſitio; quo Proceſſu recepto, & per Sac. Congregationem diſcuſſo, eadem Sac. Congregatio S. V. referat, quid de ejus relevantia ſentiat ad effectum, at S. V. ſtatuere poſſit, an ſit deveniendum ad inquiſitionem ſpecialem. Quod ſi S.V. ei locum eſſe judicaverit, eidem Congregationi mandare & injungere, quatenus eiſdem Epiſcopis N. N. N., vel aliis Epiſcopis committere valeat, ut veritatem ſuper dicti Servi Dei N. fama, devotione populi, vitæ Sanctitate, puritate Fidei, miraculis, & aliis à Sacris Canonibus requiſitis caute fideliter, & prudenter ſecundùm articulos, & interrogatoria in Curia per Promotorem Fidei danda, & illis tranſmittenda, in ſpecie inquirant, & jura, & monumenta exhibenda coram ipſis recipiant cum interventu Sub-Promotoris, per eundem Fidei Promotorem in Curia nominandi, & quicquid per inquiſitionem ſpecialem hujuſmodi invenerint, ſuis ſigillis incluſum cautè ad eandem Sac. Congregationem tranſmittant, at deinde omnibus maturè examinatis decernat, an Proceſſus hujuſmodi ad Rotæ Auditores ſint tranſmittendi, ut forment rubricas, ſuamque faciant relationem de his, quæ in dictis Proceſſibus continentur, abſque tamen prolatione voti conſultivi, alibi quàm in Sacra Congregatione coram S. V. habenda, & eadem poſtea S. V. referatur, an talia ſint, propter quæ ad Canonizationem dicti Servi Dei N. juxta Sacrorum Canonum Decreta, & S.R.E. Ritum deveniri poſſit cum facultate litteras Remiſſoriales, & Compulſoriales ſuper præmiſſis citato dicto Fidei Promotore ad quaſcumque Mundi partes decernendi, & relaxandi, etiam in Curia, jura, & monumenta recipiendi, & ſi opus fuerit, Teſtes per Eminentiſſimum Dom. Cardinalem Vicarium, ſeu Epiſcopos in loco ab eo deputando juxta Decreta S. V. examinari faciendi, prævia citatione, & cum interventa dicti Promotoris, vel ejus Sub-Promotoris ſub eiſdem articulis & interrogatoriis, ſub cenſuris, pœnis, & aliis facultatibus antedictis, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet, neceſſaria & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi. Non obſtantibus Conſtitutionibus, etiam in univerſalibus & Synodalibus Conciliis editis, & aliis ordinationibus Apoſtolicis, Regulis Cancellariæ, cæteriſque contrariis quibuſcumque, ſtatum &c. tenores &c. pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes &c.*

Addendum, vel minuendum prædictæ Commiſſioni juxta ſtatum Cauſæ, & contingentiam facti, & formandæ Commiſſionis particulares in unoquoque articulo (*prout Sanctiſſimo videbitur*).

Advertendum eſt, quod in omnibus actis citari debet in Urbe Promotor Fidei juxta formam Brevis à Sanctiſſimo Domino Noſtro eidem conceſſi, & extra Urbem Sub-Promotor ab eodem Promotore deputandus.

Breve

Breve Promotoris Fidei.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes tanſas Beatificationum & Canonizationum Sanctorum, eâ, quâ par eſt, circamſpectione tractari, ac de tua ſingulari pietate, doctrina, & Catholicæ Religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, Te, qui noſtræ Conſiſtorialis Aulæ, Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus exiſtis, & quem à quibuſvis excommunicationis —— & abſolutum fore cenſemus, in Promotorem Fidei cum facultate quibuſcumque Congregationibus, quæ ſuper Canonizationibus & Beatificationibus hujuſmodi, tam coram Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quàm etiam Nobis fient, interveniendi, & in eis votum conſultivum ferendi, ac objectiones ſuper materiis pro tempore occurrentibus faciendi, & ſuper eis tam in facto, quàm in jure ſcribendi, &, quando opus fuerit, tam Nos, quàm dictos Cardinales oretenus informandi, & eum hoc, ut Tu deinceps in omnibus proceſſibus ſuper dictis Canonizationibus & Beatificationibus conficiendis, & in ſingulis actis faciendis, tanquam pars formalis, & adinſtar Commiſſarii Cameræ, & Fiſci Procuratoris citari debeas: quodve Tu interrogatoria cum proteſtationibus, quæ Tibi videbuntur neceſſariæ, dare, & examinibus Teſtium, & compulſationibus jurium, & Scripturarum quarumcumque, confectionibus planctarum, viſitationibus ſepulchrorum & aliis quibuſcumque tam in Romana Curia, quàm in qualibet alia parte Orbis terrarum coram quibuſcumque Judicibus, etiam Delegatis per Te, ſeu per alium Sub Promotorem cum facultatibus, quæ Tibi opportunæ videbuntur, à Te deputandum, intervenire valeas; quodque Sub Promotorem unum eligere poſſis, & deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia, qui proceſſus hucuſque factos, vel alios in futuram faciendos, tam auctoritate ordinaria, quàm Apoſtolica videre, ac in facta ſcribere, & comperere poſſit in actis coram Notario, & Secretario dictæ Congregationis; & etiam coram dictis Cardinalibus ad concordandum factum ſuper dubiis in Congregationibus proponendis, & alia faciendi nomine, & arbitrio tuo, quæ tibi videbuntur opportuna & neceſſaria, & cum quo etiam conferre poſſis difficultates, & alia omnia, quæ in dictis Congregationib. tractabuntur, recepto tamen prius à Te, & ab eo ſolito juramento de ſervanda ſecretum, & tum hoc inſuper, ut Tibi copia authentica proceſſuum factorum, ac omnium Scripturarum produtendarum, ac informationum faciendarum ſuper dubiis tempore opportuno diſpatendis ad effectum eas videndi, & conſiderandi, eiſque objectiones & reponſiones opportunas faciendi detur, alioquin Tu propoſitiones impedire valeas: at demum tum omnibus & ſingulis aliis facultatibus Promotoribus hujuſmodi de jure, uſu, aut conſuetudine competentibus Apoſtolica auctoritate tenore præſentium deputamus. Mandantes præterea in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut Te in Promotorem prædictum, juxta tenorem præſentium recognoſcant, ac decernentes præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices —— Datum Romæ apud Sanctum Petram ſub annulo Piſcatoris die XI. *Januarii* MDCXXXI. *Pontificatûs noſtri Anno* Octavo.

Poſtquam verò fuerit declaratum eſſe ſatisfactum dictis Decretis, ſi Sacra Congregatio coram Sanctitate Sua habenda cenſuerit, eſſe locum probationibus recipiendis, committit aliquibus Epiſcopis, Patriæ, Viciniæ, ſeu Provinciæ illius, qui petitur canonizari, ut inquirant de fama, de devotione populi, de miraculis & aliis denuntiandis in genere tantùm, & non in ſpecie.

Hujuſmodi litteræ remiſſoriales (ſi fieri poteſt) dirigi debent omnino Epiſcopis, & non minùs quàm tribus, ita ut duo ſaltem ex illis interveníre debeant in proceſſu conficiendo, ut pro forma tradi debet, ut teſtes primò examinentur juxta interrogatoria per Promotorem Fidei ex officio danda, & litteris inſerenda, deinde ſuper articulis in eiſdem litteris includendis.

Formulæ litterarum Remiſſorialium & Compulſorialium in genere.

Nos S. R. E. Cardinalis N. ac Sac. Rit. Congregationis Præfectus Vobis Illuſtr. ac Admodum RR. DD. Epiſcopis N. N. N. & Judicibus per Nos ad infraſcripta ſpecialiter deputatis ſalutem in Domino, & in commiſſis obedientiam, ac noſtris hujuſmodi, imò veriùs Sedis Apoſtolicæ firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod aliàs Sanctiſſimus Dominus Noſter per ſpecialem Commiſſionem huic Sacræ Congregationi directam Cauſam Beatificationis & Canonizationis Servi Dei N. de N. commiſit tenoris infraſcripti, videlicet (hîc ponatur tenor Commiſſionis) &

coram eadem Sacra Congregatione exhibitis processibus auctoritate ordinaria, seu ad perpetuam (ut dicitur) rei memoriam pluribus in locis confectis super Sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Servi Dei N. de N. una cum suppliciibus libellis Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papa VIII. nomine N. N. N. porrectis, & ad eamdem Sac. Congregationem ab eodem Sanctissimo transmissis, visis, ac diligenter discussis, & examinatis hujusmodi processibus ad relationem Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis N. coram Sanctitate Sua in Congregatione ad id specialiter deputate, communi omnium voto & consensu prædictorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium censuit eadem Congregatio, & decrevit, posse, si eidem Sanctissimo Domino Nostro videatur ad generalem Inquisitionem quoad famam tantum per probationes deveniri, cui Decreto Sanctissimus Dominus Noster annuit, ideoque in executionem ejusdem Decreti ac vigore facultatis in præinserta Commissione eidem S. Congregationi concessæ requisiti pro parte dictorum Oratorum, quatenus pro examinandis testibus tam in Curia, quàm extra degentibus, aliisque in præinserta Commissione narratis prebandis & verificandis opportune providere dignaremur ad Dei gloriam, & ad S. R. E. exaltationem.

Volentes igitur ea, quæ à Sanctissimo Domino Nostro committuntur, & quæ in ipsa S. Congregatione constituta sunt, debitæ executioni, ut par est, demandare, exposito Nobis in dicta S. Congregatione nonnullos testes in Civitate & Diœcesi N. nec non in locis adjacentibus adesse & reperiri de vita, Sanctitate, & miraculis ejusdem Servi Dei N. notitiam habentes: considerantes etiam æquum & justum esse, Dei gloriam, quæ in Servis suis resplendet, manifestam fieri præsentes literas ad Vos dirigendas sub hac forma censuimus. Quamobrem pro parte N. de N. Procuratoris in hujusmodi causa deputati, prout de ejus legitimo mandato docuit, exhibitis nonnullis positionibus & articulis continentibus vitam, mores, virtutes & miracula prædicti Servi Dei N. illisque per Nos admissis, Remissoriales & Compulsoriales præsentes in genere dumtaxat, & non in specie, & quoad famam tantùm super præmissis concessimus, Vosque in Judices Executores illarum tam pro examinandis testibus, quàm pro extrahendis Scripturis necessariis ad præfatum effectum solummodo nominavimus, & constituimus. Idcirco Vobis omnibus supradictis, de quorum fide, integritate, ac Religionis zelo, & perpetua ac debita erga hanc S. Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino confidimus, auctoritate ordinarie hujus Sac. Congregationis, & respective Apostolica, quâ fungimur in hac parte, per præsentes committimus, & mandamus, ut Vos, vel duo ad minus ex Vobis conjunctim & simul, ac non alibi, aliter, nec alio modo vice nostra in singulis actibus procedentes omnes & singulos testes, litteras, scripturas, instrumenta, monumenta & alia quævis probationum genera, qui, seu quæ coram Vobis, seu duobus saltem ex Vobis simul & conjunctim, ut supra, producti & compulsari contigerit à Personis legitima mandata procurę habentibus, recipiatis, & juxta interrogatoria à Promotore Fidei hîc in Curia data, ac super positionibus & articulis in præsentibus nostris contentis, quę & quos sub Sigillo nostro inclusos & inclusa transmittimus in calce præsentium registrandarum in locis suprà nominatis in Ecclesiis, aut Oratoriis, piisque locis, exprimendo semper locum loci, respectu verò infirmorum quibuscumque aliis locis per Vos eligendis, seu deputandis, pro Tribunali sedentes admittatis, receptoque prius in manibus vestris ab ipsis testibus, cujuscumque gradûs, statûs, sexûs, & conditionis, etiam Sacerdotibus (Episcopis exceptis) existant, juramento, tactis Sacrosanctis Evangeliis coram Vobis ipsis positis, & non aliàs, aliter, nec alio modo, de veritate dicenda super iis, super quibus examinabuntur, primò juxtà dicta interrogatoria, & deinde super positionibus & articulis prædictis per extensum coram Vobis, sive duobus saltem conjunctim, ac coram fide digno Notario publico Apostolico, seu Ecclesiastico à Vobis similiter deputando, qui coram Vobis, seu duobus vestrûm, & in manibus vestris solitum præstet juramentum, tactis Sacrosanctis Evangeliis de fideliter exercendo officium suum, diligenter juxta formam superiùs expressam examinetis; hoc expresè servato, quod testes in Ecclesiis, Oratoriis, piisque locis, & in loco loci in iisdem deputato omnino interrogentur, eorumque dicta excipiantur, animadvertendo, ut iidem testes, quæcumque habent, explanatè, & per extensum deponant, nec se referant ad attestationes, aliàs redditas, neque eis recitentur, quæ aliàs ipsi deposuerunt, cætera verò processûs acta in loco solitæ audientiæ confiteantur, ipsorumque testium attestationes, dicta, depositiones, nec non acta, citationes, & actitata quæcumque transcribi fideliter faciatis; nec non collationem, seu auscultationem supradictorum omnium per Vos ipsos Judices, vel saltem duos ex Vobis conjunctim, adhibito alio Notario, qui etiam juramentum præstet, ut suprà, faciatis, omniaque clausa, vestrisque Sigillis, aut duorum vestrûm munita, prævio prius juramento per fidelem Nuntium seu portitorem præstito, ad Nos transmittì curetis, signi-

ſignificantes Nobis, non ſolùm generaliter, quæ fides teſtibus deſuper examinatis ſit adhibenda, ſed etiam particulariter ſuper his, quæ per eoſdem teſtes depoſita fuerunt, &, an in deponendo aliquid viderint, per quod reddatur ſuſpecta eorum depoſitio, &, an Vobis videatur, quod ex prædictis poſſit deveniri ad ſpecialem Inquiſitionem. Decernentes irritum, & inane, quidquid contra formam præſentis remiſſoriæ ſcienter vel ignoranter fuerit executum. Ut autem prædicta omnia, & ſingula liberiùs exequi valeatis, eádem authoritate, quâ ſuprà, Vobis committimus, & mandamus, ut Nuntium ſeu Nuntios pro citationibus faciendis & aliis mandatis & Decretis veſtris exequendis, prævio priùs juramento ab eis recepto de fideliter exercendo officium ſuum deputare valeatis authoritate noſtrâ, eumdemque & teſtes præfatos, ut ſe examini ſubjiciant, ſub cenſuris & pœnis Canonicis, omni & quacumque appellatione poſtpoſita, omnibus juris & facti remediis opportunis cogere, & compellere valeatis, & eodem modo recuſantes ſcripturas exhibere ad cauſam facientes, compellere valeatis, citato in omnibus actis Dom. Sub-Promotore Fidei per Promotorem in Curia nominato, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Pro quibus omnibus exequendis, ut ſuprà, veſtram diligentiam, & curam, &, qualem de Vobis ſperamus, fidem adhibere, atque in præmiſſis ita vos gerere ſtudeatis, ut & gratiam ab hac Sac. Congregatione inire, & retributionem laboris veſtri ab Altiſſimo pro Servis ſuis conſequi poſſitis. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium præſentes manu noſtrâ, nec non infraſcripti Protonotarii Apoſtolici de numero Participantium ad Acta Congregationis pro tempore deputati, & ejuſdem Sac. Congregationis Rituum Secretarii, noſtroque ſolito ſigillo munitas fieri, expediri, & relaxari mandavimus per Acta infraſcripti Notarii ejuſdem Sac. Congregationis. Datum Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ Anno &c. Indictione &c. Die &c. Pontificatûs &c. præſentibus &c.

Poſitiones & articulos infraſcriptos dat, exhibet & producit Procurator, & eo nomine N. Regit N. & N. ad docendum de fama, & devotione populi, & de miraculis, & aliis denuntiandis, & ſuper his in genere, & non in ſpecie, & quoad famam tantùm Servi Dei N. & ad omnem alium bonum finem, & effectum, petens illos ad probandum admitti; litteraſque deſuper opportunas pro examinandis teſtibus ad Civitates ſeu loca N. & N. &, ubi opus fuerit, concedi, non ſe adſtringens &c. ad onus ſuperfluæ probationis, de quo expreſsè proteſtatur, non ſolùm præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo &c. ſalvo jure &c.

In primis igitur repetit omnes & ſingulos proceſſus, inſtrumenta, jura &c. in quantum tamen, & non aliter &c. de quo &c. ex quibus credit, ſatis abundè conſtare non ſolùm de fama, devotione populi, & miraculis & aliis denuntiandis in genere, & quoad famam tantùm, ſed etiam in ſpecie prædicti Servi Dei N. & bis ſalvis poſſit, &, quatenus opus ſit, probare vult, & intendit.

Hîc inſerendi ſunt articuli concernentes locum, ubi natus ſit Servus Dei, tempus, & Parentes, vitam & mortem illius.

Item, quod dictus Servus Dei ſemper vixit cum fama Sanctitatis, quæ continuavit etiam poſt mortem, & nunquam diminuta fuit, ſed potius aucta, non ſolùm in locis, ubi vixit, & mortuus fuit, ſed etiam in aliis vicinis & remotis, & quod iſtud fuit, & eſt publicum, & notorium, & fuit & eſt publica vox & fama.

Item, quod ejus corpus ſepultum fuit in loco N. & Eccleſia N. & ſemper, ac continuò fuit ad illud venerandum magnus concurſus populi, & aliquorum exterorum ad illud confluentium propter famam & opinionem Sanctitatis illius: & quod hoc fuit, & eſt publicum & notorium, & eſt publica vox & fama.

Item, quod in locis, ubi vixit, & mortuus fuit, atque etiam in aliis locis dictus Servus Dei habitus fuit in magna veneratione, & erga illum fuit maxima devotio non ſolùm illorum, qui in dictis locis habitabant, ſed etiam aliorum exterorum; & quod hoc fuit & eſt publicum & notorium, & fuit & eſt publica vox & fama.

Item, quod fecit multa & magna miracula non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem, ſanando infirmos ab omni genere infirmitatis, prævidendo futura, & alia operando, quæ fieri naturaliter minimè poterant; & quod iſtud fuit & eſt publicum & notorium, ac fuit & eſt publica vox & fama.

Item, quod de prædictis omnibus non ſolùm in dictis locis, ubi vixit, & mortuus fuit, ſed etiam in aliis propinquis & remotis, ac ubique locorum, fuit ſemper, & nunc etiam eſt publica vox, & fama, & communis reputatio, quæ ſemper inconcuſſa, & conſtans fuit, ita ut nunquam aliquid fuerit dictum, vel auditum, vel factum in contrarium.

Antonius Cerrus Sac. Conſiſtorialis Aulæ & Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus in omnibus cauſis Beatificationum & Canonizationum Sanctorum à Sanctiſſimo Domino Noſtro per ejus Breve datum in Urbe

ſub die 2. Januarii 1631. ſpecialiter deputatus petit, & inſtat, teſtes inducendos & examinandos in cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. tam in Urbe, quàm extra, & ubique locorum pro parte & ad inſtantiam Adm. R. D. N. N. hujus Cauſæ Procuratoris, vel ejus Subſtitutorum ſuper fama, & devotione populi, & ſuper miraculis, & aliis denuntiandis, & ſuper his in genere, & non in ſpecie, & quoad famam tantùm Servi Dei N. ac denique ſuper articulis in hac cauſa datis, antequam ſuper hujuſmodi articulis examinentur, præmiſſo juramento, tactis &c. & eam aſſiſtente & interveniente Sub-Promotoris Fidei per eum nominati ſuper infraſcriptis interrogatoriis fideliter & ſeparatim interrogari.

1. In primis ſeriò moneatur quilibet teſtis, quantumvis nobilis, & quacumque dignitate præditus, de vi & importantia juramenti, & gravitate perjurii, præſertim in cauſis graviſſimis, prout ſunt iſtæ Canonizationum Sanctorum.

2. Deinde interrogetur quilibet teſtis, ut ſuprà, de nomine, cognomine, patria, ætate, Parentibus, exercitio, ſeu profeſſione, divitiis, vel paupertate, & aliis circumſtantiis, ad ejus perſonam, & conditionem ſpectantibus.

3. Item, an ſit confeſſus peccata ſua, & SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerit; in qua Eccleſia, à quo Sacerdote, quibus præceptis, de quo menſe, & anno ultimò vicè id fecerit.

4. Ulteriùs, an fuerit unquam inquiſitus, accuſatus, vel proceſſatus de aliquo crimine, & quo, coram quo Judice, de quo anno; & an ſemel, vel pluries, & an ſecuta ſit appellatio, vel condemnatio, vel abſolutio.

5. Similiter, an ob aliquam cauſam unquam fuerit excommunicatus, & quoties, et ex qua cauſa; et an fuerit abſolutus, vel adhuc in eadem excommunicatione permaneat.

6. Rurſus, an fuerit ab aliquo inſtructus, quomodo deponere debeat, et à quo, et quo loco, quibus verbis, et quo tempore.

7. Ampliùs, an ſciat, in qua Provincia et Diœceſi ſit Civitas N. Si dixerit ſcire, illam exprimat, et dicat, an eoquam accederit ad talem Civitatem ſeu locum, et ob quam cauſam.

8. Inſuper, an cognoſcat, vel audiverit, nominare N. Si reſponderit illam cognovisſe, dicat, quomodo, et qua occaſione, in quo loco, in quo tempore, et an fecerit ipſum unquam allocutam, ac quoties, et de quibus rebus, vel negotiis, et quibus præſtitibus: ſi verò dixerit, illum audiviſſe nominare, dicat à quo, ſeu quibus, quâ occaſione, et ad quem finem et effectum, et quoties id contigerit.

9. Præterea interrogetur, an ſciat, in quo loco, et loco loci dictus N. vitam ſuam egerit, et quæ fama et reputatio fuerit de ejus vita, et Sanctitate in dicto loco; et an eadem fama et reputatio fuerit etiam in aliis locis, et quibus, et an fuerit continua vel interpolata, et per quantum tempus duraverit; et an fuerit communis reputatio omnium de illo loco, vel aliquorum tantùm; et, an ipſe teſtis idem reputaverit, et tam ipſe, quàm alii antequam ſecus ſenſerint, aut aliter alios ſentire audiverit.

10. Interrogetur quoque, an ſcint, in quo loco, et loco loci, et quo tempore, et ex qua infirmitate dictus N. obierit, et, an ſciat, ubi ſit ſepultum corpus ejus, et an unquam ipſe acceſſerit ad ejus ſepulchrum, et audiverit alios ad illud accedere, et an ſemel, aut aliquoties tantùm, vel frequenter et ſæpius; et ac fama foret, quod talis acceſſus fieret, quia reputaretur pro Sancto, et intercedere poſſet pro ipſo et aliis, et dicat, à quibus, et quoties audiverit, et an audiverit, an diminutus fuerit concurſus, vel potiùs auctus, et quotidie augeatur ab eo tempore, à quo incepit.

11. Interrogari debebit, an audiverit, quod populus habeat devotionem erga dictum N. Si dixerit, quod ſic, dicat, qui populus fecerit, et an pars tantùm, vel major pars, aut totus populus unius tantùm loci vel pluriam; et qui, et in quibus audiverit conſiſtere eorum devotionem; à quo tempore dicatur incepiſſe, et, an ab illo tempore audiverint, quod diminuta, vel potiùs aucta fuerit, et quotidie augeatur.

12. Interrogetur, an dicti audiverit, quod dictus N. fuerit exactus obſervator Mandatorum Dei, et Eccleſiæ, ſalutis animarum, et Dei gloriæ zelator, amator virtutum, et laudabilis Vitæ, et, ſi dixerit, audiviſſe, interrogetur, à quibus, quoties, et quibus in locis audiverit.

13. Interrogetur, an ipſe ſciat, quid ſit miraculum, et explicet, quid ſit; et an audiverit, quod dictus N. quandoque fecerit miracula in vita, vel in morte, et à quibus, in quo loco, et loco loci audiverit, et ne fuerit communis reputatio et fama, quod dictus N. miracula fecerit, aut aliquorum tantùm, et an alii reputarent contrariam, quod miracula non fecerit, et quod illa, quæ pro miraculis reputabantur, proceſſerint ex mediamentis adhibitis, vel aliâ causâ naturali.

14. Ultimò generaliter interrogetur circa famam, an ſciat, quid ſit fama, et an illa vigueris in aliqua parte populi, an verò in majore; an orta ſit ex probabilibus cauſis, vel potius fuerit vanus rumor populi. An habuerit originem à Perſonis nimis affectis, vel ſuſpe-

ſuſpectis, & intereſſatis, puta, conjunctis, vel affinibus, amicis intrinſecis, Religioſis ejuſdem Ordinis, vel aliis quibuſcumque, qui ratione Eccleſiæ, in qua Corpus reperitur, vel ob aliquam aliam cauſam aliquod intereſſe, ſaltem affectionis, habere poſſint. An Perſonæ, à quibus fama orta eſt, eſſent perſonæ graves, & fide dignæ, an potius leves, & ordinariæ, puta, mulieres, ruſticæ, & alii idiotæ vel ignari. An hujuſmodi fama fuerit conſtans, & perpetua, quæ ſemper duraverit, vel brevi, & per modicum tempus, & citò evanuerit. An contra hujuſmodi famam fuerit unquam aliquid dictum, factum, vel auditum in contrarium. Denique, an hujuſmodi fama viguerit non ſolùm in loco, ubi dictus N. vixit, vel mortuus fuit, ſed etiam in aliis locis, & in quibus, vel potius in aliis locis, non autem in eo, in quo vixit, & mortuus fuit, vel econtra fuerit tantùm in loco, in quo vixit, & mortuus fuit, non autem in aliis locis; & unde hoc proceſſerit, quod fama non fuerit in omnibus locis, & maximè in eo, in quo vixit, vel mortuus fuerit.

In hac prima remiſſoria ſuper inquiſitione generali fieri ſolet magnum fundamentum, & meritò, quia ſi non probetur fama Sanctitatis, in loco præſertim, ubi mortuus fuit ille, pro quo inſtatur, concedi non debet remiſſoria ſuper inquiſitione in ſpecie, & propterea nunquam debet omitti hæc inquiſitio in genere. Et eſt advertendum, quod non prius conceditur commiſſio Inquiſitionis ſpecialis, quàm ſit abſoluta omnino inquiſitio generalis: ſuper qua ſi Epiſcopi deputati, ultra proceſſum, quem tranſmittere debent, reſcripſerint S. Rituum Congregationi talia, per quæ videatur, quod committi debeat inquiſitio in ſpecie ſuper veritate eorumdem, tunc proponi debet negotium in Congregatione habenda coram Sanctitate Sua ad effectum, ut Sanctitas Sua (ſi ei videbitur) requiſito conſilio Cardinalium Congregationis poſſit definire, utrum commiſſio ſpecialis ſit committenda, vel non. Quod ſi committenda videbitur, iterum erit committendum eiſdem Epiſcopis, vel aliis, prout magis expediens judicabitur, ut veritatem inquirant primò de fama, ſecundò de vita, tertiò de miraculis exactè, diligenter, fideliter, & prudenter ſecundùm articulos tranſmittendos, & interrogatoria inſerenda in Litteris remiſſorialibus mittendis clauſis, & obſignatis Epiſcopis deputandis, qui proceſſum conficere debent citato Sub-promotore Fidei nominando à Promotore generali.

Formula Litterarum Remiſſorialium, & Compulſorialium in ſpecie.

Eſt eadem, quæ ſupra poſita in genere, ſolùm mutato verbo (genere) in ſpecie, & ulterius in fine ante verſ. *Pro quibus omnibus exequendis*, ſuperadditur facultas viſitandi Sepulchrum per infraſcripta verba.

Inſuper vobis Judicibus prædictis, ut ſuprà, committimus, & mandamus, ut pro finali complemento præmiſſorum, ſepulchrum, ſeu tumbam, in quo, ſeu in qua dicitur reconditum Corpus dicti Servi Dei, & alias ejus memorias exiſtentes viſitetis, atque aperiatis, illudque, & illas cum omnibus & ſingulis circumſtantiis, & qualitatibus recognoſcatis, & deſcribatis, recognoſcique, & deſcribi faciatis, nec quivis alius, cujuſcumque fuerit ſtatûs, dignitatis, & conditionis, etiam Ducalis, Archiducalis, & Regiæ, Eccleſiaſticæ, vel Laicalis dignitatis, aliquid in dicto ſepulchro, ſeu tumba ponere, vel ex eo, ſeu ex eo ſubtrahere, auferre, vel ſubjicere, etiam ex devotione audeat vel præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eò ipſo, auctoritate ejuſdem Sac. Congregationis, de qua ſuprà, incurrenda, à qua nonniſi à Romano Pontifice poſſit abſolvi, ſed omnia, prout in viſitatione, & recognitione hujuſmodi fuerint inventa, eodem in ſtatu reponantur. Actus autem viſitationis & recognitionis hujuſmodi reſpectu Sepulchri ſecretè fiat, adhibitis tantùm iis Perſonis cum dicto Sub-Promotore Fidei, quæ vobis videbuntur pro teſtimonio ferendo de repertis, ut concurſus Populi, & omnis occaſio, vel offenſionis, vel periculi evitetur.

Forma verò Articulorum hîc non ponitur, quia in qualibet cauſa debent exhiberi à Procuratore partis, ſuper quibus Promotor Fidei debet formare Interrogatoria, cum eiſdem articulis in Litteris Remiſſorialibus tranſmittenda, ut ſupra dictum eſt.

Eſt autem obſervandum in executione utriuſque Remiſſoriæ, generalis ſcilicet, & ſpecialis, quod Juramentum præſtetur tactis Sacris Scripturis ab omnibus Teſtibus, etiam Sacerdotibus, & Prælatis, exceptis Cardinalibus, & Epiſcopis, quorum Juramentum ſufficiat tacto pectore, & examen fiat in aliqua Eccleſia, vel Loco pio Deo dicata, niſi infirmitas Teſtis, vel alia urgens neceſſitas aliud ſuadeat.

Nec prætereundum eſt, quod in Commiſſionibus Summi Pontificis Sac. Rit. Congregationi directis, apponi debet clauſula, quod, quando erunt conficiendi Proceſſus, & examinandi Teſtes in Curia, eadem Sac. Congregatio ſubdelegare debeat SS. D. N. Papæ Card. Vicarium, qui per ſe, ſeu ipſo impe-

impedito, per alios tantùm Epiſcopos, ab eo deputandos, capiat informationes neceſſarias cum interventu Protonotarii pro tempore Sac. Rit. Congregationi deſtinati.

Poſtquam verò per Epiſcopos Commiſſarios fuerit remiſſum ad Sac. Rituum Congregationem, & Secretario ejuſdem conſignatum ſub ſigillis clauſum, quicquid ipſi invenerint in inquiſitione ſpeciali; ſi Proceſſus fuerint Servi Dei, qui infra 50. annos obierit, videndum erit tantùm de illorum validitate, prout ſuprà diſponitur; Si verò dicti Proceſſus fuerint alicujus Servi Dei, qui ſupra 50. annos deceſſerit, cognito priùs in Congregatione, ut ſuprà, habenda coram Sanctiſſimo, an ſint in ſtatu, quo poſſint ad Rotam tranſmitti, tunc ad eamdem Rotam tranſmittantur ad effectum cognoſcendi de validitate; de virtutibus, & miraculis, atque de eiſdem Rotæ Auditores facere debent relationem Summo Pontifici, niſi Sac. Congregatio ſuper præmiſſis pronunciaverit.

Rotæ Auditores, quibus cauſæ fuerint commiſſæ, formare debent rubricas de iis, quæ in Proceſſibus continentur, non tamen in relationibus proferre eorum vota conſultiva, quæ ſervari debent aperienda in Congregationibus, ut ſuprà, faciendis.

In Proceſſibus faciendis illud maximè, & præcipuè obſervandum eſt, ut videatur exitus vitæ illius, qui petitur canonizari; quoniam, cum (ut dici ſolet) exitus acta probet, ſi finis vitæ illuſtris, & ſanctimoniâ plenus, & publicâ præſertim teſtificatione notatus, argumentum erit, quod actiones anteactæ poterunt eſſe ſanctæ, & ideo in formandis articulis videndum eſt, qualis fuerit vitæ exitus, & qualibus circumſtantiis Sanctitatis ſit munitus, nam in hoc articulo magnum cauſæ pondus conſiſtit.

Magnopere etiam conſiderari debet, antequam ad aliquos actus deveniatur, ut exploretur in loco, ubi mortuus fuit, vel requieſcit ille, pro quo petitur Canonizatio; ſi ad præſens fuerit, & vigeat communis reputatio, & fama Sanctitatis, & unde ortum habuerit; an ſponte homines ad veneration nem moveantur, an verò arte, & diligentia humana procuretur id exhiberi, quod non procuratum non exhiberetur.

Præterea illud etiam diligentiſſimè indagandum eſt, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione inſtatur, ſcripſerit aliquos libros, tractatus, opuſcula, meditationes, vel quid ſimile, nam ſi ſcripſiſſe conſtiterit, non priùs eſt ad aliquem actum inquiſitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter in Sac. Congregatione examinentur, utrum contineant errores contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque à communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam.

Pro habenda certiori veritate virtutum, ſanctitatis vitæ, & miraculorum Servorum Dei, pro quorum Canonizatione inſtatur, mandavit Sanctiſſimus non deberi in futurum procedi ad Canonizationem alicujus, qui aliqua veneratione, vel titulo Beati ſit decoratus, niſi priùs in eadem Sac. Congregatione coram Sanctitate Sua fuerit iterum per Cardinalem in ordine Ponentem facta plena, & diſtincta relatio, non modò eorum, quæ in Proceſſibus, & aliis Scripturis continentur, & quæ illi per Summos Pontifices intuitu ipſius venerationis clargita fuerunt, verùm etiam eorum, quæ ſupervenerunt poſt conceſſam eidem venerationem, de quibus conſtare poſſit ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat Summus Pontifex deliberare, an ſit procedendum ad Canonizationem.

Idem obſervandum circa Proceſſus fabricatos ante publicationem præſentium Decretorum, quia, antequam ad ulteriora deveniatur, docendum erit de paritione prædictorum Decretorum Sanctiſſimæ Inquiſitionis, & videndum, an Proceſſus fuerint per æquipollens ſufficienter inſtructi, & ideo formandum erit dubium, an ſit proceedendum ad ulteriora.

Proceſſus omnes in eadem Sac. Congregatione præſentati, ſigillati, & clauſi per Secretarium conſignari debent Notario ejuſdem Congregationis, deferendi ad Protonotarium deputatum ad acta Canonizationum, per quem præcedente Decreto Sacræ Congregationis, & citato priùs Promotore Fidei, ſervatiſque ſervandis aperiri debent.

Ut obviaretur multis aliis abuſibus fuit conſcripta Epiſtola particularis pro Nunciis Apoſtolicis ubique degentibus, & alia circularis cum inſertione infraſcripti Decreti mittenda Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ultra, & citra montes.

Litteræ pro Nunciis.

Admodum Illuſtris, & Reverendiſſime Domine. Cum Sac. Rituum Congregatio maturâ habita conſideratione judicaverit, ſi Pontificii per Europam Nuncii ſe ſe ingerant in excipiendis inquiſitionibus de integritate vitæ, virtutibus, atque miraculis Viri cujuſpiam cum aliqua Sanctitatis fama defuncti, facilè futurum, ut progreſſione temporis, præſumpta palam opinione, videantur hujuſmodi acta tanquam habere pondus Apoſtolicæ auctoritatis. Ideo Sac. eadem Congregatio (re priùs ad Sanctiſſimum relatâ) cenſuit Dominationi Tuæ in memoriam revocandum, ne ullius omnino hominum rogatu impulſivè duca-

iucetur in poſterum, ut apud tuum Tribunal, & ab aliis tua auctoritate ſaſſultis, de hujus generis rebus agi, atque inquiri permittat, niſi eadem Congregatio per litteras Remiſſoriales, & Compulſoriales, aut quavis alia ratione per Te ipſum fieri debere ſpecialiter ſignificet; Et, ne aliquis in tam gravi negotio ſubrepet abuſus, juſſit eadem Congregatio Amplitudinem tuam hac Epiſtola fieri certiorem de iis, quæ continentur in adjuncto Decreto, ut curet ab omnibus omnino ſervari. Sacræ igitur Congregationis ſenſum libenter ſequetur Dom. Tua, quam interim Deus incolumem, proſperamque conſervet. Romæ die 12. Martii 1631.

DECRETUM.

Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus, nihil ſit auguſtius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, utpote homines jam demortuos, etiam cum fama ſanctitatis, ac miraculorum declarare pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, Sacra Rit. Congregatio, ut res hæc planè ampliſſima, atque graviſſima rité ſanctèque conficiatur, probibet omnibus, & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Societatis Jeſu, vel aliorum quantumvis ſpeciali nota dignorum, ne audeant ipſi per ſe, aut per alios capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quod, ſi Superiori, Sacriſtæ, ſeu alteri Officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit Corpus ipſiuſmet Defuncti, vel alterius etiam Eccleſiæ, fuerint revelata aliqua miracula, ſeu prophetiæ dona, poſſint ea recipere ſub Sigillo Secreti ab ipſis tantùm relatoribus, in quorum gratiam ea contigiſſe narrabitur. Teneantur tamen, quamprimùm commodè poterunt, eadem referre, vel obſignata remittere Epiſcopo Loci cum expreſſa declaratione, quod revelationes ſic, ut ſuprà, receptæ non faciant aliquem probationis gradum, etiam cujuſvis longiſſimi temporis curſu.

Quod Decretum dum fuerat ad notitiam Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. deductum, Sanctitas Sua illud approbavit, ac imprimi, & ubique publicari mandavit.

Die 12. Martii 1631.

Litteræ pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

Admodum Illuſtris, & Reverendiſſime Domine. Cum quotidie magis notum fiat, quanta ſinceritate mentis & maturitate cogitationis incipere & proſequi deceat eorum cauſas, qui diem ultimum obiere non ſine aliqua populi relicta opinione Sanctitatis, & quàm accuratè, fideliterque in re tanti momenti adhiberi teſtes, & in examen vocari conveniat, Sacra Rit. Congregatio (facto prius verbo cum Sanctiſſimo) ne aliquis ſubrepat abuſus, juſſit Amplitudinem tuam hâc peculiari Epiſtola fieri certiorem de iis, quæ in adjuncto Decreto continentur, nempe, ut curet, ne in poſterum ulla ex parte adverſus illud à quoquam in tua Diœceſi aliquid committatur, ſed ab omnibus omnino inviolabiliter obſervetur: & quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in Sanctitatem vitæ, & miracula alicujus, qui cum prædicta fama obiiſſe dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occaſionem erroris præbet, non priùs generaliter ſuper Vitæ Sanctitate inquiri permittat, quàm particulariter de alicujus virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ tuæ magis videbitur. Quod per ſeipſum exequi Sacra Congregatio ſummopere exoptat; ſed, ſi ob invalitudinem ſive ob legitimum aliud, & grave impedimentum id conficere non valebis, ſuper quo conſcientiam tuam onerat Sac. Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum generalem, vel alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, qui Delegatus, ſive ille ſit Vicarius, ſive cujuſcumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus doctis Viris, altero ſcilicet Magiſtro in Theologia, altero verò Graduato, vel Licentiato in jure Canonico rem totam ita peragere debeant, ut omnes ſua nomina ſubnotent poſt ſubſcriptionem cujuſcumque teſtis, antequam diſcedant à loco ipſius examinis.

Curabit inſuper Amplitudo tua, ut teſtes omnes, quæcumque habent, explanate, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes redditas, neque eis reſtituntur, quæ aliàs ipſi depoſuerunt. Poſtquam verò fuerint per Amplitudinem tuam, vel per alios à Te ex cauſis ſuprà narratis ſubrogatos acta completa, ſecretò retineantur, præſtito etiam juramento à Notariis & teſtibus, ſe nemini promulgaturos, quidquid ipſi ſcripſerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis per Te, aut juſſu tuo confectis certiorem ſtatim reddere debebit Amplitudo tua Summum Pontificem, eaque, quantò citius poterit, authentice tranſcripta, ac ſigillo obſignata ad Sac. Rit. Congregationem tranſmittere. Originalia verò eodem modo obſignata, & in capſa clauſa pluribus clavibus, quæ diverſis ad arbitrium tuum cuſtodiendæ tradantur, in Archivo Patriarchali conſerventur. Notum tamen ſit Amplitudini tuæ, neque per hanc epiſtolam, neque per aliquid in ea propoſitum voluiſſe Summum

Ponti-

Pontificem, neque Sac. Rit. Congregationem tribuere, aut augere jurisdictionem aut facultatem, quæ aliàs Episcopis competere posset. Atque ut hæ litteræ nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant, & tua, & tuorum deinceps Successorum, dabit operam Amplitudo tua, ut illæ quanto citiùs tam in Curia tua Patriarchali, quàm in Archivo Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur. Vale. Datum Romæ die 12. *Martii* 1631.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater.

Declarando per hujusmodi Decreta, & Ordinationes non censeri Ordinarias aliquam novam facultatem concessam ultra eam, quæ de jure eis competit.

Postquam verò Sedes Apostolica apposuerit manum in aliqua ex prædictis causis, non poterit Ordinarius amplius in ea quoquomodo se intromittere, nec etiam ad effectum conficiendi particularem processum super cultu non adhibito, qui formandus erit per eum, cui per Summum Pontificem, vel per Sac. Rit. Congregationem hujusmodi facultas fuerit delegata.

Relationes Auditorum Rotæ, informationes in facto, & in jure, & aliæ quæcunque Scripturæ tractantes de causis Beatificationum, & Canonizationum imprimi omnino prohibentur ante earumdem causarum terminationem.

Decreta super hac materia extendenda per Secretarium S. Congregationis concipiantur semper nomine Congregationis per verbum *Videtur*, vel simile, servatâ in unoquoque negotio suprema determinatione Summi Pontificis, post factam relationem Sanctitati Suæ.

Quando Cardinales, Ponentes causarum, erunt absentes à Curia, pro interponendis Decretis necessariis in causis hujusmodi, poterit adiri Cardinalis Præfectus pro tempore Sacræ Congregationis, ut illa interponat pro Cardinale absente.

Promotor fidei, ut melius hujusmodi causæ in posterum discutiantur, teneatur in scriptis proponere difficultates, quæ continentur in quolibet processu.

Substituto Promotoris Fidei pro quolibet processu ab eodem substituto examinando per Procuratores causarum persolvatur stipendium decem Ducatorum.

Sanctissimo D. N. sic annuente, indultum est Protonotariis de numero participantium,

Primò, quòd in processibus fabricandis, & præcipuè in examinandis testibus super Martyrio alicujus Servi Dei hic in Curia omnino intervenire debeat R. P. D. Protonotarius pro tempore Sac. Congregationis.

Secundò, quòd examen prædictum debeat esse subscriptum ab ipso D. Protonotario, aliàs examen nullam faciat fidem.

Tertiò, quòd Notarius, qui prædictum examen recipiet, in hoc actu ipsi D. Protonotario subordinatus censeatur, & reputetur.

Item mandatum est, ut declamationes de rebus profanis, & plerumque de atrocioribus criminibus confictis, & imaginariis, quæ fieri solebant in Consistorio publico ab Aulæ Consistorialis Advocatis, quando Legati Sedis Apostolicæ in eorum reditu ad Urbem excipiuntur in eodem Consistorio, vel quando per Summum Pontificem traduntur Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, vel admittuntur Legati Principum ad præstandam obedientiam Sedi Apostolicæ, abrogentur omnino, & earum loco subrogentur propositiones Causarum Servorum Dei, qui famâ Sanctitatis conspicui mereantur adscribi in numero Sanctorum, sive Beatorum: pro quibus poterunt instare apud Summum Pontificem Advocati, petendo committi prosequi, vel expediri respectivè causas arbitrio Sanctitatis Suæ.

Et factâ per me Secretarium infrascriptum de præmissis omnibus relatione Sanctissimo, cum interventu R. P. D. Cerri Fidei Promotoris, Sanctitas Sua approbavit, abrogando ea, quæ bis contraria existunt, & imprimi mandavit.

Hac die 12. Martii 1642.

J. Card. Sacchettus.

Julius Cincius Secret.

In causa Martyrii, saltem individualis, Miracula requirenda esse decernitur.

In Congregatione Sacrorum Rituum

DIsputatum fuit in genere pro causis Martyrum, quæ solent in Sacra Congregatione examinari, utrum pro declarando Martyre à Sancta Sede Apostolica requirenda sint miracula? Et aliqui, scilicet P. Luca, P. Alciatus (licèt hic ambiguè) Reverendissimi Albicius, Ghislerius, Dunozet, & Homodeus fuerunt in voto, quod non sint requirenda, ex eo, quod Martyrium ad instar

inſtar Baptiſmi operetur in inſtanti remiſſionem peccatorum, & conferat gratiam; & ex eo, quod innumerabiles Martyres colantur in Eccleſia, de quorum miraculis non conſtat, nec Eccleſia de illis mentionem facit. Alii fuerunt in voto, quod requirantur, ſcilicet Reverendiſſimus Origius, Sacriſta, Magiſter Sacri Palatii, Epiſcopus Civitatis Plebis, Promotor Fidei, ſi non conſtet de actu interno, & Secretarius, ex eo, quod ad conſumandum Martyrium requiratur voluntas probata patiendo pro fide vel juſtitia, & permanſio in charitate uſque in finem; quæ veritas cum reſideat in corde, cujus tantùm, Deus Scrutator eſt, & pendeat ab actu interno finali, non poteſt probari, niſi per ſignum à Deo, quod eſt miraculum, ſive mirabile. Sic videbantur conciliari iſtæ opiniones ex ſuppoſitione; quod nimirum dato vero Martyrio miracula non ſint neceſſaria, ad hoc verò, ut in individuo hoc & hoc Martyrium probetur, miracula requirenda eſſe. Die 13. Sept. 1642.

Ex Tom. 1. Operis Lambertini edit. Bononien pag. mihi 242. num. 9.

NOTA.

EMinentiſſimus Lambertinus diſſidenti in hoc articulo Doctorum opinioni, dubiique non ſemel in S. Congregatione obortis coronidem impoſuiſſe videtur in opere & loco ſuprà relato, ita deſuper concludendo:

Series hæc monumentorum oſtendit, quod, licet nunquam editum fuerit Decretum Generale de neceſſitate miraculorum in cauſis Martyrum pro obtinenda Beatificatione aut Canonizatione, nunquam tamen formalis Beatificationis aut Canonizationis honores Martyribus indulti ſunt à Sede Apoſtolica, niſi ad approbationem Mortyrii, & cauſæ Martyrii miraculo acceſſerint; quod mihi ſatis videtur pro ſtatuenda Romanæ Sedis diſciplina de minimè Beatificandis aut Canonizandis Martyribus abſque miraculis.

Dubia de Promotore Fidei citando, de tempore inſtantiarum in actis producendarum, de Reſcripto in Commiſſione ſcribendo, & de proceſſibus de non cultu in Beatificatis &c. reſolvuntur.

CUm non reperiatur ſpecialiter diſpoſitum circa obſervantiam infraſcripto-

rum dubiorum, Eminentiſſimi Patres, Sacræ Congregationis Rituum præpoſiti, cupientes cauſas Beatificationum & Canonizationum Sanctorum, eâ, quâ par eſt, circumſpectione coram Sanctiſſimo tractari, ideo in Congregatione habita ſub die 27. Maji 1645. quæ fuit præparatoria alterius Congregationis habendæ coram Sanctiſſimo, ut maturiùs procedatur, infraſcripta dubia propoſuerunt diſcutienda.

Primum. An Promotor Fidei ſit citandus ad dicendum cauſam, quare eommiſſio generalis ſignari non debeat?

Secundum. Qun tempore inſtantiæ ſint produeendæ in actis, an ante ſignatam Commiſſionem generalem, vel poſtea?

Tertium. Per quem ſit ſcribendum Reſcriptum à Sanctiſſimo ſignandum per verbum *Placet* in calce Commiſſionis?

Quartum. An in jam Beatificatis à Sede Apoſtolica requiratur Proceſſus ſuper non cultu, vel ſuper caſu exceptuato, vel potius ſatis ſit producere Breve Beatificationis?

Et quoad primum fuerunt in voto, amplectendam eſſe affirmativam ſententiam.

Ad ſecundum. Inſtantias dandas eſſe in manibus Dom. Secretarii ante Commiſſionem, & poſtea in actis.

Ad Tertium. Reſponderunt eſſe ſcribendum per Sanctiſſimum Reſcriptum per verbum *Placet* in medio Commiſſionis.

Ad ultimum in jam Beatificatis à Sancta Sede non requiri Proceſſum ſuper caſu excepto, ſed ſignata Commiſſione, & productis inſtantiis ſatis eſſe produci Breve Beatificationis. Quæ omnia ſupraſcripta Decreta Sac. Rit. Congregatio ſervari, ſi Sanctiſſimo placuerit, mandavit. Die 27. Maji 1645.

Lambert. tom. 2. cap. 35. num. 10. pag. mihi 375. & pag. 382. col. 2.

Depoſitiones teſtium eodem ſermone, ac idiomate, quibus ab ipſis teſtibus proferuntur, deinceps ſcribi mandatur.

AUdito per Sanctiſſimum, quod in Proceſſu B. Felicis à Cantalicio Capueini peracto coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Vicario, ac relato in Congregatione Sac. Rit. præpoſita, habita die infraſcripta coram Sanctitate Sua, depoſitiones teſtium fuerant exceptæ ac ſcriptæ ad dictamen Sub-Promotoris Fidei latino idiomate, quodque

ſita etiam in aliis proceſſibus factis in Curia, dicebatur obſervatum fuiſſe, improbando hujuſmodi abuſum de conſilio Eminentiſſimorum Patrum Sac. Rit. Præpoſitorum decrevit, ac juſſit, quod deinceps depoſitiones teſtium examinandorum in cauſis Beatificationum & Canonizationum excipiantur ac ſcribantur eodem ſermone, ac idiomate, quibus proferuntur ab ipſis teſtibus, ut ex verbis ab eiſdem prolatis ſincerè, ac integrè haberi ac ponderari poſſit verus & germanus ſenſus uniuſcujuſvis Deponentium, eorumque dicta non ampliùs à Sub-Promotore Fidei, ſed ab ipſis Judicibus pro tali examine à Sac. Congregatione deputatis ſeu deputandis fore, & eſſe dictanda. Die 6. Februarii 1652.

Quod Decretum fuit confirmatum alio Decreto edito à Sac. Rit. Congreg. 3. Dec. 1672. quod cum ſuperiore extenſum reperitur tom. 2. oper. Lambert. cap. 49. pag. 510. col. 2.

Pro complenda centenaria, geſta poſt Decreta Generalia non attendi debere cenſetur.

CUm in Decretis Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſuper non cultu editis, ſel. rec. Urbanus VIII. prohibuerit Servis Dei cum aliqua Sanctitatis aut Martyrii fama defunctis quidquam cultûs, aut quamcumque venerationem præferens & indicans in Oratoriis aut locis publicis aut privatis in quibuſcumque Eccleſiis apponi, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, & Beati declarentur, & appoſitum amoveri mandaverit, exceptis iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum Virorumque ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia aut tollerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur, & longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſum, de quo in prædictis Decretis, intelligendum eſſe declaraverit, tempus centum annorum metam excedens, & multoties dubitari contingat, an pro complenda hujuſmodi centenaria ſint attendenda geſta poſt eadem Decreta. Hoc articulo in Congregatione Sac. Rit. præpoſita examinato, Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, non eſſe attendenda. Die Sabbati 23. Martii 1652.

Tom. 2. oper. Lamber. cap. 22. pag. 189. col. 1.

Ad conficiendos in cauſis Beatificationum &c. proceſſus in litteris Remiſſorialibus terminum à die conceſſionis præfigi, & Decretum hujuſmodi Decretis Urbani VIII. adjungi præcipitur.

CUm in litteris remiſſorialibus hactenus expeditis per Sac. Rit. Congregationem ad conficiendos proceſſus in cauſis Beatificationum & Canonizationum non conſueverit præfigi certus terminus, & in diſcutiendo validitatis articulo ſæpius dubitatum fuerit, num terminus legalis præſcriptus de jure *in leg. 1. & leg. final. C. de dilat.* & *in cap. Inducia 4. §. ſpatium 3. quæſt. 3.* attendendus ſit in hujuſmodi cauſis, Sanctiſſimus Dominus Noſter Alexander Divina Providentia Papa VII. ad tollendas hujuſmodi hæſitationes, conſulendumque abutibus, qui in cauſis tam arduis quomodolibet irrepere poſſent ex dilatione & procraſtinatione executionis dictarum Remiſſorialium, in Congregatione habita 2. Oct. 1655. re etiam cum Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus ejuſdem Congregationis communicata & maturè perpenſa ſtatuit & decrevit, in litteris remiſſorialibus in poſterum expediendis certum terminum à die conceſſionis earumdem litterarum omino computandum aſſignari, & exprimi debere, & quod non obtentâ illius prorogatione ſeu conceſſione novi termini proceſſus tam inchoati, quàm inchoandi ex defectu juriſdictionis, nullius roboris, ac momenti exiſtant, nec ullum probationis gradum conſtituant, ſed penitus irriti, & inanes ſint: atque ut deinceps nullus dubitationi locus relinquatur, dictumque Decretum irrevocabiliter ſervetur, illud noviſſimis Decretis juſſu ſcl. record. Urbani VIII. editis adjici mandavit.

Tom. 2. oper. Lamber. cap. 50. pag. 524. col. 1.

Per ſignaturam Commiſſionis nullum cultûs initium importari declaratur.

SAnctiſſimus Dominus Noſter in Congregatione Sac. Rituum habita die 19. Februarii 1658. noviſſimis Decretis, editis juſſu ſel. record. Urbani VIII. ſuper cauſis Beatificationum & Canonizationum, ſequentem declarationem addi mandavit, ne per commiſſiones introductionis, vel reaſſumptionis, ſeu ulterioris progreſſûs cauſarum tum ſigna-

gnatas, tum ſignandas ullum Beatitatis vel Sanctitatis, aut indultæ venerationis vel cultûs argumentum vel minimum deſumi, nec aliud quodcumque jus, quantumvis modici, aut fere ullius momenti in iiſdem cauſis quæſitum dici, vel prætendi poſſit, ſed ipſæ commiſſiones præter finem & effectum obtinendi Remiſſoriales & Compulſoriales tam in genere, quàm in ſpecie, gratiâ probandi articulatâ, & alia in eiſdem Decretis contenta, & expreſſa, ſeu alioquin neceſſaria de jure, ad præſcriptum tamen eorundem Decretorum peragenda duntaxat, in reliquis effectu & viribus quibuſvis careant, ac deſtitutæ penitus cenſeantur, nullamque propterea in ordine ad Beatificationem & Canonizationem probationis vim & gradum conſtituant &c.

Tom. 2. Oper. Lambert. cap. 35. pag. 375. col. 2.

Nomen *Martyris* ante Eccleſiæ approbationem, præmiſſis & poſtpoſitis ſolitis proteſtationibus in libris permittitur.

In Congregatione Sancti Officii die 7. Novembris 1658.

PRopoſito quæſito, an ſint appellandi abſoluti Martyres ab Infidelibus occiſi, eorumque mors dicenda Martyrium ante omnem Eccleſiæ approbationem, & an liceat dicere, *mortuus eſt pro Chriſto, occiſus eſt pro Fide, combuſtus pro Chriſto*, vel potiùs *in odium Fidei, Chriſtianæ Religionis, Evangelii &c. cum non poſſint typis mandari miracula, & revelationes Servorum Dei, nec etiam cum proteſtationibus &c.* fuit dictum, ut permittatur uſus nominis Martyrii in caſu expreſſo, quando tamen præmittantur, & poſtponantur ſolitæ proteſtationes, additâ in eiſdem expreſſione, quod non intendit Author eos, quorum vitæ conſcribuntur, nec in vim ejus ſcriptorum aliquo pacto teneri pro Martyribus.

Aliud conſimile Decretum editum fuit & 13. Novembr. ejuſdem anni & menſis, & utrumque reperitur tom. 2. operis citati c. 12. pag. 90. num. 5.

Ad coadjuvandas probationes causâ Beatificationum &c. ſemel articulatâ, novas remiſſoriales relaxari inhibetur, & primò articulatis non concludenter probantibus, omnem ulteriorem aditum cauſis clauſum eſſe declaratur.

Decretum generale.

CUm hactenus in Cauſis Beatificationum & Canonizationum ſemel articulatæ novis probationibus coadjuvari poſſe, Sac. Rit. Congregatio indulgere quandocunque conſueverit, verùm in re tam gravi indulgentiæ quælibet effugiendæ videantur, ut, quæ in humanis eſt ſinceram veritatem indagandi, ac prælibandi facultas, Sacra Congregatio eam faciliùs, ac pro viribus aſſequatur, Sanctiſſimus D. N. vetuit, poſt hæc quibuſvis ſub prætextu, vel urgenti, ac rationabili cauſa Remiſſoriales quaſcunque, vel Compulſoriales Litteras ad coadjuvandas probationes decerni, & relaxari, vel ſumendi in Urbe ſimiles probationes Eminentiſſimo D. Cardinali pro tempore Vicario facultatem attribuit. Ita ut ſi primò articulata concludenter tunc non probari contigerit, jam nulla ſit ſpes, & omnis ſit præcluſus aditus, eamet novis probationibus coadjuvandi; Hujuſmodi autem Decretum referri, & inconcuſsè ſervari mandavit: die 9. Novembris 1658.

Tom. 2. Oper. Lamb. c. 53. pag. 552. col. 1.

Informationes tam in facto, quàm in jure, aliaſque Scripturas ad cauſas Beatificationum pertinentes deinceps imprimi indulgetur.

Die 19. Julii 1661.

QUamvis ſel. rec. Urbanus VIII. Decreto edito die 31. Januarii 1631. moxque relato, & impreſſo inter noviſſima Decreta die 12. Martii 1642. pag. 61. in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum expreſsè prohibuerit relationes Auditorum Rotæ, informationes in facto, & in jure, & alias quaſcunque Scripturas tractantes de Cauſis Beatificationum, & Canonizationum imprimi ante earumdem Cauſarum terminationem, cum autem experientia fue-

rit deinceps compertum in illis exemplandis per Amanuenſes ob eorum imperitiam, vel incuriam, ut plurimùm, multa errata irrepere, quæ rerum illarum ſenſum immutant, & Poſtulatores cogi graves expenſas ſubire, quæ maxima ex parte minuerentur, ſi eiſdem liceret illas typis mandare. Ideo Sanctiſſimus D. N. Alexander Papa VII. utrique malo, provida ſollicitudine conſulere volens, de conſilio S. R. E. Cardinalium Sac. Rituum Congregationi præpoſitorum, in qua hujuſmodi negotium diſcuti mandaverat, habitâ die 9. Aprilis præſentis anni 1661. motu proprio, & ex certa ſcientia, ſuo ſpeciali Decreto indulſit, & mandavit, ut inpoſterum Informationes tam in facto, quàm in jure, Summaria, Memorialia, Oppoſitiones R. P. D. Fidei Promotoris, Reſponſiones, Replicationes, atque omnes, & quæcunque aliæ Scripturæ quomodolibet pertinentes ad Cauſas Beatificationum, & Canonizationum imprimi, & typis mandari poſſint, & valeant: non obſtantibus præfatis Decretis, quibus in hac parte duntaxat Sanctitas Sua ſpecialiter, & expreſsè derogavit, & derogatum eſſe voluit.

Tom. 1. Oper. Lambert. c. 19. p. 155.

Approbationem librorum de Servis Dei ab Ordinariis factam, ipſos duntaxat libros, non autem miracula, revelationes &c. afficere declaratur.

In Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis die 23. Maii 1668.

CUm dubitatum fuiſſet, utrum Decretum Sanctæ Inquiſitionis editum die 2. Octobris 1625., & confirmatum per Breve Apoſtolicum à s. m. Urbano VIII. die 5. Julii 1634. unà cum declarationibus inde emanatis exigeret (ante impreſſionem librorum continentium geſta, miracula, ſeu revelationes eorum, qui cum fama Sanctitatis deceſſerunt) approbationem Ordinarii quoad veritatem prædictorum miraculorum, fuit reſolutum Decretum ſupradictum cum Brevi, & explicationibus inde emanatis reſpicere approbationem tantùm libri, non autem miraculorum, revelationum, aliarumque rerum geſtarum, ut ſuprà, & ideo ſufficere proteſtationes, & quod libri prædicti approbentur ab Ordinariis cum participatione Theologorum, expectato reſponſo à S. Sede Apoſtolica.

Tom. 2. Oper. Lamb. c. 12. pag. 91.

Modus, & limites cultûs Beatis necdum Canonizatis præſtandi præſcribuntur, abuſibuſque præcavetur.

AD aures Eminentiſſimorum Patrum Congregationis Sacr. Rituum plures devenerunt, qui patrantur, Indultorum exceſſus in materia præſtationis cultûs Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ac, ne in ſuturum inducantur, providere ſtudentes, ad inſraſcripta devenerunt Decreta, &

I. Quòd eorumdem Beatorum Imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, Simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcunque, & præſertim in quibus Miſſæ ſacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſultâ Sede Apoſtolica nullo pacto exponantur.

II. Quòd ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam Imagines, Simulacra, pictaſque Tabellas in Eccleſiis poni, & coli poſſe, in pariete tantùm, non autem ſuper Altari collocandi facultas tributa cenſeatur.

III Quòd ſi conceſſa fuerit per eamdem Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet.

IV. Ubi in uno loco cultus fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.

V. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodò privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica hoc indulſerit.

VI. Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis Perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel ſæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipuè addictis, à confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate, etiam Cardinalatûs inſignitis, minimè celebrentur.

VII. Dies feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico proviſum fuerit.

VIII. Eorumdem nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantùm loci, earumque perſonarum, in quo, & à quibus cultus cum Officio, & Miſſa celebretur.

IX. In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus etiam in Oratoriis privatis recitandis par-

particularia eorumdem ſuffragia non apponantur, vel recitentur.

X. Publicis in precibus præter indultas, & à Sede Apoſtolica approbatas iidem Beati non invocentur.

XI. Eorumdemque reliquiæ in proceſſionibus minimè circumferantur.

Sacra tamen Congregatio præſentibus declaratione, & juſſione removere non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum annorum metam excedentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenus præſtitum, ac certis modo, & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verùm, ſi à centum annis citrà, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit auctus, & extenſus, eo caſu Sacra eadem Congregatio eumdem in priſtinum reduci jubet, prout quemvis cultum extra caſus prædictos ad expreſſa tantùm verbaliter in Apoſtolicis indultis omnino revocari mandat ſub pœnis &c.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuſcunque à S. Congregatione hactenus emanatis, quæ præſenti Decreto renovantur.

His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione Sac. Rituum ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Sacchettum accuratè perlectis, maturè diſcuſſis, Sanctitas Sua ea approbavit, & pro omnimoda eorumdem obſervatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapſo termino ſex menſium à die publicationis eorumdem omnes, & ſingulos afficiant, & arctent, ac ſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita, vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent. Indulſitque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint, imò debeant Sæculares, & Regulares quoſcunque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Jeſu, Sancti Antonii Viennen., & S. Joannis Hieroſolymitani, ac reliquos omnes, ſpeciali expreſſione indigentes, etiam ſub cenſuris compellere.

Cumque aliqui nulli ſubdantur Epiſcopo, qui eos, ſi exceſſerint, coërcere valeant: eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nuncijs, ſi aderint, ſin minus ab Archiepiſcopis, in quorum Provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantùm Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Dioeceſis limites eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tanquam à Sede Apoſtolica Delegatis ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino cogantur. Die 27. Septembris 1659.

Tom. 1. Oper. Lambert. cap. 37. fol. 316. col. 2.

Decreta præpoſita per dubiorum deſuper ortorum reſolutionem declarantur.

ALlatis ad Sacrorum Rituum Congregationem dubiis circa obſervantiam, & intelligentiam Decreti ſuper cultu Beatis adhuc non Canonizatis editi die 27. Septembris 1659., & publicati 3. Februarii præſentis anni 1660.

Primò, an, ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem, & ſimulacrum ſuper altari exponere, nec non votivas tabellas ibidem appendere?

Secundò. An §. = *Dies feſti in Beatorum honorem non celebrentur* = extendatur ad feſta devotionis?

Tertiò. An indulta recitandi Officium cum octava, vel ſine octava, & celebrandi Miſſam de Beatis fuerint revocata per dictum Decretum S. Congregationis?

Quartò. An in Eccleſiis, in quibus Miſſa, & Officium de Beatis recitari, ac reſpectivè celebrari poſſunt, liceat eorum Reliquias exponere?

Quintò. An Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, poſſint de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere?

Sacrorum Rituum Congregatio reſpondit

Ad primum affirmativè.
Ad ſecundum negativè.
Ad tertium pariter negativè.
Ad quartum affirmativè.
Ad quintum negativè. Die 17. Aprilis 1660.

Tom. 1. Oper. Lamber. edit. Bononien. fol. 318.

In

In Decretis approbationis Librorum à Servis Dei editorum, titulos ſingulorum exprimi, impreſſoris nomen, loçum, ac impreſſionis tempus addi &c. jubetur.

SAcra Rituum Congregatio mandavit, ut in poſterum in Decretis approbationis operum à Dei Servis, dum viverent, editorum, exprimantur tituli ſingulorum, & nequaquam verba generalia adhibeantur; ita ut, ſi quæ alia opera ad notitiam, vel ad manus Sacræ Congregationis delata fuerint, Decretum jam editum declaratione non egeat, vel idem in aliqua parte nullatenus abrogandum ſit: Die 1. Octobris 1661.

Facto autem verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas Sua annuit, ac præterea, ſi quæ fuerint impreſſa hujuſmodi opera, addi mandavit, & impreſſoris nomen, locum, ac tempus impreſſionis, & aliàs, quot Capitula contineant, & quot foliis conſtent. Die 10. ejuſdem menſis Octob. eodem anno 1661.

Tom. 2. Oper. Lamber. cap. 27. num. 13. fol. 310.

In tranſitu Beatificationis ad Canonizationem, in Congregatione plenam duntaxat relationem de iis, quæ cultûs conceſſionem præceſſerunt &c. fieri, & econtra, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerunt, per juridicas probationes diſcuti ſancitur.

SAnctiſſimus Dominus N. Clemens IX. ad omnem hæſitationem deſuper penitus tollendam, die 10. Septemb. 1668. in Congregatione habita coram Sanctitate Sua declaravit, ac reſpectivè decrevit, quòd in poſterum in cauſis Servorum Dei, qui aliqua veneratione, & titulo Beati à Romanis Pontificibus decorati ſunt, Cardinalis in Ordine Ponens in Congregatione coram Summo Pontifice habenda plenam, & diſtinctam relationem facere tantummodò debeat eorum, quæ cultûs conceſſionem præceſſerunt, & quæ intuitu ipſius venerationis quomodolibet elargita fuerunt; ea verò, quæ poſt indultam venerationem, ſeu cultum quomodolibet ſupervenerunt, debeant per juridicas probationes diſcuti, ac prævia maturâ diſcuſſione ad juris trutinam redigi, prout hactenus inconcuſsè ſervatum fuit, ut ex iis conſtare poſſit, num Sedes Apoſtolica tutò valeat ad ſolemnem illius Canonizationem, juxta S. Romanæ Eccleſiæ ritum, & Canonicas Sanctiones devenire.

Ex Tom. 1. Oper. Lamber. cap. 25. fol. 202. col. 1.

DECRETA

Sacræ Rituum Congregationis

Servanda in cauſis Beatificationum, & Canonizationum edita juſſu s. mem. Innocentii XI., & ab eodem laudata, confirmata, & approbata.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Innocentius XI. providè conſiderans, quod in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus, aut gravius ſit, quàm homines declarare pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, & perpendens, quòd licèt fel. rec. Urbanus VIII. de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis nonnulla ſuper hoc ediderit Decreta, ſubindeque Sac. Rit. Congregatio alias ordinationes fecerit ſecundùm caſuum contingentias à Summis Pontificibus approbatas, nihilominus experientia docuit, quòd adhuc nonnulla deſiderantur pro meliori Cauſarum hujuſmodi directione; idcirco juſſit, materiam diligenter diſcuti primùm in Congregationibus particularibus, deinde verò in generalibus, prout factum fuit: & ſub diebus 9. Julii, & 6. Auguſti 1678. emanârunt Reſolutiones ſequentes, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit, publicandæ.

Primò. Animadvertens eadem Sacra Congregatio, quod neceſſarium ſit, ut Proceſſus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, cenſuit, mandari Ordinariis Locorum, ut ultra Teſtes inductos à Poſtulatoribus, teneantur ipſi quoque inquirere, ac examinare alios Teſtes bene inſtructos ſuper vita, & moribus Servi Dei, &, ſi aliquid repererint in contrarium, quod ipſis videatur relevans, ſuperſedeant in ulteriori inquiſitione, donec Sacra Congregatio ab eis certiorata per Litteras mandet, quid agendum ſit.

Secundò. Hujuſmodi diligentias ſervari vult, etiam in Proceſſibus, auctoritate Apoſtolica faciendis à Judicibus delegatis, quibus per Litteras particulares Sacræ Congregationis enixè id commendari debeat: & idem faciat Promotor Fidei in Litteris ſcribendis Sub-Promotoribus.

Ter-

Tertiò. Et pro majori cautela præſcribi debeat in Litteris Remiſſorialibus, quod non ſolùm Interrogatoria retineantur ſemper clauſa, & ſigillata cum ſigillis eorumdem Judicum, non aperienda, niſi in actu examinis, & claudenda in fine, ſed ulterius depoſitiones ipſæ, antequam Proceſſus ſit abſolutus, in fine cujuslibet ſeſſionis claudi, & ſignari debeant cum Sigillis Judicum, nec poſſint aperiri, niſi in præſentia ipſorum in principio cujuslibet examinis & ſeſſionis; ac hujuſmodi diligentiæ fieri debeant etiam in Proceſſibus fabricandis in Curia. Iidem Judices, prout etiam Sub-Promotores, & Notarii, tam in partibus, quàm in Curia, ac Teſtes, & in Curia etiam Protonotarius, debeant ante inchoationem Proceſſuum præſtare juramentum de ſervando ſecretum religioſè, ſub pœna excommunicationis ipſo facto in caſu contraventionis incurrendæ, juxta formulam ejuſdem juramenti imprimendam in fine Decretorum, & pro omnimoda obſervantia, tranſmittendam Judicibus delegatis in ipſis Litteris Remiſſorialibus, & Sub-Promotoribus in Litteris Promotoris.

Quartò. Conſiderans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in Cauſis Beatificationum, & Canonizationum conſtitui debet in fideli interpretatione Proceſſuum extero idiomate confectorum, & quod, licèt ex laudabili obſervantia Interpres ſemper fuerit electus ab Eminentiſſimo Ponente, citato, & audito R. P. Fidei Promotore, nihilominus ſuper hoc Decreta generalia nihil diſponunt; idcirco decrevit, quod inpoſterum in qualibet cauſa Interpres eligatur ab Eminentiſſimo Cardinali Ponente, citato, & audito R. P. Fidei Promotore, & pro majori cautela, poſtquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo Viro probo, & perito, qui ſecretè ad hoc officium aſſumatur ab eodem Eminentiſſimo Ponente, &, ſi reperiatur aliquis error ſubſtantialis, Interpres ſeverè puniatur arbitrio Sac. Congregationis: per quem Eminentiſſimum deferri debeat tam Interpreti, quàm Reviſori juramentum de fideliter ſibi munus commiſſum adimplendo; quibus etiam eadem Sacra Congregatio aſſignavit mercedem pro ſuis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies ſit linearum 24., & linea ſyllabarum 16.

Quintò. Advertens etiam, quàm neceſſaria ſit diligens cuſtodia Proceſſuum originalium, decrevit, quod ii, ſicuti etiam interpretationes originales illorum, qui ſunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivo Sac. Congregationis in Vaticano in loco clauſo, & ſeparato ab aliis ſcripturis, nec poſſint amoveri, niſi de ordine Eminentiſſimi Cardinalis Ponentis, vel ad inſtantiam R. P. D. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus ſit, & deinde reportandi; cujus Archivi duæ ſint claves, una penes Protonotarium Apoſtolicum, qui pro tempore intervenerit Sacræ Congregationi, & altera penes Secretarium, & clavis loci, in quo cuſtodiuntur dicti Proceſſus, ſtet penes eundem Protonotarium, alterius verò, in quo retinentur aliæ ſcripturæ Sac. Congregationis, penes Secretarium.

Sextò. Idemque Protonotarius curam habeat revidendi Inventarium dictorum Proceſſuum, &, quatenus non eſſet, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una ſtet penes eundem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem Archivo; & in fine anni iidem Protonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, & conferre cum Proceſſibus, ad effectum recognoſcendi, an aliquid deficiat, & curandi, ut reportentur, & Secretarius referat in prima ſequenti Congregatione.

Septimò. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum pag. 28. quod non prius Sedes Apoſtolica moveri ſoleat, quàm Reges, Principes, & aliæ Perſonæ authenticæ & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non ſtatim, ſed expectare, quod diu pulſetur, nam, ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium inſtantiæ, tunc Sanctiſſimus Pontifex, ſi ei videbitur, committit cauſam Sac. Congregationi; ideo, ſi ita Sanctiſſimo viſum fuerit, cenſuit eadem Sac. Congregatio Commiſſionem non eſſe ſignandam, niſi poſt elapſum tempus decem annorum à die præſentationis Proceſſûs auctoritate Ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigoroſa diſcuſſione ejuſdem Proceſſûs cum Scriptura & Summario, & inſuper habitis poſt decennium à die fabricationis illius novis litteris Epiſcoporum circa percrebeſcentiam famæ Sanctitatis & Miraculorum, ac devotionis Populi enixè pro Beatificatione & Canonizatione inſtantis: niſi tamen in aliqua Cauſa ex peculiaribus circumſtantiis Sacra Congregatio exiſtimaverit, anticipari poſſe tempus in diſcuſſione Proceſſuum auctorita. te Ordinariâ confectorum, & Sanctiſſimus hoc approbaverit.

Octavò. In cauſis Servorum Dei ante Decreta ſel. recor. Urbani VIII. introductis non ſignentur Commiſſiones reaſſumptionis, niſi priùs per Sacram Congregationem exami-

minatis Proceſſibus tam auctoritate Ordinaria confectis, quam auctoritate Apoſtolica, quatenus adſint.

Nonò. Cum in Decreto approbato à ſel. rec. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impreſſo in libello pag. 57. Sac. Congregatio cognoſcens, quod in hac re, utpote graviſſima, ritè, ſanctèque procedendum eſt, prohibuit omnibus & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm Regularibus, quantumvis ſpeciali nota dignis, ne audeant per ſe, vel per alios capere informationes ſuper Sanctitate, aut Miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones, ſub pœnis arbitrio ipſius Sacræ Congregationis, infligendis, illud confirmando juſſit, quod hujuſmodi extrajudiciales atteſtationes non ſolùm exquiri, aut obtineri non valeant, ſed rurſus, quod hactenus obtentæ, ſive in futurum obtinendæ, non faciant aliquem gradum probationis, nec inſeri poſſint in Proceſſibus tam Ordinaria, quàm Apoſtulica auctoritate fabricandis.

Decimò. Sub-Promotor Fidei à R. P. Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco ſpoliandi, & examinandi Proceſſus (ex quibus pendet Beatificationum & Canonizationum ſubſtantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujuſmodi munus diligentiſſimè, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quæ ſolent à Procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum Proceſſibus, ſubſecuta atteſtatione, quod fuerunt per ipſum reviſa, & in quolibet folio ſe ſubſcribat, eandemque diligentiam conferendi cum exemplari manuſcripto iterum faciat, poſtquam fuerint impreſſa, cum iterata ſubſcriptione in fine, quam ſubſequatur ſubſcriptio & ſigillum Secretarii: nec ante prædictas ſubſcriptiones poſſint tam Summarium, quàm Informationes publicari ſub graviſſimis pœnis tam quoad Poſtulatores, quàm etiam quoad Impreſſorem arbitrio Sac. Congregationis, ſeu Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti infligendis. Idemque Sub-Promotor (quatenus ipſe D. Promotor ex diligenti, & accurata reviſione Proceſſuum, quam facere ſolet, neceſſarium vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium objectionale ad comprobationem oppoſitionum conficere, quod Sac. Congregatio plurimùm expedire cognoſcit ad hoc, ut veritas magis elucefcat. Et pro quolibet Proceſſu ab eodem Sub-Promotore examinando in quolibet dubio perſolvatur ei ſtipendium decem ducatorum auri præſcriptum in Decretis generalibus pag. 62. cum declaratione tamen, quod reſpectu Proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, qui pluries ad diverſum effectum examinari debent, dictum ſtipendium debeatur pro tribus dubiis tantùm, nempe prima vice, quando diſputatur Validitas, ſecunda vice, quando diſputatur de Virtutibus, ſeu de Martyrio & cauſa Martyrii, & tertia vice, quando diſputatur de Miraculis, quam vis diſputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, ſeu eadem dubia in diverſas inſpectiones pro faciliori reſolutione dividantur.

Undecimò. Et, quis materiæ gravitas & dignitas expoſcit, ut pertractetur, & dirigatur à Viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ, cenſuit Sac. Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quàm Summaria, in quibus potiſſimùm conſiſtit Cauſarum pondus, aſſumantur ſolùm Procuratores Collegii Sacri Palatii Apoſtolici, tribuendo Poſtulatoribus libertatem eligendi ex dicto Cœtu, quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non poſſit eodem tempore patrocinari plures Cauſas, quàm quatuor, ad hoc, ut eis faciliùs operam dare poſſint, ſub pœna inhabilitatis ampliùs ſcribendi in caſu contraventionis: & liceat Partibus in quocumque ſtatu Cauſæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Eminentiſſimi Ponentis, mutare Procuratorem, dummodo alius in ejus locum ſubrogandus ſit de eodem Collegio, & non habeat in totum plures Cauſas, quàm quatuor.

Duodecimò. Advocati verò ad ſcribendum in Jure aſſumi debeant ad libitum Poſtulatorum, dummodo ſint ex Collegio Sac. Conſiſtorialis Aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis à Sacra Congregatione; ita tamen, ut quilibet eorum ſex tantùm Cauſas patrocinari poſſit.

Decimotertiò. Pro mercede autem prædictorum, ac etiam Notarii, Sacra Congregatio juſſit ſervari Taxas ab ea diligenter reviſas, quæ, ut omnibus innoteſcant, typis mandari debeant, & in fine Decretorum inſeri.

Decimoquartò. Cum etiam obſervatum fuerit, ſæpe Poſtulatores dare ſcripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione Miraculorum, & ex alia parte non fuerit ſolitum reſponderi per Peritos ejuſdem profeſſionis, ideo videtur neceſſarium ad hoc, ut reſpondeatur ſecundùm artem, quod Eminentiſſimus Ponens deputet ex officio, ſecretò, ac prævio juramento alium Medicum & Chirurgum celebriorem, qui reſpondeat pro veritate ad effectum videndi, an aſſerta Miracula excedant vires naturæ.

Die

Die 15. Octob. facta per me infraſcriptum relatione Sanctiſſimo præfatorum Decretorum eum eorum integra lectura, Sanctitas Sua ea laudavit, & approbavit, atque ſervari mandavit, ac publicari.

Joan: Baptiſta de Luca Auditor, & Secretarius Memorialium.

Bernardinus Caſaliut Sac. Rit. Cong. Secretarius.

Forma Juramenti Judicum ante proceſſuum inchoationem.

Ego infraſcriptus tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis juro, & promitto fideliter adimplere munus mihi commiſſum, circa fabricationem Proceſſûs in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam Decretorum Sac. Congregationis Rituum, & præcipuè noviſſimorum, quæ confirmata fuerunt à Sanctiſſimo Dom. Noſtro Innocentio XI. Necnon juro, & promitto religioſè ſervare ſecretum, tam de contentis in Interrogatoriis, quàm de Teſtium depoſitionibus ſuper iiſdem, & ſuper artículis, nec de iis loqui cum aliquo Perſona, exceptis Judicibus, & Sub-Promotore, ac Notario pro eodem Proceſſu deputatis, & in Curia excepto etiam Protonotario, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi à Summo Pontifice (excluſo etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis artículo, abſolvi poſſim: Et ita promitto, & juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præſtabitur à Sub-Promotore, & Notario, & in Curia etiam à Protonotario, mutatis mutandis.

Forma Juramenti Teſtium.

Ego infraſcriptus tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro dicere veritatem tam ſuper Interrogatoriis, quàm ſuper Artículis, ſuper quibus examinabor, necnon ſervare ſecretum, nec alicui penitus revelare, tam contenta in iiſdem Interrogatoriis, quàm reſponſiones, ac depoſitiones à me factas, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Summo Pontifice (excluſo etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis artículo, abſolvi poſſim: Et ita promitto, & juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ex libello Decretorum impreſſo typis R. C. Apoſt.

Tom. VII.

Religioſos in Notarios proceſſuum de Servis Dei ejuſdem Ordinis conficiendorum aſſumi ſub pœna nullitatis eorumdem proceſſuum inhibetur.

UT cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei, quæ ſunt inter majores, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur, & unicè pertinent, omni, quâ par eſt, diligentia & abſque ullo ſuſpicionis nævo peragantur, Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa XII. audito verbo Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, præſenti Decreto ſuo mandat, & prohibet, ne in poſterum in confectione quorumeumque proceſſuum, ſive ſuper virtutibus & miraculis, ſive ſuper fama Sanctitatis, aut cultu immemorabili, aliiſque eorumdem Servorum Dei, quæ in cauſis prædictis fieri ſolent, in Notarios præfatorum proceſſuum Religioſi ejuſdem Ordinis, quem Servi Dei, dum vixerunt, profeſſi ſunt, aſſumantur, etiamſi prædicti Religioſi privilegiis Protonotariorum Apoſtolicorum, aut aliis quibuſcumque favore ſuæ Religionis, & Ordinis fuerint inſigniti, ſub pœna nullitatis eorumdem proceſſuum ſtatim, ipſo facto, & abſque ulla declaratione incurrenda: præcipiens R. P. D. Fidei Promotori, ut in ſuis inſtructionibus, quas ſuper hujuſmodi proceſſibus conficiendis ad Judices Delegatos tranſmittere ſolet, præſentis Decreti mentionem expreſſam faciat, aut per extenſum, prout ſibi viſum fuerit, illis id inferere non omittat. Et ita Sanctitas Sua inviolabiliter obſervari mandat. Die 18. Auguſti 1731.

Tom. 2. Oper. Lambert. cap. 47. num. 9. fol. 486.

Teſtes ex officio in proceſſibus etiam ſuper miraculis examinari ſancitur.

Decretum Generale.

UT cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei pari diligentia, & conſueto Apoſtolicæ Sedis rigore peragantur, Sac. Rit. Congregatio ad evitandas in poſterum Poſtulatorum earumdem cauſarum excuſationes & effugia præſenti Decreto jubet ac præcipit, ut, ſicut in proceſſibus, qui fiunt ſuper Virtutibus Servorum Dei ex præſcripto ſan. mem. Innocentii Papæ XI. Teſtes

ſtes ex officio ſub pœna nullitatis, à Judicibus, ſive Ordinariis, ſive Delegatis examinari debeant, ita iidem Teſtes ex officio in proceſsibus etiam ſuper miraculis omnino examinentur juxta normam in litteris Remiſſorialibus contentam, & expreſsam ſub eadem pœna nullitatis prædictorum proceſſuum, qui ſine examine Teſtium ex officio etiam ſuper miraculis in poſterum fient. Et ita decrevit &c. hac die 31. Martii 1733. Factâque per me Secretarium infraſcriptum de hac re Sanctiſsimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua Decretum Sac. Congregationis approbavit, & ſervari mandavit. Die 28. ejuſdem menſis & anni.

Tom. 2. Oper. Lamber. cap. 48. pag. 498. col. 2.

De Secreto Suffragiorum tenendo, de Officio Poſtulatoris à nullo Conſultorum aſſumendo, de auxilio Conſultoribus ab Advocatis non præſtando, & de Conſultoribus Congregationibus intereſſe non debentibus.

DECRETUM.

CUm Sanctiſſimo D. N. Clementi XII. innotuerit, nonnullos in examinandis Cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, quæ inter Majores apud Sedem Apoſtolicam pertractari ſolitas numerandæ ſunt, irrepſiſſe abuſus, quibus antiquus, perpetuuſque rigor, diſciplina, ac praxis Sacræ Rituum Congregationis imminui, & notabiliter relaxari videtur, iis obviam ire, efficaxque remedium adhibere volens, Reverendiſſimo D. Cardinali Zondadario, ejuſdem Sacræ Congregationis Pro-Præfecto vivæ vocis oraculo, ſuaque auctoritate injunxit, ut præſens Decretum omnibus, qui de gremio præfatæ Congregationis ſunt, communicandum, & intimandum ederetur.

Mandat igitur Sanctitas Sua, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut Secretum, quod inviolabiliter hucuſque (paucis nonniſi annis novæ, inauditæque Doctrinæ diſſeminatione exceptis) ſervatum fuit, de Suffragiis nedum in Generali Congregatione coram Sanctitate Sua latis, ſive ſuper Virtutibus, ſive ſuper Miraculis Beatorum, & Servorum Dei, verùm etiam in Congregationibus, quæ Antepræparatoriæ, & Præparatoriæ nuncupantur, quæque ad illam Generalem coram Sanctitate Sua ordinem dicunt, & connexionem cum ea habent, omnino ſervetur, & teneatur; ita ut nemini inpoſterum ſub quocumque prætextu liceat Vota affirmativa, negativa, aut ſuſpenſiva ſuper memoratis Virtutibus, & Miraculis, aliiſque rebus, difficultatibus, obſtativis, cenſuris, & ſermonibus in prædictis Congregationibus latis, & habitis, alteri cuicumque, qui de Congregatione Sac. Rituum non eſt, ſive directè, ſive indirectè, propalare, & referre, ſub pœna Perjurii, & Excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ in formula juramenti præſtari ſoliti contenta, & expreſſa, & à qua nonniſi à Summo Pontifice pro tempore exiſtente, excepto etiam majori Pœnitentiario, præterquàm in articulo mortis, abſolvi poſſit.

Inſuper, ut omnis cujuſcumque privatæ, & domeſticæ affectionis radix amputetur, Dominique Conſultores munus ſuum illibatè, & conſtanter exerceant, ac in Suffragiis ferendis, prout in Domino judicaverint, liberè, & indifferenter ſe gerant, mandat & præcipit Sanctitas Sua, nemini ex Conſultoribus licere, officium, nomen, & partes Poſtulatoris Cauſarum, ſive ſuæ, ſive alterius Religionis, Civitatis, Loci, Patriæ, & Regionis, etiam ſub velamine, quod alter Poſtulator deputatus jam ſit, peragere; minuſque Cauſas antedictas aliis Conſultoribus, prætextu etiam eos informandi, commendare. Ipſi verò Conſultores, tales, qui id audere præſumpſerint, minimè admittant, imo rejiciant, nec cum illis ſermonem immiſceant, ſub eadem pœna Perjurii, & Excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ &c.

Prohibet etiam Sanctitas Sua, ne Advocati, Procuratores, & Poſtulatores prædictarum Cauſarum DD. Conſultoribus in examinandis Virtutibus, & Miraculis Beatorum, & Servorum Dei, ſuper quibus Suffragium ferri debet, inſerviant; caveatque D. Secretarius Sacræ Congregationis illos fucato titulo, ſive obtentu Conſultoribus inſerviendi, ad juramentum admittere. Incongruum enim, imo inconveniens valde eſt, ut, qui memoratarum Cauſarum vel Patroni, vel Promotores ſunt, earumdem inde meritorum, ac Suffragiorum conſcii, & participes ſint.

Demum præcipit Sanctitas Sua, ut, cum cauſæ cujuſcumque Beati, vel Servi Dei Ordinem aliquem, vel Religionem, dum vitâ frueretur, profeſſi, tractantur, Conſultores, qui de prædicto Ordine, vel Religione ſunt, Congregationibus omnibus tam Antepræparatoriis, & Præparatoriis, quàm Generali coram Sanctiſſimo omnino non interſint.

ſint. Exceptis tamen Perſonis in Dignitate Epiſcopali conſtitutis, nec non Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Hæc omnia, ut exactius obſerventur, Sanctiſſimus Dominus Noſter præſens Decretum typis edi, & publicari, ac in libello Decretorum ſan. mem. Urbani VIII., & Innocentii XI. apponi mandavit. Hac die 11. Maii 1733.

Exempl. Impreſ. in Arch. Gen. Armario *S. Rit. Congr.*

In cauſis Beatorum beatificatione æquipollenti immemorabilem cultum in ſpecie quoad cultum cum Miſſa, & Officio probari debere decernitur, & Beatis beatificatione formali Miſſas, & Officia propria concedi inhibetur.

SAcra Rituum Congregatio ad præoccupandas multiplices, & fere continuas, quæ proponuntur, inſtantias pro conceſſione Officii, & Miſſæ tam pro Beatis & Sanctis ex cultu immemorabili, qui hujuſmodi Officii, & Miſſæ prærogativa nunquam potiti fuêre, quàm pro Beatis à S. Sede Apoſtolica beatificatis, præſenti ſuo Decreto jubet, & mandat, immemorabilem probatam ſuper veneratione, & cultu alicujus Sancti non Canonizati, nec Beatificati, non ſuffragari ad effectum, quod de illo poſſit concedi Miſſa, vel Officium, ſed in ſpecie, & in illo loco eſſe probandam immemorabilem quoad cultum cum Miſſa, & Officio juxta aliàs Decreta per eandem Sac. Congregationem ſub die 20. Novembris 1628. annuente s. m. Urbano VIII., ac ſucceſſivè confirmata per s.m. Innocentium XII. ſub die 17. Octob. 1693., quæ vult inpoſterum omnino eſſe ſervanda, & exequenda. Quò verò ad Beatos, ſcilicet à Sede Apoſtolica Beatificatos, expreſsè etiam mandat, & præcipit, inſtantias amplius non recipi, vel admitti tam pro conceſſione Miſſæ, & Officii proprii in eorumdem honorem, nec pro iis determinatis locis, & particularibus Perſonis, quibus in Brevibus Beatificationum ſacultas celebrandi Miſſam, & recitandi Officium de communi indulta eſt, quàm pro exreuſione ejuſdem Miſſæ, & Officii de communi, ad alia loca, & perſonas, præter illa, ſeu illas in dictis Brevibus aſſignatas.

Die 11. Auguſti 1736.

Factâque deinde per me Secretarium Sanctiſſimo D. N. Clementi Papa XII. relatione, Sanctitas Sua Decretum iſtud S. Congregationis confirmavit, & approbavit, ac inpoſterum inviolabiliter ſervari juſſit. Die 17. ejuſdem menſis Auguſti 1736.

Tom. 4 par. 2. Oper. Lambert. in addit. fol. 359.

INSTRUCTIO

Pro conficiendis Relationibus Miraculorum, quæ identidem in diverſis mundi Partibus operari dignatur Altiſſimus ad interceſſionem Beatorum, aliorumque Venerabilium Servorum ſuorum, quorum Cauſæ ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis introductæ, vel introducendæ ſunt in Sac. Rituum Congregatione.

CUm mirabilis Deus in Sanctis ſuis Eccleſiam Catholicam, ceu Sponſam ſuam unicè dilectam, per ſigna & miracula certam reddere conſueverit de gloria ſempiterna illarum animarum, quæ Chriſto in Charitate conjunctæ in hac vita mortali bonum certamen certârunt, curſum conſummârunt, fidem ſervârunt; indeque nedum coronam juſtitiæ reportârunt in Cœlis, verùm etiam ejuſmodi adeptæ coronæ teſtimonio in conſpectu Eccleſiæ militantis ex divino beneplacito condecorari merentur, ideo Supremus Chriſti Vicarius in Terris Romanus Pontifex Divinæ voluntati obſequens, tum demum ad Canonizationem Beatorum, aut ad Beatificationem Venerabilium Servorum Dei ſolemniter procedit, quando poſt factam omnem poſſibilem humanam diligentiam, quæ in re tanti momenti per rigoroſiſſimum examen Virtutum, Martyrii, & Miraculorum judicialiter ſolet adhiberi, poſtque ſuſas ad Deum preces cælitus moveri ſe ſentit, ad primum cultum, vel ipſius cultûs augmentum Venerabilibus Dei Servis, & Beatificatis reſpectivè decernendum. Quam in rem quia ſufficere non poſſunt relationes illæ ſuccinctæ & compendioſæ, quæ de ſignis, & miraculis paſſim ad Urbem mittuntur, eò quòd nec relevantia facti, nec probationum ſufficientia inde ſatis deſumi, ac multò minus Articuli, & Interrogatoria pro formando Proceſſu Apoſtolico deſuper efformari poſſint, ex juſto motivo, ne cum maxima temporis, & ſumptuum jactura quis invitatur relationibus ejuſmodi Factorum, quæ miraculoſa quidem apparent, ſed talia revera non ſunt, aut verò, quæ ſufficienter in judicio probari non poſſunt &c.; hinc opportunum maximè, & conſultum duximus

omnibus iis, ad quos ſpectat, notum facere, quæ vel maximè in colligendis ejuſmodi relationibus, iiſque ad Urbem mittendis obſervare, ac peragere oportet.

In primis igitur advertere juvabit, eorum dumtaxat Factorum relationes à Nobis exigi, quæ ex judicio prudentûm verè miraculoſa dignoſcuntur, ſeu, quæ talia ſunt, ut omnis naturæ creatæ vires penitus excedant, quod tripliciter contingere poteſt.

Primò. Si excedat vires omnes naturæ creatæ quoad *ipſum ſubſtantiam Facti*, uti ſi unum Corpus ſit in duplici loco, vel duo Corpora in uno loco, ſi Sol ſtat, aut retrocedat &c. Quæ & alia his ſimilia nullo modo poteſt operari natura, ac proinde ejuſmodi Facta miraculoſa inter miracula primæ claſſis ſolent numerari.

Secundò. Si excedat *quoad ſubjectum*, ut ſi reſuſcitetur mortuus, illuminetur cæcus, multiplicentur cibi, vel liquores, ac generaliter loquendo, ſi ſanetur quis à morbo naturaliter inſanabili; in quo ſecundo genere miraculorum non eſt neceſſariò probanda inſtantaneitas, aut medicamentorum, vel criſis abſentia: poteſt enim natura vitam, & viſum dare &c. ſed non mortuo, & cæco &c., idque nec modico, nec multo temporis ſpatio, neque item cum medicamentis, & criſi &c.

Tertiò. Si excedat *quantum ad modum, & ordinem faciendi*, ut ſi gravis quædam increſcens infirmitas ſubitò, ac ſine medicina, vel criſi depellatur; nam cum natura quoque ejuſmodi morbos paulatim, ac curando pellat, ſanationes ejuſmodi ut miraculoſæ cenſeantur, inſtantaneas fuiſſe oportebit, ita ut tota morbi vis, ac malitia in inſtanti ſublata remanſerit, quo modo naturaliter ſequi non poteſt. Item neceſſe eſt, ſi non totalem, ſaltem notabilem ſimul receptam fuiſſe virium recuperationem, abſque eo, quod alia adhibita fuerint medicamenta, vel ſaltem non talia, quæ ſanationem eo tempore, quo ſecuta eſt, efficere potuerint; neque præceſſerit aliqua criſis naturæ, quæ eſſe potuerit ſalutaris; item, quod taliter ſanatus per notabile tempus in recuperata ſalute perſeverârit, vel ſaltem in priſtinam infirmitatem non reincidetit.

Conſideratâ taliter miraculi revelantiâ, indagare ſimul oportet, an adeſſe poſſit ſufficiens ejuſdem miraculi probatio, quòd nimirum haberi poſſint ad minus tres, aut quatuor Teſtes, qui de viſu, & propria obſervatione illud conteſtari valeant eum omnibus ſuis circumſtantiis.

His ita præmiſſis, ſuper omnibus iis miraculis, quæ prudentûm judicio tantæ exiſtimantur relevantiæ, ut de iis ſperare liceat ab Apoſtolica Sede approbationem, ac ſuper quibus haberi poteſt ſufficiens probatio, quò citius fieri valet, extendantur, & ad Urbem mittantur pleniſſimæ, ac diffuſiſſimæ relationes.

Quoniam verò pleraque Miracula, ſic diſponente Domino in ſanationibus à diverſis morbis contingere ſolent, ideo eum earumdem ſanationum hypotheſi procedendo, opportunè advertitur, quod in qualibet ex dictis relationibus exprimi primò locò debet Nomen, Cognomen, & Ætas Sanati: qua in ætate erat conſtitutus, dum infirmari cæpit: quo, ſeu qua ſpecie morbi ſuerit affectus: quæ & qualia medicamenta ab initio morbi uſque ad ſanationem eidem ſuerunt propinata, eadem diffusè, ac diſtinctè explicando, an ex eis aliquod unquam levamen reportârit, vel potius, iis non obſtantibus, morbus ſemper in ſua contumacia perſeveraverit, quanto item tempore dicto morbo ille laboravit, recenſendo diſtinctè, ac diffusè ejuſdem morbi qualitatem, acceſſum, augmentum, durationem, ſymptomata, omneſque alias circumſtantias ab initio ejuſdem uſque ad invocationem Servi Dei, ſeu applicationis Reliquiæ ad illum ſpectantis; & an idem morbus incurabilis, vel difficilis curationis judicatus fuerit à Medicis, vel Chirurgis, & ex quibus rationibus, & motivis.

Rurſus num tempore habiti recurſûs ad interceſſionem Servi Dei morbus in ſua contumacia & gravitate perſeveraret: an eo tempore aliqua interceſſerit naturæ criſis, & quæ: inſuper quo impulſu, & cujus inſinuatione ad Patrocinium Servi Dei Sanatus confugerit: quibus verbis illius opem, & auxilium imploraverit: an tunc firmam, & vivam fiduciam habuerit per ejus merita, & interceſſionem adipiſcendi ſanitatem.

Inſuper, an ſtatim & incontinenti poſt imploratum Beati, aut Venerabilis Servi Dei patrocinium, ac applicatam ejus Reliquiam tota vis, & malitia morbi abſceſſerit, vel potius paulatim, & ex intervallo, exprimendo diſtinctè, quantum temporis ſpatium intereeſſerit ab invocatione Servi Dei ad totalem, & perfectam ſanationem, quove modo, quibuſque circumſtantiis eadem ſeenta ſit: an ulteriùs ſanatus ſtatim ac eodem tempore, quo morbus abſceſſit, naturales ſimul vires, colorem, alacritatem, & alia quæcumque, perfectam ſanitatem indicantia, recuperaverit, & adhuc in eadem ſanitate perſeveret; atque demum omnes & ſingulæ circumſtantiæ, & motiva diſtinctè, ac diffusè exprimi debent, ex quibus Teſtes moventur ad formandum certum judicium, quod talis ſanatio non niſi evidenti miraculo adſcribi debeat, atque demum ſignificati

debet,

debet, quot, & quales teſtes deponere poſſunt ſuper quolibet ex dictis miraculis.

Præ cæteris autem curandum eſt, ut ſuper iiſdem miraculis extendantur diffuſiſſimæ relationes à Medicis, vel Chirurgis (quatenus ſint) qui tales infirmos miraculosè ſanatos curârunt. Iſtique in eorum atteſtationibus diſtinctè recenſere debent morbi ſpeciem, cauſas, effectus, acceſſum, augmentum, ſtatum, durationem, ſymptomata, omneſque ſingulas alias circumſtantias ab initio ejuſdem morbi uſque ad ſanationem, necnon omnia, & ſingula medicamenta, per eos ad curationem adhibita, & quo effectu: exprimendo etiam omnes, & ſingulas rationes, & motiva, quæ eorum peritia eis ſuggeret pro certo eſſormando judicio, quod talis ſanatio non niſi virtute ſupernaturali ſequi poterat.

Significari inſuper debet, quâ in Civitate, quo in loco, & in qua Diœceſi reperiuntur Teſtes informati de unoquoque miraculo; item nomen Epiſcopi Diœceſani uniuſcujuſque loci, in quo ſequentur, vel ſecuta ſunt miracula; & an in talibus locis adſint alii Epiſcopi Suffraganei, aut Vicarius Generalis, ac Dignitatea, ſeu Canonici Eccleſiæ Cathedralis, aut in defectum Cathedralis, alicujus Collegiatæ; hujuſmodi enim notitia neceſſaria eſt, ad effectum ſtatuendi, cui, vel quibus Judicibus committi valeat Apoſtolica Commiſſio pro conſtructione Proceſſuum.

Atque demum inſinuare opportunum ducimus, neceſſarium non eſſe, ut ſupradictæ relationes ſint authenticæ, aut recipiantur per acta alicujus Notarii; ſed ſufficit, ut ſint ſimplices, & abſque ulla judiciali ſolemnitate à Teſtibus ſubſcriptæ, quæ hìc in Urbe nullam probationem facere debent, ſed tantùm deſervire Poſtulatori Cauſæ ad dignoſcendum, an ejuſmodi prætenſa miracula re ipſâ talia ſint, pro quibus examinandis Apoſtolicam Commiſſionem petere, eorumque relationes Procuratori Cauſæ, & Reverendiſſimo Domino Promori Fidei extradere dignum ſit ad extendendos deſuper Articulos, & Interrogatoria, ſuper quibus poſtea examinandi erunt Teſtes in Proceſſibus conſtruendis in vim enunciatæ Commiſſionis Apoſtolicæ. Atque hæc dicta ſint, & ſcripta, ſalvo ſemper &c.

Exempl. impreſſ. in Arch. gen. Ord. Arm.
S. Rit. Congregatio.

BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Oraculorum &c.
quæ à Sede Apoſtolica pro Ordine Capucino
emanârunt

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

P. SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius dicti Ordinis MINISTRI GENERALIS

Variis Notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejuſdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMI SEPTIMI

PARS SECUNDA

Documenta Apoſtolica, Miſſiones Ordinis Capucini extra Provincias, & potiſſimùm in partibus Infidelium conſtitutas concernentia complectens.

PRÆNOTATIO.

POst ea, quæ ordinem, ritumque cultûs Sanctorum concernunt ac Divini, opportunè transgredior ad illud, quod teste Dyonisio Carthusiano *Opusc. de reg. arch. c.* 11. *Omnium divinorum divinissimum est*, ac *cooperando Deo in reductione Animarum ad ipsum* expletur. Quàm amplo effluvio hæc scaturiat ex Missionibus inter Infideles potissimùm institutis, probant abundè historiæ Ecclesiasticæ libri, ac continuæ, quæ ad almam Urbem mittuntur, disperſorum Missionariorum relationes. Quapropter de his acturus, consultum censui nonnulla prælibare, per quæ excellentia Missionum magis eluceſcat, & plenior ordinis, quem jam in iis ſervari oportet, acquiratur notitia.

Porro Missiones Apostolicas in diversis Mundi terraquei plagis institui, ipsa harum conditio dictat necessarium: in hisce enim reperiri, vel in dies detegi scimus homines, *quibus*, juxta illud Sap. 13. v. 1. & 2. *non subest secretum Dei, & qui de his, quæ videntur bona, non possunt intelligere Eum, qui est, neque operibus attendentes agnoscunt, quis sit artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putant*, & qui, etsi ex cœtu hominum sint, absque humanitate tamen inter se vivunt, per sylvas vagantur, aut in cavernis hospitantur, sine lege viventes, & sine lege pereuntes. Jaciatur super quatuor Mundi partes fugax obtutus, & videbitur Asia fere tota, & Affrica Mahumetismi & infidelitatis tenebris involuta, ac (quin de Europa varia hæresi ac schismate dissecta quid memorem) America maxima adhuc ex parte paganismi errore immersa. Videbitur, quod etiam ii, quibus in his ipsis orbis partibus gratia Salvatoris nostri Dei illuxit, & qui de jugo servitutis transierunt in libertatem Evangelicæ adoptionis, adhuc lacte, quo nutriantur, indigeant, & adhuc ceu parvuli petant ipsis frangendum panem, quo roborati feliciùs pugnent contra infernum, *animam suam* contra eos *dilatantem, & aperientem os suum absque ullo termino*. Is. 5. v. 14. Ex quo manifestam Missionum vel instituendarum, vel conservandarum necessitatem, nemo est, qui non agnoscat: quomodo enim gentes verba salutis, Evangelium gratiæ, ac dogmata veræ fidei *audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?*

Jam verò authoritatem mittendi in solo Summo Romano Pontifice residere eò firmiùs

firmiùs concluditur, quò certiùs eidem universalem animarum curam incumbere, tum ex traditis illi regni Cœlorum clavibus, tum ex concessa ligandi ac solvendi potestate, tum ex concredito oves pascendi munere dignoscitur. *Habent alii*, inquit D. Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 8. *sibi assignatos greges, singuli singulos: Summo verò Pontifici universi crediti sunt, uni unus.* Petro, Christi Vicario, in mentis excessu oltensum est *quatuor initiis* defluum de aperto cœlo in terram *vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cœli.* Ad Petrum ibi facta est vox, *surge Petre, occide & manduca.* Act. 10. v. 11. 12. seu, uti Philippus Rovenius Archiep. Philip. in suo tract. de Mission. pag. mihi 17. ait, Petro dictum est, *spiritualiter interfice in his immundis gentilibus per quatuor orbis partes dispersis vitam præteritam, & fac, ut transeant in Corpus Ecclesiæ, in quo novam vitam sortiantur. Tu tanquam Caput Ecclesiæ infideles converte, ex non ovibus oves fac, & ex non fidelibus fideles*, gratasque Deo hostias effice annuntiando iis fidem, sine qua Deo placere impossibile esse toties Sacra Scriptura clamat.

Munus hoc gravissimum sibi adhærere S. Petri Successores, Summi Pontifices agnoverunt semper, & illud in iis universale Patres declarârunt, ita, ut D. Bernardus *lib. 3. de considerat. c. 10.* eos etiam *Infidelibus Debitores* nuncupet. Excurrere autem personaliter ad remotas Regiones, ad dissita maria, & nauseantis naturæ deserta cum non possint, utpote quos sollicitudo omnium Ecclesiarum, ac provida gubernii ratio in fixa detinet sede, Episcopos, aliosque Apostolicos Viros in partem laboris vocare, ac in opus Evangelii segregare eos oportet, sectantes in hoc D. Petri exemplum, qui, dum ob molem, & concluſam piscium copiam retia cum Andrea restringere non valebat, ex alia navi socios ad opem ferendam vocavit. Nosse, quàm sedulâ curâ, & indefessâ vigilantiâ Summi Pontifices hasce muneris sui partes semper adimpleverint, aliud non requiritur, quàm, ut inspiciantur Bullaria Pontificia, legantur historiæ Ecclesiasticæ, volvanturque Annales Ordinum Regularium &c. tot enim ibi obviabunt assertionis meæ documenta, quot pro concilianda fide longè abundant.

Vix tamen unquam salubrius quid circa Missiones actum videtur, quàm dum sapientissimo Gregorii XV. consilio Congregatio Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, de Propaganda Fide vocitata, anno 1621. fuit instituta, cum facultate *omnia & singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscendi, tractandi ..... Ministros necessarios constituendi, & mutandi &c.* Ex hoc enim jam evenit, ut, quæ olim confusè circa Missiones agebantur, regulato gressu procedant, libertatis actio statutâ lege coarctetur, &, dum Missionarius in agro Dominico operatur, Roma modum dictet ad uberioris fructûs collectam.

Quæ omnia dum ceu certa relinquo, propiùs ad meum finem accedo, ac ad Ordinis nostri Capucini Missiones progredior.

Tria videntur potissimum capita, quæ Capucinum ad suscipiendas stimulare debent Missiones, exemplum videlicet S. P. Francisci, libertas Fratribus in Sacra Regula concessa, & deinde ipse Missionum finis & scopus.

Nihil ita ad virtutis, quantumque etiam arduæ, æmulationem movet, quàm exemplum: ostensum hoc in extero, allicit, captivat, incitat: ostensum autem in Patre, trahit ad sequelam; eoipso enim, quod tenero Paternitatis charactere sit affectum, excitat in Filio reverentiam, quæ attractivæ exempli virtuti unita reddit impulsum fortiorem. Vertendum mihi in vitium meritò foret, si Fratres no-

ſtros de zelo, quo Sanctus Pater noſter erga ſalutem hominum flagravit, prolixiore excurſu inſtruere cogitarem. Nulli enim non nota eſt tenera compaſsio, qua cor Franciſci penetravit & feriit recordatio tot infidelium, quorum *ſpes inter mortuos eſſet, & qui appellarent Deos, opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manûs antiquæ. Sap. cap.* 13. & qui in cognitione veri Dei cum animarum ſuarum perditione cæcutirent. Scimus omnes, quod *Vir Catholicus, & totus Apoſtolicus* in Dei opere, ſeu converſione miſeræ ejus gentis ita fervuerit, ut non ſolùm Sociorum ſuorum quoſdam ad Occidentale Miramolini regnum, anno ſuæ converſionis undecimo deſtinaret, ſed etiam ipſemet ad Orientis Provinciam, Syriam, pergeret, quatenus uno eodemque tempore in Occidente, orientem luciferi ſalvifici figeret, & in Oriente, occidentem ſectarum tolleret, ac Orientem & Occidentem in vinculo fidei uniret, animaſque diabolica fraude ibi deceptas veritatis lumine muniret.

Quo uno exemplari Divi Patris actu (plures enim conſultò reticeo) in quocunque ejuſdem Filio non degener zeli ſtudium accendi debet. Nullus eſſe debet Capucinus, in cujus corde non ebulliat ſanguis, dum S. Patris exemplo ſe ad animas quærendas invitari audit, & qui non geſtiat glorioſa Illius veſtigia ſectari, eaque proprii cruoris ſacrificio renovare.

Conſpirat ad hæc ſacra conſilia ipſa D. Patris intentio, dum Fratribus ad hunc finem libertatem conceſſit in Regula cap. 12. ita expreſſam = *Quicunque Fratrum divina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios Infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus: Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum* = Notari tamen hîc oportet verba, & ſignari myſteria: notari oportet, quod univerſalitas ex verbo *quicunque*, *to omnis* correſpondente reſultans, à duplicata divinæ inſpirationis, & examinatæ idoneitatis conditione reſtringatur: non omni Capucino *data eſt manifeſtatio ſpiritûs ad utilitatem* Eccleſiæ, nec quilibet ſibi ſumere debet Miſſionis honorem, niſi ſit vocatus, & de veritate divinæ inſpirationis, cui libertas Regulæ annexa eſt, non ſolùm interna voce, ſed etiam exquiſito ſaniorum & ſeniorum conſilio, ſufficienter perſuaſus: non omni ſpiritui credi hortatur Divus Joannes, cum multoties Angelum Sathanæ in Angelum lucis ſe transfigurare non ignoremus, & aliquando divinæ inſpirationis effectus proponatur, quod poſtmodum volubilis ſpiritûs delirium deprehenditur. Ritè & rectè tamen Frater Regulæ utetur libertate, ſi inſpirationi divinæ, quam allegat, accedat idoneitas, de qua Miniſter Provincialis judicat. Perfectum ut hoc ſit judicium, non ſolùm in Fratre aliæ virtutes, & qualitates, inſpirationis divinæ teſtes, ad cenſuram revocari, ſed etiam omnis partialitatis affectus, & vitioſa ſtudia in ipſis Miniſtris deponi debent. Meminiſſe juvat Miniſtros Provinciales, monitum fuiſſe à D. Paulo Timotheum, ne citò manus quibuslibet imponat, quare? *ne communicet peccatis alienis*. Deplorat & idem Doctor gentium fictum quorumdam Evangelizantium zelum, quare? *quia ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſincerè*. Repellit denique idem Paulus ab Apoſtolico miniſterio nonnullos alios, quare? *quia quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti*. Eapropter ſi Miniſtri Provinciales alieno peccato contaminari nolint, ſeligant Fratres pios: ſi venerandum Apoſtolatûs officium ficto Miſſionis colore prophanari non cupiant, deſtinent ad id Fratres ſinceros: ſi fructum, quem exſpectat Eccleſia, vagâ videndæ terræ curioſitate, cognoſcendi populi vanitate, rerumque mundanarum collectione ſuffocari nolint, proponant Fratres, nonniſi in Jeſu Chriſto, & hoc Crucifixo gloriantes.

Propo-

Proponant, inquam, hujuſmodi Viros Sacræ Congregationi de Propaganda Fide per Reverendiſſimum Patrem Procuratorem Generalem, (nulli enim jam Miniſtrorum, nec etiam Majorum Superiorum amplius competit facultas deſtinandi Operarios ad partes Miſſionum, quæ ſoli dictæ Congregationis ſubſunt juri), & mediatè, vel immediatè ab hac deſtinatos ſua ſancta benedictione, merito S. Obedientiæ Regularis, digniſque charitatis officiis comitentur. Ita autem ſi obviet Fratris libertati rectum judicium Miniſtrorum, probabit ſuâ gratiâ Deus ſelectum, & feliciter attingetur finis Miſſionum, qui Capucino tertium ad has addere debet ſtimulum, in lucro, & in converſione animarum conſtitutus.

Quàm glorioſa de hac locuti ſint Sancti Patres, multa ambage recenſere hic non vacat: brevis illius ad ſua objecta conſideratio juſtam nobis ſubminiſtrabit dijudicandæ ejus dignitatis regulam. Eam ſi intueamur ad ipſum Deum relatam, nullum, D. Gregorio *lib.* 1. *in Ezech. hom.* 11. teſte, *Omnipotenti Deo gratius eſt Sacrificium, quàm ſit zelus & converſio animarum.* Illam ſi metiamur ex ipſo pretio animæ, opus toto mundo æſtimabilius reperitur, dum, ut ait Divus Bernardus, *totus iſte mundus ad unius animæ pretium æſtimari non poteſt; non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit* lib. med. cap. 3. Ad ipſum Miſſionarium conſiderata, firmat hunc in certiore ſpe immarceſcibilis illius coronæ, quam fidus Paſtorum Princeps iis præſertim, qui relictis Patriæ, Provinciæque commodis per ſentes & dumos, ac per immanes terrarum mariumque tractus in expirantis mundi angulos excurrunt, errantes oves conquirentes, in Evangelicum ovile congregantes, pro iiſdemque animam ſuam ponere lætantes, adpromittit. Illam denique ſi inſpiciamus in ſe, ea illud *opus unum* eſt, quòd à Chriſto per excellentiam factum Joannes 7. *verſ.* 21. commemorat, vel, de quo Origenes *tract.* 13. *in Joan.* dicit, *perfectio operis ejus eſt, ſalus hominis.* Mirari proin non oportet, dum jam primum Ordinis noſtri luſtrum ſpiritu Miſſionis ſeu converſionis animarum in plagis infidelium conſpicuum enituit, & jam anno 1551. quo tentatio Fratrum externa nonnihil quievit, in horum animis Evangelicus zelus pullulavit. Horum Athletarum primum Annales noſtri *tom.* 1. *pag* 452. exhibent Fr. Joannem Zuaze à Metymma campeſtri, in Hiſpano Caſtellæ Regno ſita oriundum, qui Spiritu Domini actus cum Fr. Joanne Appulo laico Conſtantinopolin perrexit prædicaturus ibi Jeſum Chriſtum. Vocem autem Evangelizantis illico interrupit ſonus flagrorum, quibus in eorum corpora lunatica debacchata eſt barbaries: & dum illa verberum ſanguine vivacior in Regia Majeſtatis reſonuit, clauſa inter carceres obmuteſcere debuit. Ex his denique uterque dimiſſus excuſſit pulverem de pedibus, & Alexandriam Ægypti, ac inde Memphim ſeu Cairum, Civitatem Ægypti inſigniorem, proceſſit, ubi dum & prædicationem Evangelii cœpit, repetit veſanus furor flagella, & dum hæc conſtantem animum à Sacro propoſito dimovere non poſſent, perpetuo carceri abſque cibo & potu ſententia Judicis utrumque mancipavit. Libertate, quam pro iis Gallus Orator poſt tempus obtinuit, frui non amplius poterant, cum eorum corpora ſiti & fame jam conſumpta, & exanimata Cuſtos repererit.

Progreſſum Reformationis noſtrę ſi inſpicere libeat, plures obviant Fratres, veri illius Seraphici Patris, *qui non ſibi ſolùm vivere, ſed & aliis proficere voluit, zelo Dei ductus*, Filii, qui anguſti termini, in quo Profeſſio illos poſuerat, quaſi pertæſi, eruperunt in Regiones Orientis & Aquilonis, eaſque imbre cœleſtis doctrinæ irrigârunt. Unus pro omnibus ſit teſtis S. Joſepus à Leoniſſa, qui

& ipſe ut in Byzantina Civitate glorioſum Chriſti Crucis Vexillum erigeret, magnanimo ſpiritu ipſa Imperatoris interiora cubicula penetravit. Finem quidem heroici conſilii non attigit, gloriam tamen veteris Martyrii non amiſit, dum unco ferreo manu pedeque dexteris ſuſpenſus, capite & reliqua corporis compage in terram pendente, per triduum permanſit.

Inſtitutâ, uti ſuprà dictum eſt, S. Congregatione, quæ de Propaganda Fide vocatur, Religio noſtra non ſine æmulatione novellum hujus zelum coadjuvare, Sacraque ejus juſſa ſemper exequi ſtuduit. Quantùm illo ipſo tempore celebres Patres Leonardus, & Joſepus de Tremblay Pariſienſes, quorum memoriam tomus quintus exhibet, pro dilatatione Miſſionum in Oriente &c. egerint, nulla poſtera ſilebit ætas. Ducenta & quadraginta millia ſcutorum Fr. Antonius Cardinalis Barberinus, Capucinus, in Sacræ Congregationis ærarium, teſte Ciacconio, intulit, eandemque ex aſſe hæredem reliquit. Scripſit & Eandem ſuæ ſubſtantiæ hæredem Fr. Franciſcus Maria Cardinalis Caſſinus, pariter Capucinus, hinc & in æviternam beneſacti memoriam depicta utriuſque imago in Palatio Sac. Congregationis, & quidem in eo cubili, cui alterum ad Sacrum Congreſſum deſtinatum, contiguum adjacet, appenſa aſſervatur. Reticeo libros, quos Capucini de Miſſionibus conſcriptos typis evulgârunt, cum eos Bibliotheca Scriptorum Ordinis exarret: Sileo Authores, qui Capucinorum in Miſſionibus zelum de ſuis libris incidenter commendant, ne nimium divager: Non revoco ad calculos heroica facinora & geſta, quibus Capucini characterem Miſſionarium, in aſſumptâ vel ſibi commiſſa Evangelica Statione, illuſtrârunt, cum præter ea, quæ ſequuntur, inſtitutum meum aliud non exigat. Præterire tamen nec debeo nec volo, partiali utcunque ductus affectu, quod Ordo Sacræ Congregationi non ſolùm primum, qui eam ex aſſe hæredem conſcripſit, Benefactorem, videlicet, eminenter dictum Cardinalem Antonium Barberinum, ac primum Martyrem, S. Fidelem à Sigmaringa dederit, verùm etiam Fratres ſuos, & horum Sanguinem Sacratiſſimis ejuſdem nutibus ſacrificare gloriæ ſibi ſemper duxerit, & adhuc ducere pergat.

De anteactis hæc dicta ſint; præſentaneum jam ſtatum Miſſionum, quas extra ſuas Provincias Ordo colit, ſi inſpiciamus, obviat ille primo obtutui ex Miſſionum numero glorioſus, & ex locorum conditione conſpicuus. Juvabit perfectionem hujus obtutûs lectio eorum, quæ continent præludia, cuilibet Miſſioni, & Miſſionis præfixa Documentis. De his ut plenior habeatur inſtructio, illa non ex trivio librorum, ſed ex ipſo pro more meo hauſta & deſumpta eſſe fonte ſciendum eſt. Conſtitutionum Pontificiarum & Decretorum Sacrarum Congregationum (illa de Propaganda Fide exceptâ) ſtante Reviſorum approbatione liber mihi patuit typus; circa Decreta autem hujus S. Congregationis oportuit à me ſervari Sanctiones Pontificias; oportuit nullum horum à me ſubjici prælo, quod prius non fuiſſet cenſorio illius judicio remiſſum, cum ipſo Apoſtolici Archivi autographo collationatum, & ad lydium ejus lapidem probatum. Sat multum quidem temporis, uti jam in primæ partis præfatione annotavi, in hoc fuit inſumptum, diuturnitatem tamen & damna coactæ meæ patientiæ plurimùm compenſavit copia Documentorum, quæ, cum mihi deeſſent, humaniſſimâ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Nicolai Lercari, prædictæ Sac. Congregationi à Secretis benignitate mihi fuerunt communicata, ita ut ſi quæ gloria Religioni noſtræ ex hujuſmodi Documentis accedat, Religio illius partem Illuſtriſſimo huic Præſuli debeat.

Cir-

Circa hæc ipsa autem Sacræ Congregationis Decreta monendum occurrit, quod, quantumvis authentico polleant vigore, pro cujuslibet tamen Missionarii arbitrio ad universalem usum & consequentiam facilè trahi non debeant. Una quidem est in omnibus Missionariis habendarum facultatum necessitas, sed non est una omnium Missionum & locorum conditio, hinc nec & ipsa Sac. Congregatio omnibus Missionariis unam eandemque facultatum formulam largitur, sed eam, quæ diversitati loci seu Personæ congruit, concedit ab aliis diversam. Nec mens Sacri Senatûs est, ut, quod pro speciali Missione & casu individuo ab ipso decisum est, violentâ & imperfectâ illatione ad omnem Missionem, & Missionis casum torqueatur. Inspiciendæ sunt à Missionario facultates ipsi pro sua Missione in specie, & singillatim concessæ, & hæ sint ipsi justa illa decempeda, secundùm quam limites suæ potestatis metiatur. Pro casibus particularibus alia Decreta scrutari et consulere, actio quidem rationi consona censetur, ubi tamen vel loci diversitas, vel casûs disparitas aliqualiter advertitur, recedatur ab aliena et torta consequentia, et similis decisio dissimili non applicetur casui.

Nec etiam in hac tomi parte hujusmodi Decreta exhibentur, ut confuso illorum usu in Missiones inducatur pernicioſum chaos, sed ideo referuntur, ut historiæ Ordinis diplomaticæ deserviatur, & veneranda Apostolicæ Sedis Documenta, quæ aliàs in Archivi forulis marcescerent, in publica charta perennent, & æquè, quid olim circa Missiones actum sit, ac quid impræ, sentiarùm agatur, vel ad gaudium, vel ad stimulum, vel ad eruditionem à Nostratibus conspiciatur.

Ne etiam præcipiti consilio Præcones Fidei ad privilegiorum suorum asylum confugiant, prætensoque horum vigore Decretorum Sacrorum vim eludere nitantur, monendi sunt. Sparso quidem in Missionum exercitio sanguine, ac fuso multiplici in Vinea Domini sudore illa potissimum parta fuisse ipsæ Sanctissimæ Pontificum Constitutiones docent, ea tamen, in Missionibus præsertim, restringi & arctari, diversarum circumstantiarum suasit necessitas. Reminiscantur, quod Decreta Sac. Congregationis generalis de Propaganda Fide ex Sanctione Urbani VIII. vim & valorem Constitutionis Apostolicæ contineant, & dicta Sanctio ab Innocentio X. contra Missionarios, qui in *Insulis Philippinis Decreta prædictæ Congregationis facere tantùm opinionem probabilem, ac esse puram & simplicem declarationem, unde etiam contrarium possit defendi*, divulgârunt, fuerit confirmata. Reminiscantur, quod eoipso, quod hujusmodi Decreta, Constitutionibus privilegiorum sint posteriora, hæ per illa infirmentur, ac suo careant vigore. Revocata autem pro parte privilegia, qui scire ambit, Verricellum *de Apost. Missionibus tit.* XVII. quem Rmus P. Bremond jam aliàs laudatus *tom.* VIII. *Bullarii Ordin. Præd. pag.* 345. necessariò à Missionariis legendum monet, consulat: inspiciat recentiores Bullas & Constitutiones Pontificias, lustret modernos de Missionibus agentes Authores, aut noviter de iis evulgatos Libros, & in iis plura Regularium circa Misiones privilegia, ad terminos juris reducta facili negotio animadvertet.

Ut tandem viam, quam ingressus sum, abbreviem, regredior ad Fratres, qui præclaro Missionariorum charactere aut jam sunt insigniti, aut adhuc insignientur, eosque in Domino exhortor, ut non solùm in omnibus seipsos præbeant exemplum bonorum operum, similes facti S. Regis Josaphat Sacerdotibus, *qui docebant populum in Juda, habentes Librum Legis Domini, & circuibant cunctas Urbes Judæ, atque erudiebant populum*, verùm etiam à triplici vitio

vitio, quod potiſsimùm Miſsionarios coinquinat, ſibi caveant. Caveant à Sanctæ Regulæ, & Habitui ſuo difformi bonorum colligendorum cupidine, *nec queſtum exiſtimantes pietatem, in avaritia fictis verbis negotientur, & in hypocriſi loquantur mendacium*, ac duplicata iniquitate & miniſterium ſui Apoſtolatûs, & profeſsionem ſuæ vitæ contaminent.

Caveant à mundani honoris vanitate, veri Fratres Minores, ne inanis gloriæ cupidi gloriam Dei, quam quærere debent, negligant, & tum Sac. Congregationi, tum ipſi Ordini noſtro ſe reddant contemptibiles. Caveant denique immiſcere ſe Sæcularium negotiis, cum nemo Deo militans manus ſuas polluat ſæcularis curæ ſorde. Revocent ad mentem ea, quæ D. Joannes Chryſoſtomus *hom. 46. ſuper Matth.* in Apoſtolis commendat, & Miſſionariis in exemplum proponit: *magnos* illos fuiſſe aureus Doctor commemorat, quod univerſum Orbem ab errore ad veritatem, ac à veteri ſuperſtitione ad veræ Fidei cultum, non miraculorum pompa, ſed virtute vitæ ab omni avaritia, vana gloria, & ſæcularium negotiorum turbine purgata perduxerint = *Quid eſt enim, quod eos magno oſtendit? pecuniarum contemptus, gloriæ deſpectus, & ab omnibus vitæ negotijs ereptio: quæ ſi non habuiſſent, etſi mortuos ſuſcitâſſent, non ſolùm nullos juviſſent, ſed etiam Seductores æſtimati eſſent.* Miſsionarie Capucine, Frater Minor, Magnus ſi cupis eſſe coram Domino, fac te Apoſtolum, & Vale.

Licentiam imprimendi &c. à Sac. Congregatione de Propaganda Fide datam Lector in fine hujus ſecundæ partis reperiet.

MONU-

MONUMENTA APOSTOLICA

Miſſionariis Apoſtolicis communia, & ea potiſſimum loca, in quibus Miſſionarii Capucini exiſtunt, afficientia.

Indos Baptizatos, vel baptizandos cum Uxore; pariter baptizata aut baptizanda, tanquam cum Uxore legitima, aliis dimiſſis, remanere poſſe declarat.

S. PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Omani Pontificis æqua & circumſpecta prudentia, ne ea, quæ pro ſalutis Indorum noviter ad fidem converſorum & convertendorum directione ſanciri debent & terminari, alicujus dubitationis ſcrupulo ſubjaceant, declarationibus & aliis opportunis conſuevit providere remediis. Cum itaque, ſicut accepimus, Indis in ſua infidelitate manentibus plures permittantur Uxores, quas ipſi etiam leviſſimis de cauſis repudiant: hinc factum eſt, quod recipientibus Baptiſmum permiſſum ſit manere cum ea Uxore, quæ ſimul cum marito baptizata exiſtit. Et quia ſæpenumero contingit illam non eſſe primam Conjugem, inde tam Miniſtri, quàm Epiſcopi graviſſimis ſcrupulis torquentur, exiſtimantes illud non eſſe verum Matrimonium; ſed, quia duriſſimum eſt ſeparare eos ab Uxoribus, cum quibus ipſi Indi Baptiſmum ſuſceperunt, maximè, quia difficillimum foret primam Conjugem reperire: ideo Nos ſtatui dictorum Indorum paterno affectu benignè conſulere, atque ipſos Epiſcopos & Miniſtros hujuſmodi ſcrupulis eximere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut Indi (ſicut præfertur) baptizati, & in futurum baptizandi cum Uxore, quæ cum ipſis baptizata fuerit, & baptizabitur, remanere valeant, tanquam cum Uxore legitima, aliis dimiſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus Matrimonium hujuſmodi inter eos conſiſtere, ſicque per quoſcumque Judices ac Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublatâ eis & cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; & ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus. Non obſtantibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti MDLXXI.

Ex Bullario Romano edit. antiquæ.

NOTA.

NOTA.

VIdeſis & Conſtitutionem 117. Benedicti XIV. tom. 1. Bullarii pag. 483. extenſam, & idem privilegium Neophytis in loco pio Cathecumenorum Venetiis conceſſum, ampliore conditione explicantem. Quinam verò ſub nomine Neophytorum comprehendantur, dilucidat ſequens paragraphus ex Conſtitutione glor. mem. Clementis IX. emanatâ 8. Januar. 1669. & incipiente *Animarum ſaluti* excerptus:

Quia à nonnullis dubitatum fuit, an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum indigenarum & baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, jure Neophyti appellari poſſint: idcirco tenore earumdem præſentium decernimus, & declaramus, omnes oriundos, ſeu naturales ſupradictarum omnium tum Orientalium, quàm Occidentalium partium; imò etiamſi Æthiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum Regionum, & ſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati: vel etiam intra ſe, vel cum Europeis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis hujuſmodi effectum, eſſe & intelligi debere Neophytos, dictoſque Presbyteros cum hujuſmodi, ut vel Matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere poſſint, ſive eorum alter tantùm, ſive etiam uterque inde oriundus, ac propriè indigena ſit in locis, & aliàs, ut ſupra, in quibuſcumque conſanguinitatis vel affinitatis gradibus jure Divino, ut ſupra, non prohibitis, primo excepto, & aliàs, ut præfertur, gratis tamen diſpenſare poſſe concedimus & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos Meſtiſos *vocant, majus dubium eſſe accepimus, cum eiſdem Meſtiſis, quos ſimiliter ad hunc effectum Neophytos cenſendos eſſe decernimus, in gradibus & matrimoniis contractis & contrahendis prædictis, gratis tamen, dummodo non ita facile fiat, diſpenſare &c.*

Miſſionariis ad deſtinatas ſibi Provincias rectâ tendere mandat, ac in via morari, aut ab ea deflectere prohibet.

PAULUS PAPA V.

Ad futurum rei memoriam.

ACcepimus non ſine animi noſtri moleſtia, Religioſos, qui Religionis Catholicæ propagandæ, & aliàs in vinea Domini laborandi causâ, ad Indiarum partes, & certas illius Provincias à ſuis Superioribus delegantur, deſtinatas ſibi Provincias & loca non petere, verùm vel in ipſo itinere immorari, vel aliò deflectere, non ſine Religionis ejuſdem diſpendio, & ſalutis animarum detrimento.

Quare Nos pro noſtra Paſtoralis officii ſollicitudine omnium ſaluti intendentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, omnibus & ſingulis cujuſcumque Ordinis, Congregationis, ac Societatis Regularibus Perſonis, quæ ad partes Indiarum ad fidem Catholicam prædicandam, ſive alia Eccleſiaſtica miniſteria exercenda, & in meſſem Domini Operarii mittentur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, præcipimus & mandamus, ut memores voti obedientiæ per eos emiſſi, ad eas Provincias & loca rectè ſe transferant, ad quæ ab eorum Superioribus miſſi fuerint, nec quovis prætextu abſque eorumdem Superiorum licentia (legitimo tamen impedimento ceſſante) in itinere immorentur, vel ad loca eis non deſtinata declinent. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum, quorum illi profeſſi fuerint, etiam juramento &c. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Præſentibus ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturis.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum die VIII. Julii MDCIX. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Ex Bull. Rom. edit. veteris.

A' Patribus Superioribus Generalibus Ordinum Regularium ſubditos ſuos ad Provincias Indiæ Orientalis etiam per alias, quàm Luſitaniæ vias mitti poſſe confirmat: impedientes horum acceſſum cenſuræ ſubjicit: mercaturam Miſſionariis interdicit, ac controverſias exortas à locorum Epiſcopis decidi, aut in gravioribus negotiis ad Sacram Sedem recurri mandat.

URBANUS PAPA VIII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX debito Paſtoralis officii ſaluti animarum, & Fidei Catholicæ propagationi proſpicientes, ea, quæ providè à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris propterea ordinata fuerunt, ſi ſubinde experientia doceat ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliaſque diſponimus, prout ad fidei Catholicæ propagationem, & animarum ſalutem hujuſmodi conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter, certis tunc expreſſis cauſis adductus, per ſuas in ſimili forma Brevis litteras ſub dat. die 28. Januarii 1585. Pontificatûs ſui anno 13. omnibus Patriarchis & Epiſcopis, etiam Provinciæ Chinæ & Japonis, ſub interdicti Eccleſiaſtici, & ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & Pontificalium exercitio; aliis verò Sacerdotibus, Clericis & Miniſtris Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, Ordinis, & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis majoris pœnis ipſo facto incurrendis, interdixit & inhibuit, ne ad earum Regiones & Provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, ac Sacramenta adminiſtrandi, aliaque munia Eccleſiaſtica obeundi causâ, ſine ſua, & Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia, proficiſci auderent. Poſtmodum autem rec. mem. Clemens Papa VIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter, accepto, quod tam Chinæ, & Japonum, quàm aliæ illius vicinæ & adjacentes Inſulæ, Regiones & Provinciæ, ac finitima regna Indiæ orientalis, ampliſſima, & populis refertiſſima erant, & pro tanta animarum multitudine ad fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fovenda, plures Operarii ac Miniſtri neceſſarii erant, quàm ex ſola Religioſorum Societatis Jeſu haberi poterant, omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus Generalibus, tunc & pro tempore exiſtentibus indulſit, ut, cum neceſſitas poſtulâſſet, quoslibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia & miniſteria idoneos & utiles fore in Domino judicarent, per Luſitaniam dumtaxat, & ſuſceptâ inde navigatione, in Indias, & Civitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tam ipſi ſic tranſmittendi, quàm alii ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus Generalibus, ſeu aliis Superioribus electi & approbati, tam ad Japonicas prædictas, quàm ad alias proximas & adjacentes, etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & terræ firmæ Indiæ orientalis Inſulas, Regiones, & Provincias accedere poſſent. Cæterùm omnibus & ſingulis Religioſis, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, Ordinis, & conditionis eſſent, ſub excommunicationis majoris, à qua nonniſi à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis, abſolvi poſſent, necnon privationis vocis activæ, quàm paſſivæ, ac dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum quorumcumque, necnon inhabilitationis ad illa, & alia inpoſterum obtinenda ac exercenda pœnis ipſo facto abſque ulla declaratione incurrendis, interdixit & prohibuit, ne ex Inſulis *Philippinis* nuncupatis, ſive qualibet alia Indiarum occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum occidentalium tunc habebantur, parte ad illas pertinente, in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas Inſulas, Provincias & Regiones prædictas, etiam quorumcumque privilegiorum, eis, vel ſuis Ordinibus à dicto Clemente, & Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in genere vel in ſpecie, etiam ſuper facultate prædicandi Verbum Dei per univerſum Mundum eatenus conceſſorum, ſeu inpoſterum etiam concedendorum, approbandorum, & innovandorum, niſi in illis de prohibitione hujuſmodi & interdicto, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, cum ſufficienti derogatione fieret, aut quovis alio prætextu & quæſito colore proficiſci & tranſire auderent vel præſumerent; & ſi qui eatenus, vel inpoſterum ſecus facerent, poſtquam moniti eſſent, ſtatim ſub eiſdem pœnis, omni mora & excuſatione ceſſante, ad dictas Inſulas Philippinas, vel alias partes Indiarum occidentalium reverti & redire omnino tenerentur, & ad id per quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ſub eiſdem,

& aliis eorum arbitrio infligendis pœnis cogi & compelli poſſent.

Et ſubinde ſel. rec. Paulus Papa V. ſimiliter Prædeceſſor noſter, accepto, experientiâ compertum eſſe, quod prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goam, aliàs quàm per Luſitaniam, nec qui ſperabatur, ex eo fructum protulerat, neque Catholicæ Fidei propagationis negotio utilis fuerit, & propterea, ut tantum opus Dei, ſublato omni impedimento, liberè peragi poſſet, providere volens, omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore exiſtentibus, ut, cum neceſſitas poſtularet, quoslibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia & munia idoneos & utiles fore in Domino judicâſſent, ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes, etiam per aliam viam, quàm per Luſitaniam, in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas Inſulas, Provincias, & Regiones prædictas, ſervatâ in reliquis dictarum litterarum Clementis prædeceſſoris formâ in omnibus & peromnia, & non aliter tranſmittere liberè & licitè valerent, indulſit, & aliàs, prout in Gregorii, & Clementis, & Pauli V. Prædeceſſorum prædictorum litteris deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autem experientiâ plurium annorum compertum fuerit, ordinationes in prædictis litteris contentas non ſufficere, eaſque aliqua proviſione indigere, ut in prædictas Inſulas & Regna feliciùs ac faciliùs Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium prædicari ac propagari poſſit ac valeat; Nos pro Officii noſtri debito poſt habitam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotio propagandæ fidei per univerſum mundum præpoſitis maturam deliberationem, præfati Pauli Prædeceſſoris noſtri litteris inhærentes, omnibus & ſingulis Religioſorum cujuſcumque Ordinis aut Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, Magiſtris, & Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupentur, Ordinum Capitibus nunc & pro tempore exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus, ut, cum eis expedire viſum fuerit, quoslibet ſuarum Religionum, Ordinum & Inſtituti Religioſos, quos ætate, vita, moribus & ſcientia idoneos eſſe ad Miſſiones judicaverint, ad prædictas Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quàm per Luſitaniam, liberè & licitè mittere poſſint ac valeant, ſervatâ tamen in reliquis præfatarum litterarum Clementis Prædeceſſoris noſtri formâ in omnibus & per omnia, & non aliter. Necnon quoſcumque Eccleſiaſticos, & Religioſos cujuſcumque Ordinis & Inſtituti, tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & Sæculares, Religioſorum, ut præfertur, mittendorum ad Inſulas, Provincias, Regiones & Regna prædicta acceſſum hujuſmodi impedientes, excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodamus: Religioſos verò, ut ſuprà, mittendos, ac etiam miſſos, & in prædictis locis nunc degentes plurimùm in Domino hortamur, ut in docendo populos, & præſertim de recenti ad fidem Chriſtianam converſos, uniformes ſint, ne ob doctrinæ diverſitatem, præſertim in materiis moralibus, Neophyti illi aliquod ſcandalum patiantur: & quia in hac re Generalium præfatorum curam & vigilantiam plurimùm profuturam arbitramur, eiſdem injungimus, ut prædictos ſuos Religioſos ad ſervandam prædictam conformitatem ſæpius adhortentur.

Ut autem id faciliùs ſuccedat, præfati Religioſi in inſtruendis populis prædictorum locorum Indiæ orientalis, Catechiſmum Romanum, & Doctrinam Chriſtianam parvam & magnam bon. mem. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas prædictorum populorum translatas, & impreſſas, ſi fieri poterit, omnino adhibeant. Quoniam autem, ſicut non ſine animi noſtri dolore intelleximus, in Japone à pluribus annis contra Chriſtianos, & præſertim Religioſos, acerrima perſecutio fuit commota, eaque uſque ad præſens perdurat & viget, omnibus & ſingulis Chriſtianis nunc in Japone exiſtentibus, & pro tempore futuris, ut à quibuſvis Sacerdotibus, ut ſuprà, à Generalibus eorum illuc miſſis ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta, Ordinem tamen Epiſcopalem non requirentia, etiam Parochialia, durante præſenti rerum ſtatu, ſuſcipere liberè, & licitè valeant, concedimus pariter & indulgemus.

Cæterùm, quia à Sacris Canonibus, Conciliorum Decretis, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus, omnibus Religioſis, ac etiam aliis Eccleſiaſticis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, mercatura & negotiationes ſæculares dictrictè prohibentur, ac valde damnoſum, indecorum, & indecens exiſtit, hujuſmodi Perſonas Divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium deſtinatæ ſunt, præfatis mercaturæ & negotiationibus ſe immiſcere, aut operam dare,

præ-

prædictorum Sacrorum Canonum, ac Decretorum, Conſtitutionumque Apoſtolicarum diſpoſitioni inhærentes, auctoritate Apoſtolica, earundem tenore præſentium, Religioſis omnibus cujuſcumque Ordinis & Inſtituti, tam non Meudicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, eorumque ſingulis, tam in prædictis locis nunc exiſtentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem & quamcumque mercaturam ſeu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, ſive per ſe, ſive per alios, ſive proprio, ſive Communitatis nomine, directè, ſeu indirectè, aut quovis alio prætextu, cauſa, aut colore interdicimus & prohibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ ipſo facto incurrenda, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & inſuper amiſſionis mercium & lucrorum ex eis factorum, quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſtent, reſervanda erunt ad uſum Miſſionum, quas eædem Religiones habent & habituræ ſunt in futurum in prædictis Indiis, & non in alios uſus, eiſdem Superioribus diſtrictè præcipientes ſub eiſdem pœnis, ut in hoc invigilent, & contrà delinquentes ad prædictas pœnas procedant, ſublatâ eiſdem facultate hujuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus & lucris, quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi.

Quod ſi fortè aliquæ controverſiæ inter Religioſos dictarum Religionum, quod Deus avertat, oriantur, Epiſcopi locorum prædictorum pro tempore exiſtentes, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, illas decidant ac terminent. Si verò graviora quædam negotia occurrerint, ea ad Nos & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros quantocitiùs ab eiſdem Epiſcopis referantur, ut, quod in illis ſtatui ac decerni debeat, maturâ conſultatione adhibitâ, provideri poſſit, ſicque volumus & ordinamus. Decernentes præſentes litteras validas &c. Sicque per quoſcumque Judices &c. contigerit attentari. Mandantes propterea univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac ceteris Eccleſiarum & locorum, etiam Regularium, Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, Capitulis & juriſdictionibus ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties ab Ordinum prædictorum Religioſis requiſiti fuerint, ſolemniter publicari curent. Non obſtantibus interdicto & prohibitionibus, ac litteris prædictorum Prædeceſſorum, aliiſque præmiſſis, necnon Apoſtolicis, ac in Synodalibus &c. necnon prædictæ Societatis Jeſu, aliarumque Religionum, Provinciarum, & Regionum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia, roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis, illis, eorumque Prælatis, Superioribus, & Perſonis etiam particularibus, ſub quibuſcumque tenoribus &c. Quibus omnibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Declarantes etiam ac decernentes facultatem eligendi poſteriorem datam quibuſvis Ordinibus, Societatibus, etiam Jeſu, nunpatis, & aliis quibuſcumque, etiam ſpeciali notâ dignis, conceſſam, nemini adverſus præſentes noſtras litteras poſſe unquam ſuffragari. Et quia difficile foret præſentes litteras &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XXII. Februarii MDCXXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Ex Bullario Ordinis Prædicator. tom. 6. pag. 85.

Nova loca ſub titulo de Propaganda Fide, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate erigi vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NE nova loca ſub titulo de Propaganda Fide inpoſterum ubivis gentium temerè & inconſulta Sede Apoſtolica erigantur, aut inſtituantur, quantùm cum Domino poſſumus, opportunè providere volentes, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei hujuſmodi præpoſitorum conſilio, Superioribus cujuſcumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis aut inſtituti ſub pœnis privationis officiorum, & vocis activæ & paſſivæ, ac inhabilitatis ad ea, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium prohibemus, ne Monaſteria, Conventus, Domos, Seminaria, Collegia, Hoſpitia ſeu Oratoria ſub titulo de Propaganda Fide conſtruant, aut erigant, vel à ſuis ſubditis conſtrui aut erigi, permittant, ſine ſpeciali eorumdem Cardinalium licentia. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſcumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis & Inſtituti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſue-

tudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi ——— expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii Congregationis dictorum Cardinalium de Propaganda Fide, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti Congregationis hujuſmodi, vel Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 13. Martii MDCXL. Pontificatûs noſtri Anno Decimoſeptimo.

Ex Bull. antiq. tom. 5. p. 125. col. 2.

Nonnulla Decreta à Sac. Congregatione de Propaganda Fide pro ſpirituali animarum regimine edita ab omnibus Miſsionariis tam Sæcularibus, quàm Regularibus obſervari mandat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatûs officii, quo divina diſponente clementia Catholicæ Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus, præſidemus, ſollicitudo Nos monet, ut noxia quæcumque à Dominico grege, quantùm Nobis ex alto conceditur, removere ſtudeamus. Cum itaque ad aures noſtras devenerint quærimoniæ Chriſtifidelium Goæ, atque in adjacentibus Inſulis degentium de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum, eorum præcipuè, penes quos ipſorum Chriſtifidelium ſpirituale regimen, ac cura reſidet: Nos prædictis abuſibus, quatenus irrepſerint, quantocitius occurri, aut ſaltem præcaveri, ne illi inpoſterum contingant, volentes, de nonnullorum Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ex Congregatione negotio Propagandæ Fidei præpoſita, quibus querimonias hujuſmodi diſcutiendas remiſimus, conſilio, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus & mandamus ſedulò, inviolabiliter, & exactè ſervari ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & inpoſterum ſpectabit, Decreta infraſcripta, videlicet.

Primò. Caveant Parochi, aut Eccleſiaſtici quicumque, ſive Sæculares, ſive Regulares, oc inpoſterum ullo pacto cogant pauperes ad operas, ſeu laborem impendendum pro ſuis Eccleſiis, non perſoluta juſta mercede, niſi id ſponte, & ex pietate præſtare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

Secundò. Cum iis, qui Sacro, aut Catecheſi Doctrinæ Chriſtianæ oon interfuerint (ſi mos ſit eos, ut ſupponitur, aliqua pœna mulctare) ea moderatione ſe gerant, ut nonniſi verè contumacibus & contemnentibus, eaque modica, nec crebrò erogetur.

Tertiò. Inſtruant populum omni, qua decet, lenitate, abſtinentes omninò à ferula, & à verbis indecentibus, maximè ſi cum Mulieribus, Viris nobilibus, ſeu ætate provectis agatur.

Quartò. Ad Seminarium (niſi ejus Inſtitutio, ſeu fundatio obſtet) locus etiam iis, qui ex nobili ſunt genere, & congrua (ni pauperes ſint) perſolverint alimenta, concedatur, ne à rectæ educationis beneficio prorſus excludantur, habitâ tamen prudenti diſtinctione à reliquis, ut quieti conſulatur.

Quintò. Ad ſcientias addiſcendas, & ſcholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis ſeu generis diſcrimine, niſi ex propria aliqua culpa quis indignus cenſeatur.

Sextò. Neophytos Deo ſub Religionis jugo ſervire volentes, ſine rationabili cauſa Regulares oon reſpuant, ſed pari charitate omnes, qui ſpiritu Dei aguntur, & ad perfectionem anhelant, amplectantur.

Septimò. Presbyteri ſæculares doctrina & moribus idonei, à beneficiis curatis, & à quolibet alio Eccleſiaſtico muncre, ſive prædicationis, ſive adminiſtrandi Sacramenta Pœnitentiæ minimè arceantur, attentâ præſertim indigentia tot animarum millium, quibus longè impares ſunt pauci Regulares, illuc ex Europa adventantes.

Octavò. Caveant itidem Parochi ſæculares, & Regulares ullo modo ſe ſe ingerere in rebus ſpectantibus ad politiam ſæcularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior cæteris videatur, nec unquam interſint Comitiis aut Conventibus, ubi de rebus politicis agitur.

Nonò. Ut majori cum gaudio verbum Dei ſuſcipiatur, altiùſque radices agat, & fructum afferat, concionentur omnino Regu-

gulares pluries in anno idiomate vernaculo, & patrio populorum: utque idipſum faciliùs & frequentiùs præſtetur, curet omnino Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus Sæcularis ejus regionis in Verbi Dei prædicatione exerceatur.

Decimò. Deputet Vicarius plures ex Sacerdotibus ſæcularibus indigenis, quos idoneos reperierit ad confeſſiones exeipiendas, quò faciliùs & liberiùs Fideles Sacramentum Pœnitentiæ valeant frequentare, nec cogantur ſolis Regularibus, aut exteris ſe ſe ſubjicere.

Undecimò. Ut autem radicitùs evellatur abuſus, qui in prædictis Regionibus, ut præfertur, irrepſit, excipiendi confeſſiones per Interpretem, aut lecto Pœnitenti Catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, ſi quæ fuerint ab eo commiſſa, diſtrictè præcipitur Vicariis Capitularibus (graviter etiam onerando conſcientiam ipſorum Regularium, & quorumcumque, ad quos pertinet) ut inpoſterum id nullo modo permittant, ſed ab iis tantùm audiantur confeſſiones, qui illius idiomatis ſenſum ſufficienter percipiunt, & ad ipſorum numerum pro rei exigentia augendum, promoveantur omnino Sacerdotes ſæculares ejus Regionis ad confeſſiones fidelium patrio idiomate excipiendas.

Duodecimò. Cumque audiatur maximè Catholicorum numerum contra præceptum Domini, qui voluit debiles & claudos admitti, ſub prætextu ignobilitatis & rudioris ingenii rejici à Sacra Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omnino vetat ac prohibet, niſi prorſus ejus Myſterii ſint incapaces.

Decimotertiò. Ægrotis morti proximis, cujuſcumque ſint conditionis, quamvis inſordido, ac vili degant loco aut tugurio, Sacrum Euchariſtiæ Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla ſit acceptatio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec Crucis ignominiam abhorruerit.

Decimoquartò. Ne ob inſtructionis defectum, qui Sacro Baptiſmate initiantur, Immaculatam Chriſti legem prophanis & gentilitiis inſtitutis ex ignorantia fædent, ac idololatriam cum Orthodoxa fide confundant, ut ſæpe inibi evenire enuntiatum eſt; caveant ii, qui iiſdem inſtruendis incumbunt, ne inpoſterum ullus ad Baptiſma admittatur, qui veterem hominem, ac gentilitios mores prorſus exutus, Chriſtum plenè non induerit, & in fide ſit ſufficienter inſtructus.

Decimoquintò. Quoniam verò, ut Veritas ipſa docet, nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi Pater cœleſtis eum traxerit, monentur Eccleſiaſtici tum Sæculares, tum Regulares, cæterique, qui Ethnicorum converſionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, ſed Verbi Dei prædicatione, & bonorum operum exemplo ad Baptiſmum inducant, perſecutantes præcipuè diligenter, quo fine & ſpiritu ducantur, qui baptizari poſtulant.

Decimoſextò. Nihil prorſus, ne quidem ſub prætextu pietatis Parochi tam Sæculares, quàm Regulares à ſuis Parochianis quæſtuent, & ſi quid pro feſtorum celebratione ſponte ab iis tribuatur, integrè in eam cauſam inſumant, & quidquid ſupereſt, pauperibus ejuſdem Parochiæ diſpenſetur, ita ut quævis minima aviditatis ſuſpicio à Viris Eccleſiaſticis abſit.

Decimoſeptimò. Pro temporali regimine Confraternitatum exiſtentium in Eccleſiis Regularium deputentur in poſterum Officiales ſæculares, qui reddituum adminiſtrationi incumbant, nullatenus Regularibus ea in re ſe ſe ingerentibus.

Decimooctavò. Cum Goæ, & in adjacentibus Inſulis vetitum ſit Ethnicis ritus gentilitios publicè exercere, diſtrictè prohibetur Eccleſiaſticis, ne eiſdem permittant, & maximè (quod nefas eſt) turpis lucri gratia, cadavera Ethnicorum inde aſportari, ut juxta prohanum eorumdem ritum comburantur.

Decimonono. Cadavera pauperum fidelium gratis omnino poſthac à Parochis ſepulturæ tradantur, nec ad extorquendam aut emendicandam à vicinis, vel affinibus eleemoſynam publicè exponantur.

Vigeſimò. Diſtrictè prohibetur, ne Ethnicis ullo pacto permittatur in Eccleſiis ſacrificare, ſeruo Vicariis Capitularibus injungendo, ut in contravenientes, & maximè ob lucrum, graviter animadvertant, curentque inpoſterum, ne Eccleſiis præficiantur Neophyti parum inſtructi.

Vigeſimoprimò. Similiter Regularium Superiores ſedulò curent, ut Parochi extra Conventus in prædictis Regionibus commorantes, Regularis Obſervantiæ ſpecimen cunctis ubique præbeant, eoſque idcirco ad Clauſtra & Regularem diſciplinam aliquando revocent, ne Regulari Inſtituto paulatim exoleſcente, dum aliis incumbunt, ſeipſos amittant, ac demum in deſtructionem, potiùs, quàm ædificationem Populorum miſſi videantur. Decernentes ita in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis ge-

ne-

heralibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac, quatenus opus ſit, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegiorum &c. confirmatis & innovatis. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Januarii MDCLVIII. Pontificatûs noſtri anno Tertio.

Ex Bull. Rom. ant. tom. 5. pag. 260. col. 1.

Decreta Sac. Congregationis de Propaganda Fide de Capellanis in Indiis Orientalibus à Parochis non naturalibus illorum locorum tenendis; de Sacerdotibus indigenis ad celebrandam Miſſam urbaniter excipiendis; de pueris in artibus inſtruendis; ac de nonnullis ritibus in proceſſionibus abolendis, jam ab Alexandro VII. confirmata innovat, & ad omnes Indiarum Regiones extendit.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

INexcelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam conſtituti, vigilantiæ noſtræ oculos per univerſas Chriſtiani Orbis partes jugiter circumferimus, & ſollicitis ſtudiis providere ſatagimus, ut divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur & foveatur, ac omnium Chriſtifidelium præſertim in remotiſſimis partibus degentium quieti, & animarum ſaluti opportunè conſulatur. Hoc conſilio, ea, quæ pro ſalubri illorum directione à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, eorumque juſſu piè prudenterque decreta, atque conſtituta fuiſſe comperimus, ut firmiùs ſubſiſtant & ſerventur exactiùs, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio corroboramus, ac opportunè extendimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ honorem, ſpiritualemque eorumdem Chriſtifidelium ædificationem, & conſolationem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

Dudum ſiquidem emanârunt à fel. rec. Alexand. PP. VII. prædec. noſtro litteræ in ſimili forma Brevis, tenoris qui ſequitur, videlicet. *Alexander Papa VII. ad futuram rei memoriam. Sacroſanctî Apoſtolatûs officii &c.* Et ſubinde Congregatio tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſita, alia nonnulla Decreta die 22. Julii 1658. edidit tenoris ſequentis, videlicet: Ad meliùs & faciliùs occurrendum neceſſitatibus ſpiritualibus Chriſtifidelium in Indiis Orientalibus degentium, Sac. Congregatio de Propaganda Fide decrevit: Primò, ut Parochi non naturales illarum partium, ſive Regulares, ſive Sæculares ſint, teneantur omnino habere apud ſe Cappellanum natalibus & origine Indum pro confeſſionibus audiendis, & diebus feſtis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio deſtituti, in eâ, qua initiati ſunt, Orthodoxâ fide languescant, & paulatim deficiant, iiſque pro ſuſtentatione & labore, ubi populus ipſe id ſponte non præſtiterit, congruum ſuppeditent ſtipendium. Secundò, præcipit iiſdem Parochis, cæteriſque Eccleſiarum quarumcumque Superioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Eccleſiis celebrare volentes non arceant, verùm etiam perurbaniter excipiant, quò frequentiùs illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, ſentiantque Chriſtianam charitatem omnes æquis officiis amplexari. Tertiò, ut verò fides adhuc in iis Regionibus pubeſcens, litterarum alimento coaleſcat, & pueri reddantur idonei ad res Eccleſiaſticas percipiendas, iiſdem Parochis, & maximè Pagorum & Villarum injungit, ut eos, vel per ſe vel per Capellanos naturales, ſi tales ipſi non ſunt, ultra fidei Chriſtianæ rudimenta grammatices etiam inſtitutionem, cæteraſque artes liberales, quoad fieri poteſt, edoceant. Quartò, decrevit, quoniam, ut auditum eſt, in Proceſſionibus ſolemnibus, etiam SSmi Corporis Chriſti, ex Gentilium moribus ritus aliqui, ſive actus irrepſerunt, qui, licèt honoris & majoris cultûs gratiâ exhibeantur, majeſtatem nihilominus Chriſtianæ Religionis non minimum dedecent, Sacra Congregatio vetuit, ne in poſterum permittantur, & arceatur omnino quidquid ludicri, aut minus gravis ſpeciem aliquam habuerit, nullo modo autem liceat Eccleſiaſticis, & præcipuè Regularibus prætextu dignitatis, gradûs aut officii umbellam in iis geſtare, ſed quò majori præfulgeant dignitate, eò demiſſiùs Divinæ Majeſtati obſequium præſtare, aliiſque Chriſtianos humilitatis exemplo præire nitantur. Datum Romæ die 22. Julii 1658.

Nunc autem Nos ſpiritualibus Chriſtifidelium non ſolùm Goæ & in Inſulis adjacentibus, ſed etiam in univerſis Indiarum Orien-

Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus degentium neceſſitatibus, proſperiſque in via Domini progreſſibus paſtorali ſollicitudine, atque charitate ſalubriter conſulere cupientes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei Præpoſitorum conſilio, litteras Alexandri Prædeceſſoris, & ſubinde emanata Decreta præinſerta, omniaque & ſingula in eis reſpectivè contenta & expreſſa, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus & innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa omnia ac ſingula ad omnia Indiarum Orientalium Regna, Provincias, & Regiones extendimus, ibique locum habere decernimus, ac per quaſcumque Perſonas, etiam Regulares cujuſvis Ordinis & Inſtituti, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, Goæ, & in Inſulis adjacentibus, ac in univerſis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus hujuſmodi, nunc, & pro tempore degentes, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ exiſtant, ad unguem inviolabiliter, & exactè obſervari, eâdem auctoritate, harum ſerie itidem perpetuò præcipimus, volumus, & mandamus. Decernentes pariter ita in præmiſſis per quoſcum Judices &c. ac irritum &c. contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus & ſingulis illis, quæ memoratus Alexander Prædeceſſor in ſuis litteris præinſertis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem &c. ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anno Piſcatoris die XIII. Septembis MDCLXIX. Pontificatûs noſtri anno Tertio.

Ex Bull. Rom. ant. tom. 5. pag. 474. col. 2.

Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium, ac partibus Americæ tam Auſtralis, quàm Septentrionalis mercaturam ſub quocumque prætextu, litteras Urbani VIII. deſuper emanatas confirmando, inhibet; lucra & merces in caſu inobedientiæ ad pios uſus converti jubet; ac Ordinum Superiores, hujuſmodi tranſgreſſores ſubditos non punientes, eidem cum hiſce cenſuræ ſubjicit.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

SOllicitudo Paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Orbem diffuſæ regimini per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ abundantiam præſidemus, Nos ſtimulat, ut ea, quæ Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationi remoram, vel impedimentum injicere, ac in Virorum in ſortem Domini vocatorum, & præſertim Religioſorum, qui ſemetipſos abnegârunt, & mundana omnia contempſerunt, ut Chriſtum lucrifacerent, ejuſque obſequiis mundo corde, & mente tranquilla unicè intenderent, honeſtatis gloriæ maculam ponere poſſent, ſalubri ſanctione è medio tollere, atque radicitus evellere ſtudeamus.

Dudum ſiquidem ſel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter conſiderans per Sacros Canones, Conciliorum Decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas, omnibus Religioſis, ac etiam aliis Perſonis Eccleſiaſticis, præſertim in Sacris Ordinibus conſtitutis, mercaturam, & negotiationes ſæculares diſtrictè prohiberi, ac valde damnoſum, indecorum, & indecens exiſtere hujuſmodi Perſonas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium deſtinatæ ſunt, mercaturæ, & negotiationibus hujuſmodi ſe immiſcere, aut operam dare per quamdam ſuam in ſimili forma Brevis die 22. Februarii 1633. emanatam Conſtitutionem inter alia Religioſis omnibus cujuſcumque Ordinis & Inſtituti, tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, eorumque ſingulis, tam tunc in Inſulis, Provinciis, Regionibus & Regnis Indiæ Orientalis, ac China, & Japonum exiſtentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem, & quamcumque mercaturam, ſeu negotiationem quocumque modo ab eis fieri

fieri contingeret, ſive per ſe, ſive per alios, ſive proprio, ſive Communitatis nomine, directè vel indirectè, aut quovis alio prætextu, cauſa, vel colore, interdixit, & probibuit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, ipſo facto incurrenda, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, & inhabilitatis ad ea, ac iuſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ex eis factorum, quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſterent, reſervanda eſſent ad uſum Miſſionum, quas eædem Religiones habebant, & in futurum habituræ erant, in Indiis prædictis, & non in alios uſus: ac iiſdem Superioribus diſtrictè præcipit ſub iiſdem pœnis, ut in hoc invigilarent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procederent, ſublatâ eiſdem facultate hujuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris, quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi, & aliàs, prout in dicta Urbani prædeceſſoris Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut non ſine graviſſimo animi noſtri dolore, accepimus, multi ex iiſdem Religioſis, & Perſonis Eccleſiaſticis, propriæ profeſſionis, injunctique ſibi graviſſimi Miniſterii immemores, ab ejuſmodi mercatura, & negotiationibus ſæcularibus non abſtineant, ſed ſeſe à debita prædictæ Conſtitutionis Urbani Prædeceſſoris obſervatione ſub variis prætextibus, coloribus, & ſubterfugiis eximere conati fuerint, & ſatagant de præſenti, in deplorandam animarum ſuarum perditionem, peruicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum; Nos ſalutaribus Doctoris Gentium præceptis edocti, quod nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit, tam grande, tamque exitioſum ab Eccleſia Dei malum Apoſtolici zeli vigore propellere, ſcandalorumque inde naſcentium occaſiones recidere, ac ſaluti animarum, & Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationi, quantùm Nobis ex alto conceditur ſalubriter conſulere, omnemque lucrorum mundanorum ſpem Perſonis cæleſti militiæ adſcriptis, præſertim ad Infidelium converſionem, & Evangelii prædicationem deſtinatis, & in futurum deſtinandis, quas, ſicut bonos Chriſti Milites laborare, & Miniſterium ſuum honorificare oportet, ut eò ſtudioſiùs, ac impenſiùs, adſpirante ſuperni favoris auxilio, horrea Domini novis ſemper frugibus locupletare ſatagant, omnino adimere decrevimus.

Itaque Sacris Canonibus, ac Decretis, & Conſtitutionibus prædictis inhærentes, illaque & præſertim memoratam Urbani prædeceſſoris Conſtitutionem in iis, quæ præſentibus litteris non adverſantur, approbantes, & innovantes, & circa præmiſſa de novo diſponentes, & ſtatuentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus, & ſingulis Perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcumque ſtatûs, gradûs, conditionis, & qualitatis, ac cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & earum cuilibet, quæ ad Inſulas, Provincias, & Regna Indiarum Orientalium, & præſertim in Provinciam Societatis Jeſu de Japone nuncupatam, ac in partes Americæ tam Auſtrales, quàm Septentrionales à Sede Apoſtolica, vel Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, aut ab earum Superioribus ſub nomine Miſſionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore miſſæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, & officiorum, dignitatum, & graduum quorumcumque per eas obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque inpoſterum obtinenda, necnon amiſſionis mercium, & lucrorum omnium ipſo facto incurrendis, ac aliis noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel prædictæ Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis pœnis, tenore præſentium diſtrictè prohibemus, pariter & interdicimus, ne mercaturis & negotiationibus ſæcularibus hujuſmodi, quovis prætextu, titulo, colore, ingenio, cauſa, occaſione, & forma, etiam ſemel, per ſe, aut mediantibus Miniſtris, ſeu aliis perſonis ſubſidiariis, directè vel indirectè, tam nomine proprio, quàm ſuarum reſpectivè Religionum, ſeu Congregationum, aut Societatum, etiam Jeſu, ſeu aliorum quorumlibet, & aliàs quovis modo, & qualitercumque ſe ingerant, vel immiſceant, ac ex nunc, prout ex tunc, & econtra, poſtquam caſus evenerit, merces, & lucra quæcumque, quæ ex hujuſmodi mercaturis, & negotiationibus provenerint, & provenient, in uſus, & commodum pauperum, Hoſpitalium, Seminariorum Eccleſiaſticorum, ac Operariorum (non tamen Religionum, Congregationum, & Societatum, etiam Jeſu, ſeu Inſtituti eorum, qui in præmiſſis, vel circa ea deliquerint) ſed aliorum non delinquentium, harum ſerie applicamus, qui teneantur conſignare merces, & lucra hujuſmodi locorum Ordinariis, ſeu eorum Vi-

Vicariis in ſpiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apoſtolicis Vicariis, ſeu Pro-Vicariis. Hi verò tanquam dictæ Sedis Delegati illa, ut præfatur, & non in alios uſus diſtribuere, & erogare debeant; ſuper quibus eorum conſcientiam diſtrictè oneramus.

Et quia in præmiſſis, & circa ea delinquentes, ut plurimum præteſtu neceſſitatis pro eorum Miſſionibus ſe excuſare præſumunt, excuſationes hujuſmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo ſuffragari poſſe, vel debere decernimus, & declaramus. Inſuper eiſdemmet cenſuris, & pœnis innodamus, & innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, & Generales prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jeſu, qui eorum reſpectivè ſubditos in præmiſſis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, ſaltem per amotionem illorum à locis commiſſi per eos delicti non puniverint: à ſententia verò excommunicationis hujuſmodi per Superiores, vel alium, ſeu alios quoſcumque, etiam quavis facultate fultos, nemo ex prædictis delinquentibus abſolvi poſſit, præterquam in mortis articulo conſtitutus, niſi lucris hujuſmodi prius reſtitutis. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod in præmiſſis intereſſe habentes ſeu habere quomodolibet prætendentes, & alii quilibet cujuſcumque ſtatûs, gradûs, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanârint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis juſta, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſûs, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quemquam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari: ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalem, & Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Cameræ præſidentes Clericos, Theſaurarium Generalem, Commiſſarium, alioſque Officiales, & Miniſtros, necnon S. R. E. prædictæ Camerarium, ſeu Pro-Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, cæteroſque quoslibet quacumque præeminentia, vel poteſtate fungentes, & functuros, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, prædicti Urbani Prædeceſſoris, ac rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ita ut vigore præſentium etiam ultra duas, pluresve dietas quilibet in judicium trahi poſſit, & piæ mem. Pii IV. & Pauli V. aliorumque Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſuper ſpoliis Cameræ prædictæ applicandis, ac ejuſdem Pii IV. Prædeceſſoris de gratiis, qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in ipſa Camera intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, ita ut præſentes litteras ibidem præſentari, regiſtrari, & inſinuari nunquam neceſſe ſit: necnon, quatenus opus ſit, de jure quæſito non tollendo, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Cameræ, & Provinciarum, Regnorumque, Reginnum, Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, Societatum, etiam Jeſu, Domorum, & Collegiorum quorumcumque, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, licentiis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, eorumque Superioribus, & perſonis, etiam particularibus, & aliis quibuſcumque, etiam ſpeciali nota dignis, & de neceſſitate juris vel facti omnino exprimendis, etiam cum facultate eligen-

di poſteriorem datam, quam nemini adverſus eaſdem præſentes litteras ullo modo ſuffragari unquam poſſe ſtatuimus, & decernimus, ac ſub aliis quibuſcumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum eſſe cenſeri, illaque nemini adverſus præſentes litteras ſuffragari volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum volumus, & expreſsè mandamus, ut eædem præſentes litteræ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus, & ſingulis Ordinum, Congregationum, Inſtitutionum, & Societatum, etiam Jeſu, hujuſmodi Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc, ut eorum, & prædictorum Religioſorum eis reſpectivè ſubditorum nominibus illas acceptent, & earum exempla tranſmittant ad illos eum arctiſſimis præceptis eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, plenariè & integrè, ac verè, realiter & cum effectu exequendi, & obſervandi: ac inſuper quibuslibet locorum Ordinariis, eorumque Officialibus, ſeu Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, ac Apoſtolicis, & Capitularibus Vicariis amplam, & liberam concedimus, & impertimur facultatem præſentes litteras in locis eorum cujuslibet reſpectivè juriſdictionis publicandi, ad hoc ut illarum ignorantia allegari nequeat, & allegata minime ſuffragari debeat. Et quia difficile foret præſentes litteras originales ubique oſtendi & publicari, volumus pariter, & decernimus illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii poblici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus in judicio & extra ubique locorum fidem haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus litteris, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Junii MDCLXIX. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Ex Bull. Rom. edit. ant. &c.

Facultatem mittendi Religioſos ad partes Indiarum per alias quàm Luſitaniæ vias confirmat, eam ad Vicarios Apoſtolicos, & Sacerdotes ſæculares extendit & horum ad Chinam &c. acceſsum impediri vetat.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis cœlitus Paſtoralis officii ratio poſtulat, ut ea, quæ à Romania Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris pro temporum conditione providè conſtituta fuerunt, ſi mutatis rerum circumſtantiis fini per eos piè intento impedimentum adferri cognoſcimus, immutare ſtudeamus, ſicut ad Catholicæ fidei propagationem, & animarum ſalutem expedire in Domino arbitramur. Dudum ſiquidem ſel. record. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas litteras inter alia indulſerat omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus Generalibus, tunc, & pro tempore exiſtentibus, ut, cum neceſſitas poſtulâſſet, quoslibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis Religioſos, quos ad officia & miniſteria prædicandi Evangelium, vel doctrinam Chriſtianam docendi, & Sacramenta adminiſtrandi, aliaque munera Eccleſiaſtica obeundi idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Luſitaniam dumtaxat, & inde navigatione ſuſcepta in Indias, & Civitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tam ipſi ſic tranſmittendi, quàm alii ſupradictorum Ordinum Religioſi, in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus Generalibus, ſeu aliis Superioribus electi & approbati tam ad Japonicas, quàm ad alias Provincias, & adjacentes etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & Terræ firmæ Indiæ Orientalis Inſulas, Regionea & Provincias accedere poſſent. Et ſel. mem. Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, accepto, quod experientiâ compertum eſſet,

eſſet, prohibitionem accedendi ad Indias, & Civitatem Goam, aliàs quàm per Luſitaniam, eum, qui ſperabatur, fructum minimè protuliſſe, nec Catholicæ Fidei propagationis negotio utilem fuiſſe: Et propterea, ut tantum opus Dei, ſublato omni impedimento liberè peragi poſſet, providere volens, Itidem per quaſdam ſuas litteras omnibus & ſingulis Ordinibus Mendicantium Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus, tunc, & pro tempore exiſtentibus, ut, cum neceſſitas poſtularet, quoſlibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in Domino judicâſſent, ad Superiores Ordinum, in illis partibus exiſtentes, etiam per aliam viam, quàm per Luſitaniam, in Japonicas, & alias illis adjacentes Provincias, & finitimas Inſulas, Provincias, & Regiones prædictas, ſervata in reliquis dictarum litterarum Clementis Prædeceſſoris forma, in omnibus & per omnia, & non aliter, tranſmittere liberè, & licitè valerent, pariter indulſerat. Piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter conſiderans, experientia plurimorum annorum compertum fuiſſe ordinationes in præfatis litteris contentas non ſufficere, eaſque aliqua proviſione indigere, ut in ipſis Inſulis, & Regionibus feliciùs, ac faciliùs Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium prædicari, & propagari poſſet, poſt habitam eum tunc exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandæ Fidei, per univerſum Mundum præpoſitis maturam deliberationem, præfati Pauli Prædeceſſoris litteris inhærens, omnibus, & ſingulis Religionum cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore exiſtentibus auctoritate Apoſtolica conceſſit, & indulſit, ut, cum eis expedire viſum foret, quoslibet ſuarum Religionum, Ordinum & Inſtitutum Religioſos, quos ætate, vita, moribus, & ſcientia idoneos eſſe ad Miſſiones judicâſſent, ad præfatas Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quàm per Luſitaniam, liberè & licitè mittere poſſent, & valerent, ſervata tamen in reliquis prædictarum litterarum Clementis Prædeceſſoris formâ in omnibus, & per omnia: necnon quoſcumque Eccleſiaſticos, & Religioſos cujuſcumque Ordinis & Inſtituti, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & Sæculares, Religioſorum, ut præfertur, mittendorum ad Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna antedicta acceſſum hujuſmodi impedientes excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodavit, ac pleraque alia conſtituit, prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis die 20. Febr. 1633 editis, quarum tenores ac præfatorum Clementis, & Pauli Prædeceſſorum litterarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, ſicut Ven. Fr. Epiſcopi, & Vicarii Apoſtolica auctoritate deputati in partibus Orientis commorantes Nobis nuper exponi fecerunt, non minus ipſis, ac Presbyteris ſæcularibus, & laicis ad eaſdem partes miſſis, & mittendis, quam Religioſis ſupradictis difficile, ac Catholicæ Fidei propagationi inutile ſit iter & navigationem ad Indias Orientales, & partes Sinarum per Luſitaniam ſuſcipere, eiſque aliæ viæ longè faciliores, ac expeditiores pateant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ſpecialem ipſis Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis gratiam facere volentes, & eorũ ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de præfatæ Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiationi Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, præfatas Urbani Prædeceſſoris litteras auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus, ipſaſque litteras ad eoſdem Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos, necnon Sacerdotes ſæculares, & laicos tam miſſos, quàm in poſterum mittendos in Cbinam, Conchincinam, Tunchinum, Siam, & alia loca, Inſulas, Provincias, Reges, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientis, ita ut Ipſi & eorum quilibet illuc per alias quaſcumque vias ſibi bene viſas, quàm per Luſitaniam proficiſci liberè pariter, & licitè poſſint, ac valeant, nec per Luſitaniam hujuſmodi tranſire, aut navigationem inde ſuſcipere ullo modo teneantur, ſervata tamen cæteroquin prædictarum Clementis Prædeceſſoris litterarum forma, auctoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus: ac quoſcumque Eccleſiaſticos, & Religioſos cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & ſæ-

& ſæculares Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum, necnon Sacerdotum ſæcularium, & laicorum tam miſſorum, quàm in poſterum mittendorum, ut præfertur, ad Chinam, Concincinam, Tunchinum, Siam & alia loca & Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiarum, & aliarum partium Orientis hujuſmodi acceſſum quomodolibet impedientes excommunicationis latæ ſententiæ vinculo pariformiter innodamus; Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter & inconcuſsè obſervari: Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & Delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & alios quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac cæteris Eccleſiarum & locorum, etiam Regularium Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, Capitibus, & Juriſdictionibus, ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties à præfatis Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis, necnon Sacerdotibus ſæcularibus, & laicis tam miſſis, quàm mittendis, ut præfertur, ſeu eorum aliqui fuerint requiſiti, ſolemniter publicari curent, & faciant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus & ſingulis, illis, quæ memoratus Urbanus Prædeceſſor in ſuis præfatis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Decembris MDCLXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Exemplar impreſ. in Arch. Gen. Ord.

Libros de Miſſionibus, vel de rebus Miſſionum agentes vel per ſe, vel per alium ſine ſcripta, & in libro apponenda Sacræ Congregationis de Propaganda Fide licentia, ſub cenſuris aliiſque pœnis prohibet.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

CReditæ Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut, ſi quos in Eccleſia Dei abuſus pullulare, ac invaleſcere noſcamus, eos opportunè ſanctionis ſarculo recidere, atque è medio tollere ſtudeamus. Cum itaque (ſicut accepimus) liceèt aliàs Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium juſtis de cauſis vetuiſſet, ne quis ſine ipſius licentia typis evulgâſſet libros & ſcripta, in quibus aliquo pacto de Miſſionibus ageretur, nihilominus multi, vel ignari, quid eadem Congregatio decreverit, vel temerè Decretum ejus tranſgredientes ſcripta edunt, & libros ſæpè falſa & inepta continentes, non ſine piorum & Doctorum hominum offenſione: Nos his, aliiſque gravibus cauſis adducti, de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium prohibemus, ne quis cujuſcumque ſtatûs, gradûs & conditionis, etiam Regularis, cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, licet is eſſet, de quo ſpecifica & individua mentio facienda foret, ſine licentia in ſcriptis Congregationis eorumdem Cardinalium, quam in operis initio imprimere teneantur, libros & ſcripta, in quibus de Miſſionibus, vel de rebus ad Miſſiones pertinentibus agitur, per ſe, vel per alium edat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo, à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit, ac privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ, necnon operum ſuppreſſionis, pœnis ipſo facto incurrendis. Hoc autem denuntiari volumus omnibus & ſingulis Superioribus Generalibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, qui ſub iiſdem pœnis & ipſi præſentes litteras ſervent, & à ſubditis ſuis curent omnino ſervari; ac præcipimus ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, ut quolibet anno teneantur Superiores præfati eaſdem præſentes litteras, ſive earum tenorem in Capitulis legere, ſeu legi curare, ne aliquis ſub prætextu ignorantiæ ſe excuſare poſſit. Decernen.

nentes ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, necnon ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium, ſeu habere prætendentium conſenſûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac individuam expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci ullo modo poſſe; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fongentes, & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis præfatis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, illorumque Superioribus, & perſonis, aliiſve quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & efficaciſſimis, ac inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere vel in ſpecie, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Aprilis MDCLXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

Bull. Rom. tom. 7. pag. 212.

Tum ab Epiſcopis Indiarum, aliarumque partium Orientalium, tum à Miſsionariis Regularibus Conſtitutiones ac Decreta, à Sacra Congregatione de Propaganda Fide emanata, inconcuſsè ſervari mandat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

QUoniam ea, quæ ex ſolita hujus Sanctæ Sedis rectitudine, atque æquitate provide ſapienterque emanârunt, & indies, prout juſtitiæ ratio exigit, & propagandæ ſolidandæque Fidei Catholicæ ſuadet utilitas, piè prudenterque emanant, ab omnibus Chriſtifidelibus, & præſertim à Catholicis Antiſtitibus, in partem ſollicitudinis Apoſtolicæ vocatis, ac ab illis, qui votorum Religioſorum nexu Dei Eccleſiæque obſequiis arctiùs devincti ſunt, inviolabiliter obſervari oportet: Nos, quibus, licèt immeritis, & tantæ oneri imparibus, Eccleſiæ ſuæ Sanctæ curam commiſit Altiſſimus, debitæ Apoſtolicorum Decretorum obſervationi, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum ſuper ritus Sinarum deputatæ conſilio, Venerabiles Fratres, Epiſcopos Indiarum, aliarumque partium Orientalium, harum ſerie paternè monemus, eiſque, ac etiam Regularium Superioribus, & eiſdemmet Regularibus, etiam Societatis Jeſu, auctoritate Apoſtolica in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut omnes Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Congregationis eorumdem Cardinalium ſub pœnis arbitrio ejuſdem Congregationis

tionis imponendis quoad omnes, & quoad Regulares, etiam Societatis Jesu, eorumque Superiores præfatos, etiam privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, strictè ac inconcusè, & inviolabiliter observari. Decernentes præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, aliosque quoslibet quscumque præeminentia, & potestate fungentes, & functurus, sublata eis & eorum cuilibet qua vis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon, quatenus opus sit, dictæ Societatis Jesu, aliarumque Congregationum & Ordinum quorumcumque, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæteriscque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDCLXXIV. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

Ex Bull. prædicto.

Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, eorumque Operariorum in partibus Orientis commorantium jurisdictionem seu illius exercitium in Provinciis ipsis assignatis impedientes censuris innodat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUm dudum sel. recòrd. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis litteras die 22. Februarii 1633. emanatas, quarum initium est: *Ex debito*, in quibus super Missionibus Religiosorum ad Japoniam, & alia Regna Indiarum Orientalium multa salubriter constituit, quoscumque Ecclesiasticos & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & sæculares, Religiosorum mittendorum ad Insulas, Provincias, Regiones & Regna earumdem Indiarum accessum impedientes excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodavit, & alias, prout in eisdem litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur, &, sicut pro parte Venerabilium Fratrum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum in partibus Orientis commorantium, Nobis nuper expositum fuit, nonnulli propriæ salutis immemores, ipsorum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum jurisdictionem, seu illius exercitium impedire audeant, seu præsumant, Nos ejusmodi temeritatem opportuna Sanctione cohibere, dictosque Episcopos, & Vicarios Apostolicos speciali favore prosequi, ac in piis salubribusque eorum studiis ad Dei gloriam, & Christianæ Religionis Catholicæ Fidei incrementum paterno affectu confovere cupientes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, præfatas Urba-

ni

ni Prædeceſſoris litteras, etiam contra impedientes exercitium juriſdictionis dictorum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque operariorum in Provinciis ſibi à Sancta Sede aſſignatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus & ampliamus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſsè obſervari; Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, alioſve quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatis eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignorsnter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus & ſingulis illis, quæ memoratus Urbanus Prædeceſſor in ſuis ſupradictis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent oſtenſæ, vel exhibitæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Junii MDCLXXIV. Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

Exemp. imp. in Arch. Gen. Ord. Arm. *Miſſiones.*

Conſtitutionem Clementis XI. incipientem = *Ex illa die* = in cauſa Rituum ſeu Cœremoniarum Sinenſium editam confirmat; nonnullas eorumdem Rituum ac Cœremoniarum permiſſiones damnat, ac novam formulam juramenti à Miſſionariis præſtandi præſcribit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo ſingulari Dei providentiâ factum eſt, ut Orientalium, & Occidentalium Indiarum Regiones Europæ innoteſcerent, Apoſtolica Sancta Sedes, quæ ab ipſis Eccleſiæ incunabilis Evangelicæ veritatis lumen ubique diffundere, & illud ab omni erroris umbra ſervare maximo ſtudio curavit, in his quoque noviſſimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones ſedulò miſit; ut Idololatriâ ibi latè dominante funditus eradicatâ Chriſtianæ Fidei ſemen opportunè ſpargerent, atque horrentes illos & incultos campos in ſertiles florenteſque vineas, uberrimos æternæ vitæ fructus daturas commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes præ cæteris ante oculos habuit, fuit profecto ampliſſimum Sinarum Imperium, in quo quidem negari non poteſt, quin Chriſtians Fides progreſſus ingentes fecerit, longè etiam majores facturs, niſi coorta inter Opersrios à Sancta Sede illuc miſſos diſſidia curſum intereidiſſent.

Occaſionem diſſidiis ejuſmodi dederunt Cœremoniæ quædam, & Ritus, quibus Sinenſes ad Confucium Philoſophum, & Majores ſuos bonoribus proſequendos uti conſueverunt: cum nonnulli ex Miſſionariis contenderent, eas eſſe Cœremonias, & Ritus merè civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum cultu Chriſtiansm Religionem amplectebantur; contra verò alii eos, utpote ſuperſtitionem olentes, ſine gravi Religionis injuria permitti nullo modo poſſe aſſererent. Quæ ſanè controverſia multis annis Apoſtolicæ Sedis curam & ſollicitudinem ad ſe traxit; cum id maximè caveat, ne xizanis in agro Dominico radices agant, aut, ſi fortè egerint, eæ, quàm cito fieri poteſt, evellantur.

Primò itaque ad Sanctæ Sedis Tribunal Cauſam hanc detulerunt ii, qui Cœremonias illas, & Ritus Sinicos ſuperſtitione imbutos ſuſpicabantur. Super illis dubia nonnulla propoſita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, quæ anno 1645. comprobavit reſponſa ac deciſiones Theologorum, qui Cœremonias & Ritus eoſdem ſuperſtitione revera infectos judicârunt. Proinde Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis preces, omnibus & ſingulis Miſſionariis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſibi, ac Sanctæ Sedi reſervatæ, mandavit, ut reſponſa ac deciſiones prædictas omnino obſervarent, eaſque ad praxim deducerent, donec ſibi & Apoſtolicæ Sedi aliter viſum non eſſet.

Verùm paulò poſt ab aliis ejuſdem Miſſionis Operariis alia dubia de iiſdem Ritibus & Cœremoniis ipſimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus Cœremoniæ ipſæ, Rituſque nullam in ſe ſuperſtitionem habere videbantur. Negotium itaque hujuſmodi ab Alexandro Papa VII. Sa-

Sacræ Inquisitionis Congregationi commissum fuit: quæ, prout variâ diversâque ratione fuerat sibi de eisdem Cæremoniis expositum, alias quidem tamquam merè civiles & politicas esse permittendas, alias verò minimè tolerari posse judicavit: idemque Alexander Pontifex anno 1656. hanc sententiam probavit, & confirmavit.

Sed ecce tertiò ad Sanctam Sedem hæc eadem controversia. Cum plura dubia Sacræ Inquisitionis Congregationi proposita fuissent, illud quoque ab ea quæsitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. præceptum, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandabat observantiam responsionum, ar decisionum, quæ à Congregatione de Propaganda anno 1645. ut supra dictum est, emanaverant. Præterea, an, stantibus recens expositis dubiis, earum praxis retinenda foret: cum præsertim obstare videretur decretum Sac. Inquisitionis, quod ab ea emanavit anno 1656. super quæsitis nonnullis diversâ ratione, aliisque circumstantiis propositis ab Operariis Apostolicis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit ad hæc Sac. Inquisitionis Congregatio anno 1669. præfatum Congregationis de Propaganda Fide Decretum adhuc vigere habitâ ratione rerum, quæ fuerunt in dubiis expositæ; neque illud fuisse circumscriptum à Decreto Sacræ Inquisitionis, quod anno 1656. emanavit; imo esse omnino observandum juxta quæsita, circumstantias, & omnia ea, quæ in antedictis dubiis continentur. Declaravit pariter eodem modo esse observandum prædictum Sacræ Congregationis Decretum anni 1656. juxta quæsita, circumstantias, & reliqua in ipsis expressa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

Cum autem omnia præfata Decreta pro varia rerum expositarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Sinensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires, & incrementum acquireret. Nam sciffis Evangelicis Operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum, ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta est prædicatio non uniformis, & non eadem ubique Christianorum illorum disciplina & institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut pernicios adeo dissidiis finis daretur; proinde exactam maximèque accuratam totius hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo finceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia quæsita, quæ per eamdem Sacram Congregationem resolverentur.

Quæsitorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI., qui successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se quæsitorum eor umdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam, & accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus liberè producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa XI. anno 1704. confirmavit, & Apostolicâ auctoritate comprobavit præmemoratæ Sacræ Congregationis responsiones ad omnia & singula quæsita proposita, quibus Ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur; mandavitque præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon, Antiochiæ Patriarcham, Commissarium, & in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus & singulis Missionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis, præciperet.

Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito Decreto, quæ ab universis ejus observantiam exigebat. Cum autem illam tentâssent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses Ritus tamquam politicos, ac merè civiles propugnaverunt, prædictus Pontifex Clemens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquisitionis Congregationem emanavit, anno 1710. præcepit omnimodam, & inviolabilem earumdem responsionum abs se Apostolica authoritate confirmatarum observantiam, & alia, quę Decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis:

DECRETUM

Super omnimoda, ac inviolabili observatione Responsorum, aliàs in Causâ Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium à Sacra Congregatione datorum, & à Sanctissimo approbatorum cum aliis Ordinationibus.

Feriâ v. die XXV. Sept. MDCCX.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro D. Clemente Divinâ Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Idem-

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter in Cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium, auditis tam in Congregationibus anno præterito non ſemel, quàm in aliis, menſe & anno præſentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, præfatorum Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentiſſimè diſcuſſerunt, ſententiis, decrevit, & declaravit, reſponſa alias in Cauſa hujuſmodi ab eadem Congregatione data, & à Sanctitate Sua die 20. Novembris 1704. confirmata & approbata, necnon Mandatum, ſeu Decretum ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali de Imperio Sinarum die 25. Jan. 1707. hac de re editum, ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, inconcuſſè, & inviolabiliter, ſub cenſuris & pœnis in Mandato, ſeu Decreto hujuſmodi expreſſis, obſervanda eſſe, quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacumque appellatione à quibuſvis Perſonis ſive Secularibus, ſive Regularibus, etiam ſpecificâ & individuâ mentione, & expreſſione dignis, ac quivis Eccleſiaſticâ dignitate fulgentibus, ad Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam eſſe decrevit, ac re ipſa rejecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in ſuo Mandato, ſeu Decreto ſupradicto Apoſtolicæ declarationi die 20. Novembris 1704. totæ ſe expreſſè inhærere profeſſus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipſum Mandatum, ſeu Decretum unâ cum cenſuris in eo contentis ad normam eorumdem reſponſorum accipiendum eſſe, ita ut nihil per illud reſponſis præfatis additum, ſeu detractum fuiſſe cenſendum ſit, ac omnia, quæ in eis inſunt, etiam in Mandato, ſeu Decreto prædicto meſſe intelligantur. Cæterùm Sanctitas Sua, tametſi non ſine ingenti animi ſui mœrore acceperit, quod humani generis hoſtis multiplicia in dies zizania in latiſſimis illis Regionibus ſuperſeminare non ceſſat, non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ ſaluberrimum ac ſanctiſſimum opus ullatenus deſerere volens, ſed illud majori, quâ poteſt, animi contentione, ac ſtudio, iiſque potiſſimùm diſſidiis, quibus inibi Chriſtianæ Fidei ſeges veluti ſpinis ſuffocatur, prorſus ſubmotis, ardentiùs ſemper, & enixius promovere cupiens, congruam ſuper præmiſſis, aliiſque ad ea pertinentibus Inſtructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, ſin minus, illi, qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis eorumdem partium tranſmitti mandavit, qua non minus debitæ Apoſtolicorum Decretorum executioni, quàm Miſſionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum ſalutî opportunè conſulatur. Demum, ut nimirùm illi de his rebus ſcribendi licentia, quæ non ſine Fidelium ſcandalo inter Partes diuturnâ contentione exaſperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua diſtrictè præcepit omnibus & ſingulis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, aliiſque quibuſcumque ſecularibus perſonis tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis, cujuſcumque tandem ſtatûs, gradûs, conditionis, & dignitatis exiſtant, ut in poſterum non audeant ſub quovis quæſito colore, vel prætextu imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theſes, Folia, ſeu Scripta quæcumque, in quibus ex profeſſo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujuſmodi, vel de controverſiis deſuper, ſeu illorum occaſione exortis quomodolibet tractetur, ſine expreſſa & ſpeciali licentia à Sanctitate Sua, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice in Congregatione ſupradictæ Sanctæ & Univerſalis Inquiſitionis obtinenda. Ut autem ejuſmodi prohibitio inviolabiliter obſervetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes quoſcumque excommunicationis latæ ſententiæ; Regulares vero etiam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnas ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis ſubjacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theſes, Folia, ac Scripta quæcumque, quæ in futurum contra præſentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, ſuper quibus opportunè providebitur) pro expreſſè prohibitis haberi voluit, abſque alia declaratione, ſub pœnis & cenſuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impreſſores verò, præter Scriptorum ſic impreſſorum amiſſionem, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Joſeph Bartolus S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

At verò nec Decretum hujuſmodi ad difficiles animos ſubjiciendus valuit. Itaque Clemens idem Papa XI. quò illos tandem aliquando frænaret, Conſtitutionem anno 1715. evulgavit, qua ſolemniter iterum confirmavit antedictas Sacræ Inquiſitionis reſponſiones, eaſque exactè & ad amuſſim obſervari mandavit, præcluſis omnibus iis effugiis

giis, quibus perfectam earum obſervantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuiſſent, & eſt tenoris, qui ſequitur:

CLEMENTIS PAPÆ XI.

Præceptum ſuper omnimoda, abſoluta, integra, & inviolabili obſervatione eorum, quæ aliàs à Sanctitate Sua in Cauſa Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium decreta fuerunt: cum rejectione quarumcumque rationum, ſeu excuſationum ad ejuſmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac præſcriptione Formulæ Juramenti per Miſſionarios illarum partium præſentes & futuros hac in re præſtandi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EX illa die, qua, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, Catholicæ Eccleſiæ gubernacula, hoc eſt, manus ſuè amplitudine gravioſimum, ac temporum iniquitate molestiſſimum, Deo ſic diſponente, ſuſcepimus, nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quàm accerrimas contentiones jampridem in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortas, ſemperque in dies magis involeſcentes eam circa quaſdam voces Sinicas ad ſanctum & ineffabile Dei nomen exprimendum inibi uſurpatas, quàm circa nonnullos earum gentium Ritus, velut ſuperſtitioſos à quibuſdam ex Miſſionariis prædictis reprobatos; ab aliis verò, utpote eos civiles tantùm aſſerentibus, permiſſos, Apoſtolici Judicii cenſurâ opportunè dirimere, ut, ſublatis diſſidiis, Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipſum diceremus, in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui ſanctificati ſunt in Chriſto Jeſu.

Hoc conſilio reſponſa illa, quæ ad variàs quæſtiones ſuper ejuſmodi rebus excitatas, prævio diuturno examine, dudum, videlicet tempore ſel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri inchoato, ac deinde juſſu noſtro per plures annos continuato, auditiſque utriuſque partis rationibus, necnon complurium Theologorum, & Qualificatorum ſententiis à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum adverſùs hæreticam pravitatem auctoritate Apoſtolicâ deputatorum, data fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704. eâdem auctoritate confirmavimus, & approbavimus.

Ea autem, quæ in reſponſis hujuſmodi decreta fuerunt, ſunt quæ ſequuntur: Cum Deus Optimus Maximus congruè apud Sinas vocabulis Europeis exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum ſignificandum, vocabulum *Thien Chù*, hoc eſt, Cæli Dominus, quod à Sinenſibus Miſſionariis, & Fidelibus longo ac probato uſu receptum eſſe dignoſcitur, admittendum eſſe: nomina verò *Thien* Cælum, & *Xang Ti* Supremus Imperator, penitus rejicienda.

Idcireo Tabellas cum inſcriptione Sinica *King Tien*, Cœlum colito, in Eccleſia Chriſtianorum appendi, ſeu jam appenſas in poſterum inibi retineri permittendum non eſſe.

Ad hæc nullatenus, nullaque de cauſa permittendum eſſe Chriſtifidelibus, quod præſint, miniſtrent, aut interſint ſolemnibus Sacrificiis, ſeu Oblationibus, quæ à Sinenſibus in utroque æquinoctio cujuſcumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tamquam ſuperſtitione imbutis. Similiter nec eſſe permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine *Miao* appellantur, iidem Chriſtifideles exerceant, ac peragant Cæremonias, Ritus, & Oblationes, quæ in honorem ejuſdem Confucii ſunt tum ſingulis menſibus in Novilunio & Plenilunio à Mandarinis, ſeu primariis Magiſtratibus, aliiſque Officialibus, & Litteratis; tum ab eiſdem Mandarinis, ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſaltem poſt ejus poſſeſſionem adeptam; tum denique à Litteratis, qui poſtquam ad gradus ſunt admiſſi, è veſtigio ad Templum, ſeu Ædem Confucii ſe conferunt.

Præterea non eſſe permittendum Chriſtianis in Templis, ſeu Ædibus Progenitoribus dicatis Oblationes minus ſolemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios Ritus, & Cæmonias peragere.

Item nec eſſe permittendum præfatis Chriſtianis Oblationes, Ritus, & Cæremonias hujuſmodi coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus, ſive in eorumdem Progenitorum Sepulchris, ſive, antequam defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, unà cum Gentilibus, vel ſeorſim ab illis peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe; imo prædicta omnia, utpote quæ, perpenſis hinc inde deductis, necnon diligenter, ac maturè diſcuſſis omnibus, ita peragi comperta ſunt, ut à ſuperſtitione ſeparari nequeant, Chriſtianæ Legis cultoribus ne quidem permittenda eſſe, præmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili, ac politico tantùm cul-

cultu erga defunctos illa præſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Non tamen per hæc cenſendam eſſe damnatam præſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam merè materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eiſdem ſuperſtitioſis actibus quandoque præſtari contingat à Chriſtianis, cum aliter odia & inimicitiæ vitari non poſſunt: factâ tamen prius, ſi commodè fieri poterit, Fidei proteſtatione, ac ceſſante periculo ſubverſionis.

Demum permittendum non eſſe Chriſtifidelibus Tabellas defunctorum Progenitorum in ſuis privatis domibus retinere, juxta illarum partium morem, hoc eſt, cum inſcriptione Sinica, qua Thronus, ſeu Sedes Spiritûs, vel Animæ N. ſignificetur, imo nec cum alia, qua Sedes, ſeu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta inſcriptione, deſignari videatur. Quo verò ad Tabellas ſolo defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia quæ ſuperſtitionem redolent, & ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint, Tabellas hujuſmodi à Chriſtianis retineri câ mente, quâ ipſi illas retinent, necnon adjectâ inſuper declaratione ad latus ipſarum Tabellarum apponendâ, quâ, & quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis Filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuntietur.

Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint, ab iis gentibus peragi conſueta, quæ verè ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præferant, ſed intra limites civilium & politicorum Rituum contineantur. Porro, quænam hæc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore exiſtentis Commiſſarii & Viſitatoris Generalis Apoſtolici, ſeu ejus vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium judicio relinquendum eſſe: qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentiâ curare debebunt, ut Gentium Cœremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim à Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro defunctis piè præſcripſit.

Poſt hæc verò labente ferè ſexennio, nempe die 25. Septembris 1710. *auditis iterum Deſtorum Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentiſſimè diſcuſſerunt, ſuffragiis, eadem reſponſa, necnon Mandatum, ſeu Decretum, quod illis expreſſè inhærendo, à piæ recordationis Carolo Thoma, dum vixit, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in præfato Imperio Sinarum, die* 25. *Januarii* 1707. *editum fuit, ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectabat, inconcuſſè & inviolabiliter ſub cenſuris & pœnis in Mandato, ſeu Decreto hujuſmodi expreſſis obſervanda eſſe decrevimus & declaravimus, quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimùm non obſtante quacumque appellatione à quibuſvis Perſonis ad Nos, & Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, quam propterea prorſus rejiciendam eſſe ſimiliter decrevimus, ac re ipſa rejecimus, prout in decreto hæc de re edito fuſius continetur.*

Hæc omnia plenè & abundè ſufficere debuiſſent, ut ea, quæ inimicus homo ſuperſeminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fideliſque omnes noſtris, & hujus Sanctæ Sedis mandatis eâ, quâ par erat, humilitate & obedientiâ obſequerentur: præſertim cum in calce reſponſorum prædictorum à Nobis, ſicut præmittitur, confirmatorum & approbatorum, Cauſam jam finitam eſſe apertis, & perſpicuis verbis pronunciatum fuerit.

Verùm, cum, ſicuti ex eiſdem partibus non ſine intimo animi noſtri dolore ad noſtri perveneris Apoſtolatûs auditum, tam enixè à Nobis præſcripta reſponſorum hujuſmodi executio malè à pleriſque, ſive vano falſoque obtentu, quod illa à Nobis ſuſpenſa fuerint, vel minus legitimè promulgata, ſive conditionum, ut perperam aſſeritur, in eis inſitarum, & ante executionem ipſam verificandarum, factorumve, ſuper quibus ipſa emanârunt, non juſtificatorum ratione, ſive ulteriorum à Nobis ea in re edendarum declarationum colore, ſive gravium, quæ tam Miſſionariis, quàm Miſſioni ipſi ex demandatâ executione obvenire poſſent, periculorum formidine, ſive demum Decreti dudum, nempe die 23. *Martii* 1656. *ſuper ejuſmodi Ritibus, ſeu Cœremoniis Sinicis à præfata Congregatione Cardinalium editi, ac à recol. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædeceſſore noſtro approbati prætextu, necnon ſine gravi Pontificiæ noſtræ authoritatis injuria, Chriſtifidelium ſcandalo, ac ſalutis animarum detrimento, ſatis diu, multumque eludatur, aut ſaltem nimium retardetur.*

Hinc eſt, quod Nos, ex commiſſæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere difficultates, tergiverſationes, ſubterfugia, & prætextus hujuſmodi penitus & omninò è medio tollere, ac rejicere, necnon Chriſtifidelium quieti, animarumque ſaluti, quantùm Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, de-

eorumdem Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in ſupradicto Sinarum Imperio, aliiſque ei conterminis, ſive adjacentibus Regnis, ac Provinciis nunc & pro tempore quandocumque exiſtentibus ſub ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, eorum verò Officialibus, ac Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliiſque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apoſtolicis, qui Epiſcopi non ſint, eorumve Provicariis, necnon Miſſionariis tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, Regularibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, tenore præſentium præcipimus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut reſponſa præinferta, omniaque & ſingula in eis contenta exactè, integrè, abſolutè, inviolabiliter, & inconcuſſè obſervent; ac ab eis, quorum cura ad illos ſpectat, ſimiliter obſervari, quantum in ipſis eſt, curent, & faciant: neque illis, ſive ullo ex ſuperius expreſſis, ſive alio quovis titulo, causâ, occaſione, colore, vel prætextu contravenire quoquo modo audeant, vel præſument.

Præterea motu, ſcientiâ, deliberatione, vel poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie ſtatuimus, & ſub eiſdem excommunicationis reſervatæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis ordinamus, ut omnes & ſinguli Eccleſiaſtici tam ſæculares, quàm prædictorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, & Provinciat, ſive ab hac Sancta Sede, ſive etiam ab eorum Superioribus miſſi, & quandocumque in poſterum mittendi, cujuſvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic exiſtant, vel in futurum extiterint, miſſi ſcilicet, ſtatim ac præſentes Litteræ eis innotuerint, mittendi verò, antequam ibidem aliquod Miſſionarii munus exercere incipiant, Juramentum de fideliter, integrè, ac inviolabiliter obſervando ejuſmodi Præcepto, ac Mandato noſtro, juxta formulam in præſentium Literarum calce annotandam, in manibus Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore exiſtentis, vel alterius ab illo deputati, ſive, eo deficiente, in manibus Epiſcoporum, vel Vicariorum Apoſtolicorum dictarum partium, in quorum reſpectivè juriſdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, Regulares verò in manibus inſuper Superiorum ſuæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eiſdem partibus exiſtentium, præſtare omnino debeant, ac teneantur: ita ut ante præſtationem Juramenti hujuſmodi, & ſubſcriptionem ſub eadem formulæ ab unoquoque, qui juramentum ipſum præſtiterint, propriâ manu faciendam, nullum Miſſionarii munus continuare, aut exercere, imo nec tanquam deputati ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis locorum, aut tamquam ſimplices ſuæ Religionis Presbyteri, ſive alio quovis titulo, causâ, ſeu privilegio, de quibus expreſſa, ſpecialis, & ſpecialiſſima eſſet facienda mentio, Chriſtifidelium Confeſſiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet adminiſtrare ullo modo valeant, nullique omnino facultatibus, ſive ſibi ſpeciatim, ſive ſuis reſpectivè Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, hujuſmodi generaliter à Sede præfata conceſſi uti poſſint, ſed quoad eos, præter, & ultra ſuperius expreſſas pœnas, omnes & ſingulæ facultates prædictæ omnino ceſſent, nulliuſque roboris ſint, & eſſe cenſeantur.

Omnia autem Juramenta hujuſmodi per quoſcumque Miſſionarios tam Seculares, quàm Regulares, in memoratorum ſive Commiſſarii & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, ſicut præmittitur, præſtanda, poſtquam ſubſcriptione munita fuerint, vel ſaltem authentica illorum exempla per eoſdem Commiſſarium & Viſitatorem Apoſtolicum pro tempore exiſtentem, Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos, ad præfatam Congregationem Cardinalium, quanto citius fieri poterit, tranſmittantur.

Superiores verò Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, illic nunc, & pro tempore exiſtentes, ſub eiſdem pœnis teneantur non ſolùm idem Juramentum in præfatorum ſive Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, juxta modum ſupra præſcriptum, præſtare, ejuſque formulæ ſubſcribere, ſed etiam illius præſtationem à ſuis reſpectivè Subditis exigere, ac authentica ea ſuper re documenta quamprimum tranſmittere ad ſuos reſpectivè Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium ſtatim tradere debebunt.

Decernentes, eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatûs, gradûs, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu

alias

aliàs ſpecificâ & individuâ mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, cantæque, propter quas præſentes emanárint, ſufficienter adductæ, verificatę, & juſtificatę non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormi, enormiſſimę, & totali leſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel intereſſe habentium conſenſûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſum vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes literas semper firmas, validas, & efficaces extitere, & fore quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis à Sede præfata conceſſorum privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, seu quavis ex cauſa opponi, ſeu objici poſſent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, easque propterea, omnibus & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & authoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Sanctorum, etiam Jeſu, ac quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâroboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus, quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prædictis, aliisve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſimâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quacumque cauſa, etiam per viam contractûs, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve qualibet mundanâ, vel Eccleſiaſticâ dignitate fulgentium inſtantium, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradità obſervatâ, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæterisque contrariis quibuſcumque.

Formula autem Juramenti, ſicut præmittitur, præſtandi eſt, quę ſequitur, videlicet: Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. à Sede Apoſtolica, vel à Superioribus meis, juxta facultates eis à Sede Apoſtolica conceſſas, miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, & Cœremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. hac de re edita, qua præſentis Iuramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram ejuſdem Conſtitutionis lecturam optimè noto, plenè ac fideliter parebo, illudque exactè, abſolutè, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contra-

ve-

venerim, toties, quoties id evenerit, pœnis per prædictam Constitutionem impositis me subjectum agnosco & declaro. Ita tactis Sacrosanctis Evangeliis psomitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

Cæterum volumus, & expressè mandamus, ut eædem præsentes litteræ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus & singulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc, ut tam suo, quàm prædictorum eis respectivè subditorum, seu inferiorum nomine, ipsas litteras fideliter exequi & observare spondeant, actumque sponsionis hujusmodi in scriptis reddant; earum verò exempla prædicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos subditos, seu inferiores in Sinis, aliisque Regnis, & Provinciis supradictis degentes, cum artissimis præceptis eosdem litteras, & in eis contenta quæcumque pleuariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu in omnibus & per omnia similiter exequendi; & observandi. Quia verò difficile foret, litteras hujusmodi originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 19. Martii 1715. Pontificatûs Nostri An. Decimoquinto.

F. Oliverius.

Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Pspa XI. se huic controversiæ finem dedisse testatur, justum & æquum videbatur, eos, qui Sanctæ Sedis authoritatem se se quam maximè revereri profitentur, humili & obsequenti animo illius judicio semet omnino subjicere, nec ulterius quidquam cavillari. Nihilominus inobedientes & captiosi homines exactam ejusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putârunt, eâ ratione, quod illa Præcepti titulum præsert, quasi verò non indissolubilis Legis, sed Præcepti merè Ecclesiastici vim haberet; tum etiam, quod illam debilitatam existimarent ex permissionibus quibusdam, quas super iisdem Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium & Visitatorem Generalem Apostolicum in iis Regionibus ageret.

Nos igitur animadvertentes, prædictam Constitutionem Christiani cultûs puritatem respicere, quem illa ab omni superstitione labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temerè audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa Supremam Apostolicæ Sedis decisionem non contineret, & id, de quo agitus, non ad Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quædam variabilis disciplinæ ratio. Proinde authoritate ab Omnipotenti Deo Nobis traditâ uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de authoritatis ejusdem plenitudine non modò eam appsobamus & confirmamus, sed etiam, quantùm possumus, omnem vim & firmitatem, ad illam magis, magisque roborandam ac stabiliendam, adjicimus, eamque in se plenam & omnimodam Apostolicæ Constitutionis authoritatem habere dicimus & declaramus.

Permissiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt à responsionibus quibusdam, quas duo Viri, qui jampridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæsita nonnulla dederunt, quæ super ejusdem Constitutionis Apostolicæ executione, ac praxi Missionarii quidam proposuerant. Responsiones itaque hujusmodi unâ enm dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis sive approbantis, sive aliquid de suo addentis indicio, transmissæ fuesunt ad præfatum Patriarcham Alexandrinum, ejus animi instruendi causâ, utque illis uteretur, prout circumstantiæ rerum, ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicæ Sedis Iure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes, aut repugnantes Constitutionis præfatæ decretis ullo modo compertæ forent.

Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem responsiones, quas præmemorati duo Viri ad proposita quæsita dederant, bene verò Permissiones octo, quæ ab illis fuerant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertæ, cujus tenor est, uti sequitur:

Carolus

Carolus Ambroſius Mediobarbus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Patriarcha Alexandrinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimiſque Regnis, & Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Generalis Apoſtolicus cum facultate Legati de Latere &c.

Omnibus Epiſcopis, Vicariis Apoſtolicis, ac Miſſionariis, qui in prædictis partibus degunt, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quàm cum iis omnibus, qui in hac Evangelica Vinea laborant, os ad os loqui. Deſideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos, id eſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ in invicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Verùm, quia non ſapientiam hujus ſæculi loquuti fuimus, in timore & tremore multo fuimus apud vos, ſatiſque duximus, ad ſedandam tempeſtatem adverſùs Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare projecre, ut vos jactari ſinatis. Adjutor noſter nunc & erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam. Veritatem dicimus in Chriſto, non mentimur, teſtimonium Nobis perhibente conſcientiâ noſtrâ in Spiritu Sancto; quoniam triſtitia Nobis magna eſt, & continuus dolor adhæret cordi noſtro, quod præſentes non potuerimus ſolari vos, ut fructum aliquem haberemus & in vobis, & in cæteris gentibus. At verò, quod non licuit per præſentiam agere, ſaltem per epiſtolam non impedimur. Primùm quidem gratias agimus Deo noſtro per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, qui Spiritu Sancto ferventes, & fortes Sanctæ Sedis mandatis rationabile exhibetis miniſterium veſtrum jactantes cogitatum in eum, cui à Domino dictum eſt: Paſce oves meas; cui traditæ ſunt claves Domûs David: ſi aperit, non eſt qui claudat, ſi claudit, non eſt qui aperiat. Quotquot eſtis mactæ animis vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, quia merces veſtra magna eſt in Cœlis. Miniſterium veſtrum implete, attendite vobis, & doctrinæ. Lucernæ eſtote, non minùs lucentes exemplo, ac zelo prædicationis ardentes. Si qui verò adhuc eſſent hæſitantes & in opere non efficaces, obſecramus vos, Fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Non amplius invicem judicemus. Unuſquiſque veſtrum pari humilitate, ac obedientiâ S. Sedi mandatis obſequatur, ut veſtra obedientia in omnem locum divulgetur. Non enim opus eſt, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ XI. mandata jam promulgata vobis innoteſcant, vinque habeant, ut abſque ulla tergiverſatione executioni mandentur. Nihil proindè innovamus: ſed relinquimus res, prout ſunt; hoc eſt, nullatenus Conſtitutionem ſuper Ritibus Sinicis à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XI. die 19. Martii 1715. emanatam ſuſpendimus, aut, quæ in ea vetantur, permittimus. Ob aliqua tamen quibuſdam Miſſionariis circa quaſdam Cæremonias paragi conjectas ſuborta dubia, ut quilibet in Vinea Domini ſtrenuè, ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus, quæ permitti poterunt, quæ & ſeparatim unicuique ſecundùm quæſita dediſſemus, niſi compertum Nobis eſſet, undè cum incertis nuntiis jam diſſeminata proborum animos, & Chriſtifideles bonæ voluntatis non parùm perturbaſſe. Omni igitur, quo poteritis, ſtudio ac diligentia curare debetis, ut gentium Cæremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim à Chriſtianis, & pro Chriſtianis uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia piè præſcripſit. Primò. Permittitur Chriſtianis Sinenſibus in ſuis privatis domibus uti Tabellis defunctorum inſcripto ſolo nomine defuncti, appoſitâ ad latus declaratione debitâ, & omiſsâ quacumque ſuperſtitione in earum conſtructione, nec non ſecluſo omni ſcandalo. *Secundò.* Permittuntur omnes Cœremoniæ Nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non ſint aut ſuperſtitioſæ, aut ſuſpectæ, ſed civiles. *Tertiò.* Permittitur Confucii cultus ille, qui civilis eſt, & etiam ejuſdem Tabellæ, purgatæ & literis, & ſuperſtitioſâ inſcriptione, & adjunctâ declaratione debitâ, ſicuti permittitur ante ejus Tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comeſtibilia &c. *Quartò.* Permittitur pro uſu, & expenſis funerum offerri candelas, odores, adjunctâ in ſchedula debitâ declaratione. *Quintò.* Permittuntur reverentiæ genuflexionum, & proſtrationum erga Tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum. *Sextò.* Permittitur præparari menſas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis uſualibus circa, aut coram feretro, ubi ſit Tabella correcta, cum debita declaratione, & omiſſis ſuperſtitioſis, pro quadam honeſtate tantùm, & pietate erga defunctos. *Septimò.* Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta

ta *Ko teu* tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus. *Octavò*. Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, ſicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari poſſunt cibi, ut ſupra dictum eſt, adhibitis cautelis, ut in Superioribus. *Apoſtolici ergò Viri Eccleſiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum ſuam ad aratrum, nec reſpiciant retro. Videte Fratres vocationem veſtram; non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur. Obſecramus itaque vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Nè diutius agamus ſecundùm poteſtatem, paternè vos commonere voluimus per epiſtolam. Amabilem illum Patrem-familias, qui exiit primo manè conducere Operarios in Vineam ſuam, audite*: Quid hìc ſtatis totâ die otioſi: Ite & vos in Vineam meam. *Vocem Patris perpendite, & illam Judicis timete. Ipſi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam miniſterio Verbi Dei functi recipietis mercedem, immarceſcibilem nimirum à Paſtorum Principe gloriæ coronam. Ne quis vos ſeducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci ejus, qui miſit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, ſed unuſquiſque veſtrûm pro ſe rationem reddet Deo. Quicumque ſub diverſi pretextibus ceſſandum ſibi putat à Miniſterio Miſſionarii, lædit animam ſuam, & de alienis æternò Judici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima ſua, & pro alienis? Demeſſi vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, areſcent tamquam palmites; & colligti, & alligati in faſciculos ad comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Reſpicite Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſecus viam ambulantem, qui in ficì arbore nihil invenit, niſi folia tantum, & ait illi*. Nunquam ex te naſcantur fructus in ſempiternum. *Si aliqui palmites jamdiu converſi in amaritudinem, qui expectabantur, ut tandem facerent uvas, ſpinas ſuper ſpinas adjeciſſent, væ, væ à die iræ, à die furoris, & indignationis Domini! Attendite ad verba, quæ mandat vobis per Servum ſuum Dominus adhuc miſericors. Revertimini ad Deum veſtrum, mancte in eo, qui manens in vobis purgabit vos, & deſideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apoſtolico ſalisfeciſſe nos muneri judicamus; non enim ſubterfugimus, quominus annuntiaremus omne conſilium Dei vobis, ut nullam excuſationem habeatis de peccatis veſtris. De cætero quotquot eritis obedientes, Fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.*

Cum verò ad promovendam in Neophitis debitam Decreti Apoſtolici obedientiam, præſentium noſtrarum litterarum notitiam, iiſdem Neophitis minimè neceſſariam eſſe, ſed ſatis eſſe eos in viam ſalutis dirigere juxta Pontificiæ Conſtitutionis præſcripta, compertum ſit, ne quis eorum, ad quos præſentes litteræ directæ ſunt, cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis, etiam Jeſu, præſentes litteras, aut quæ in eis continentur (exceptis Permiſſionibus, quæ quidem cautè, & ubi neceſſitas tantùm, aut utilitas poſtulaverit, patefacienda erunt) ſive directè, ſive indirectè per ſe, vel per alium vocetenus, aut ſcripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui Miſſionarius non ſit, nota faciat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Nobis, aut à Summo Pontifice (præterquam in articulo mortis conſtitutus) abſolvi poſſit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per Contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis tenore præſentium vetamus, & in virtute ſanctæ obedientiæ prohibemus. Datum Macai in Palatio noſtræ Reſidentiæ die 4. Novembris anno 1721.

Cum autem Patriarcha Alexandrinus in præallata Paſtorali mentem ſuam ſatis prudenter explicuiſſet, nimirum Paſtoralis hujus ſuę Epiſtolę notitiâ opus non eſſe ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta venerationem & obſervantiam, cum ſatis eſſet, ut juxta Conſtitutionis Pontificiæ mandata in via ſalutis dirigerentur. Præterea cum omnibus, & quibuſcumque interdictum voluiſſet, ſub pœna quoque excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis illam in Sinenſem, aut in Tartaricum ſermonem verteret, aut cuiquam, qui Miſſionarius non eſſet, eam palam faceret; de Permiſſionibus autem cum ſtatuiſſet, nonniſi cautè, & ubi tantùm utilitas, vel neceſſitas id poſtularet, eſſe evulgandas: profectò omnis, ad quem Paſtoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obſcurè inferre debebat, quantis ille animi anguſtiis obſeſſus, & quàm anceps, ac perplexus in Permiſſionibus hujuſmodi proponendis extitiſſet; adeò ut œconomiâ quadam uſus ſuiſſet ad loci & temporis circumſtantias prorſus neceſſariâ: à qua putandum eſt eum receſſurum fuiſſe, ſi libertas ſibi data eſſet rem diſcutiendi cum Epiſcopis, aliiſque doctis Viris, qui nihil aliud, quàm Chriſtiani cultûs puritatem, & Apoſtolicæ Conſtitutionis obſervantiam ante oculos haberent. At Permiſſiones illæ contra expreſſam adeo Patriarchæ ipſius voluntatem evulgatæ; &, quod mirum, Pekini Epiſcopus per binas ſuas Paſtorales mandavit,

vit, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, univerſis Diœceſis ſuæ Miſſionariis, ut obſervarent, & obſervari præciperent Conſtitutionem: *Ex illa die*, juxta Permiſſiones, quas ipſe contendebat, ad ea potiſſimùm referri, quæ in præcitata Conſtitutione fuerant ſolemniter interdicta. Præcepit inſuper, ut Chriſtifideles quater ſingulis annis in diebus omnium celeberrimis diſtinctè inſtruerentur cum in iis, quæ Conſtitutione Apoſtolicâ prohibentur, tum in iis, quæ à Patriarchæ Alexandrini Paſtorali permittuntur.

Enimverò Clemens Papa XII. Prædeceſſor noſter tam audax Epiſcopi Pekinenſis factum æquo animo ferre haud potens muneri ſuo maximè intereſſe judicavit binas illas Epiſtolas damnare, ac penitus reprobare Apoſtolico Brevi, quod anno 1735. promulgavit: in quo ſibi, ac Sanctæ Sedi ſacultatem reſervavit declarandi Sinenſibus Chriſtianis mentem ſuam, & ejuſdem Sanctæ Sedis ſententiam in iis, aliiſque, quæ ad materiam hujuſmodi ſpectarent. Præfatum autem Breve eſt tenoris ſequentis:

CLEMENTIS PAPÆ XII.

Revocatio, annullatio, & caſſatio duarum Epiſtolarum Paſtoralium bon. mem. Franciſci, Epiſcopi Pekinen. nuper defuncti, die vi. Julii & die xxiij. Decemb. MDCCXXXIII. circa Ritus Sinenſes editarum.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apoſtolicæ ſollicitudinis Nobis divinitus commiſſæ ratio Nos admonet, ut ea, quæ Chriſtianæ Religioni, Catholicæque Fidei propagationi, ac incrementis quacumque ratione obſiſtere poſſe dignoſcuntur, quantam Nobis ex alto conceditur, recidere, ac è medio tollere ſtudeamus. Cum itaque, ſicut ad Apoſtolatûs noſtri notitiam pervenit, occaſione binarum Epiſtolarum, quas Paſtorales vocant, bon. mem. Franciſci, dum viveret, Epiſcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6. Julii, & 23. Decembris anni 1733. circa Ritus Sinenſes editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortæ ſaerint diſſenſiones, quæ uberes fructus, quos Sancta Mater Eccleſia ex aſſiduo Operariorum in illam Agri Dominici partem miſſorum labore præſtolatur, impedire, aut morari poſſent; Nos, ut priſtina inter eos Miſſionarios pax, & animorum concordia, ſublatis quibuſvis diſſidiis, reſtituatur, de opportuno in præmiſſis remedio providere volentes, ac Epiſtolarum prædictarum tenores, & alia quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactè ſpecificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, qui juſſu noſtro Epiſtolas ipſas ſedulò ac diligenter examinârunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ potestatis plenitudine binas memorati Franciſci Epiſcopi Pekinen. Epiſtolas Paſtorales præfatas, ac pœnas, & alia quæcumque in eis contenta, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, & irrita; nullíuſque prorſus roboris, & momenti eſſe, & perpetuò fore, tenore præſentium declaramus: & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus, illa omnia & ſingula motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie itidem perpetuò revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & ubolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper haberi volumus: Nobis inſuper, & Apoſtolicæ Sedi reſervantes facultatem Chriſtifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi noſtram, & dictæ Sedis mentem poſt maturam itidem habitam deliberationem ſuper aliis rebus, quæ hujuſmodi materiam reſpiciunt: Decernentes ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, præſertim verò Archiepiſcopis, Epiſcopis, Vicariis, Pro-Vicariis, & Miſſionariis Apoſtolicis tam Secularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, Regularibus in ſupradicto Sinarum Regno nunc, & pro tempore exiſtentibus, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autharitate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem

præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Septembris MDCCXXXV. *Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.*

F. Card. Oliverius.

Id verò, quod idem Pontifex Clemens XII. ſibi, ac Sanctæ Sedi Chriſtianis Sinenſibus declarandum reſervavit, erat profectò materia Permiſſionum, de quibus certior jam factus fuerat, deque maximâ inde ſecutâ inter Miſſionarios diſſenſione, cum alii contenderent, Conſtitutionem: *Ex illa die* omnem vim ſuam amittere, ſi Permiſſiones illæ in praxi conſiſtant; alii verò factis palam oſtenderent, Permiſſionum colore ſe ad prædictæ Conſtitutiunis obſervantiam minimè teneri, juxta illa, quæ in ipſa Conſtitutione præſcribuntur. Itaque præſatus Prædeceſſor noſter, quò Chriſtianæ Religionis puritatem, quæ in iis Regionibus per exactam prænemoratæ Conſtitutionis obſervantiam ſervanda erat, aſſereret, & controverſiis iſtiuſmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permiſſionum negotium commiſit, ita ut à Theologis, tum etiam à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Sacræ Inquiſitioni Præpoſitis maturè ſerióque diſcuteretur. Antequam verò ſupremam de illis ſententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes, & ſingulos, quotquot in Urbe exiſterent, Sinarum Miſſionarios, tum etiam complures Juvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, & Chriſtianæ rei addiſcendæ causâ, venerant, ad examen ſuper his, ſervato juris ordine, vocari juſſit.

Nos igitur Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inſiſtentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incenſi, ut tanti momenti opus, quod ipſe morte præoccupatus abſolvere minimè potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permiſſiones illas, & quidem ſingulas, coram Nobis ſummo ſtudio, ac diligentiâ examinari curavimus; neque laborem noſtrum tantùm, ſed Cardinalium quoque, & Sacræ Inquiſitiunis Conſultorum doctrinam & conſilium exquiſivimus, ac tandem ſatis apertè compertum habemus, antedictas Permiſſiones nunquam à Sancta Sede probatas, Apoſtolicæ Clementis Papæ XI. Conſtitutioni repugnare, atque adverſari, utpote quæ partim Cœremonias, Rituſque Sinenſes à prædicta Conſtitutione proſcriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipſa traditis ad vitandum ſuperſtitionis periculum opponantur. Nolentes itaque, quemquam ad Conſtitutionem ipſam ſummo Chriſtianæ Religionis damno malitiosè evertendam Permiſſionibus ejuſmodi uti, definimus, ac declaramus, præfatas Permiſſiones ita eſſe habendas, ac ſi nunquam extitiſſent, earumque praxim tamquam ſuperſtitioſam omnino damnamus & execramur. Itaque præſentis hujus noſtræ Conſtitutionis perpetuò valituræ vi revocamus, reſcindimus, abrogamus, atque omni vigore & effectu vacuas eſſe volumus omnes illas, & ſingulas Permiſſiones, eaſque ſemper uti caſſas, irritas, invalidas, & nullius prorsus roboris, aut vigoris habendas eſſe dicimus ac pronuntiamus.

Præterea cum Clemens XI. in Conſtitutione: *Ex illa die*: appoſuerit hæc verba = *Per præmiſſa nihilominus non vetari, quominus ergo defunctos peragi poſſint, ſi quæ ſint, quæ vere ſuperſtitioſa non ſint &c.* = Nos dicimus & declaramus ea verba = *Alia ſi quæ ſint* = intelligenda eſſe de uſibus, & Cœremoniis diverſis ab illis, quas idem Pontifex Apoſtolicâ Conſtitutione jam interdixerat, & quos Nos pariter eâdem autoritate confirmamus, atque interdicimus, ne antedictis Permiſſionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus inpoſterum locus pateat.

Diſtrictè itaque prohibemus, ne quis Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apoſtolicus, aut Miſſionarius tam Sæcularis, quàm Regularis, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, aliorumque, de quibus expreſſa, & individua mentio fieri debeat, Permiſſionibus prædictis ullo pacto uti valeat ſive publicè, ſive privatim, ſive palam, ſive clam; neque audeat vel præſumat Conſtitutionis pauloante citata verba aliter, ac Nos ſupra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, motu quoque proprio, ac certa ſcientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, Conſtitutionis præſentis tenore, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & expreſsè mandamus omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Sinarum Imperio, aliiſque Regnis, & Provinciis ſive finitimis, ſive adjacentibus, nunc exiſtentibus, aut olim pro tempore futuris, ſub pœnis ſuſpenſionis à Pontificalium exercitio, & ab Eccleſiæ ingreſſu Interdicti, eorum verò Officialibus, & Vicariis in Spiri-

ritualibus Generalibus, aliiſque eorumdem Locorum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apoſtolicis, qui Epiſcopi non ſunt, tum etiam eorum Provicariis, & inſuper Miſſionariis univerſis tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ſub pœnis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, & ſuſpenſionis ab exercitio curæ animarum, tum etiam ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ abſque alia declaratione, demum excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non poſſint niſi à Nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolvi, præterquam in articulo mortis conſtituti, additâ quoad Regulares etiam vocis activæ & paſſivæ privationis pœnâ, præcipimus, & diſtrictè mandamus, ut omnia & ſingula, quæ in hac noſtra Conſtitutione continentur, exactè, integrè, abſolutè, inviolabiliter, atque immobiliter non modò ipſi obſervent, ſed etiam omni conatu, ac ſtudio ea ipſa obſervari curent à ſingulis, & univerſis, qui quoquo modo ad eorum curam, & regimen ſpectant; nec colore, causâ, occaſione, ſeu prætextu aliquo huic noſtræ Conſtitutioni ulla in parte contraire, aut adverſari audeant, vel præſumant. Præterea quoad Miſſionarios Regulares cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, ac Societatis quoque Jeſu, ſiquis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, abſolutam, inviolabilem, ſtrictamque obedientiam denegaverit iis, quæ à Nobis præſentis hujus Conſtitutionis tenore ſtatuuntur, ac præcipiuntur, eorum Superioribus tam Provincialibus, quàm Generalibus in virtute ſanctæ obedientiæ expreſsè mandamus, ut homines hujuſmodi contumaces, perditos, ac refractarios à Miſſionibus abſque ulla mora dimoveant, eoſque in Europam ſtatim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod ſi prædicti Superiores Provinciales, aut Generales huic noſtro præcepto minùs obtemperaverint, aut in eo deſides fuerint, Nos contra ipſos quoque procedere non recuſabimus, atque inter cætera mittendi aliquem ex ipſorum Ordine in earum Regionum Miſſiones privilegio, ſeu facultate eos perpetuò privabimus.

Poſtremò, ut hæc noſtra Conſtitutio in ſuo robore ſemper integra, ac firma maneat, volumus quoque, ut ad Formulam Juramenti à Clemente Papa XI. in ſua Conſtitutione præſcriptam nonnulla adjiciantur, quæ maximè neceſſaria putavimus. Idcirco omnes, qui præfatæ Conſtitutionis vigore ſub pœnis in ea contentis Iuramentum præſtare debebunt, inpoſterum ſequenti Formulâ utentur, videlicet: *Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. à Sede Apoſtolica, vel à Superioribus meis, juxta facultates eis à Sede Apoſtolica conceſſas, miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, ac Cæremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita, quæ præſentis Juramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram ejuſdem Conſtitutionis lectionem apprimè noto, plenè, & fideliter parebo, illudque exactè, abſolutè, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut à Chriſtianis Sinenſibus, quorum ſpiritualem directionem quoquo modo me habere contigerit, ſimilis obedientia eidem præſtetur. Ac inſuper, quantùm in me eſt, numquam patiar, ut Ritus, & Cæremoniæ Sinenſes in litteris Paſtoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die 4. Novembrii 1721. permiſſæ, & à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto Papa XIV. damnatæ, ab eiſdem Chriſtianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, totiès quotiès id evenerit, pœnis per prædictas Conſtitutiones impoſitis me ſubjectum agnoſco, & declaro. Ita talibus Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Confidimus igitur fore, ut Princeps Paſtorum Jeſus Chriſtus laboribus à Nobis, qui ejus vices in terris gerimus, in hoc tam viſſimo negotio diu impenſis benedicat, ut in ampliſſimis illis Regionibus Evangelica lux clarè, nitidèque effulgeat, ac præpotenti manu ſua ſic pia noſtra conſilia promoveat, ut Regionum earumdem Paſtores intelligant, planèque ſibi perſuadeant obligationem, qua ipſi teneatur vocem noſtram audire, & ſequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum ſublatum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum Decretorum obſervantiam infidelium converſio retardetur. Nam hæc à Divina Gratia ſperari potiſſimùm debet, quæ quidem ab eorum miniſterio longè non aberit, ſi Chriſtianæ Religionis veritatem impavidè prædicaverint, atque eâ puritate, quæ ipſis ab Apoſtolica hac Sancta Sede tradita eſt, parati quoque ad eam propugnandam ſanguinem effundere, exemplo Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Chriſtianæ Fidei Clariſſimorum Propugnatorum, quorum ſanguis tantum abfuit, ut Evangelii curſum interciperet, aut retar-

daret, ut potius Vineam Domini florentem magis, & fidelium animarum copiosiorem effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem, & Apostolici zeli robur concedat. Verùm ad eorum memoriam deducimus, ut, quando ad Sacras Missiones destinantur, se tamquam veros Iesu Christi discipulos cogitent, & ab eodem se missos fuisse, non ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina, non ad honores, sed ad despectiones, non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad asserendum fructum multum in patientia.

Volumus autem, ut earumdem præsentium tansumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, revocationis, rescissionis, abolitionis, cassationis, annullationis, damnationis, ac ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem quinto Idus Julii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

P. Card. Pro-Datar.

D. Card. Passionei.

VISA DE CURIA
N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

En Bullar. Bened. XIV. tom. 1. pag. 188.

Decretà de ritibus Græcorum Melchitarum Patriarchatûs Antiocheni, de jurisdictione Patriarchæ & Episcoporum ejusdem Nationis, ac de Disciplina Monastica, in unum collecta promulgat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Demandatam cœlitus humilitati Nostræ omnium Ecclesiarum curam subeuntes, sub ipsum initium Pontificatûs Nostri per encyclicas litteras datas die 3. Decembris anni 1740. ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos per universum terrarum Orbem regentes Ecclesiam Dei, inter cæteros animi nostri sensus, quos illis manifestos esse voluimus, eosdem etiam omnes hortati sumus, ut, si quibuscumque in rebus, ad Catholicæ Fidei, disciplinæque conservationem, & incrementum pertinentibus, Nostram, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem, & opem sibi, suisque Ecclesiis necessariam esse contingeret, de iis ad Nos cum omni fiducia referre non dubitarent, atque omnibus illis adjumenta polliciti sumus, quæ ab Apostolica suprema Potestate Nobis concredita, & ab ea sollicitudine, quæ nostrum Pastorale decet officium, inferiorum Ecclesiarum Prælatis afferri maximè convenit. Hæc autem à Nobis universo Episcoporum cœtui publicè promissa cum semper hucusque omni cura, & vigilantia, in mediis etiam difficillimorum temporum perturbationibus, Domino vires subministrante, effectu complere studuerimus, atque iis omnibus, qui hortationibus Nostris excitati, de suis suarumque Ecclesiarum rebus ad Nos adierunt, ea omnia præstiterimus, quæ tum ad propriam ipsorum, tum ad animarum ipsis subditarum incolumitatem, atque utilitatem conducere judicavimus; Minimè quidem negligendum esse censuimus recursum, quem de rebus non parvi momenti, & aliàs ad fel. record. Prædecessores Nostros Benedictum XIII., & Clementem XII. & nuper ad Nos ipsos habuerat Ven. Frater Cyrillus Patriarcha Antiochenus, qui, ardenti zelo erga Fidei, & disciplinæ puritatem, atque animarum salutem impulsus, pro quo etiam illustres labores exantlâsse, & magna pericula adjisse dignoscitur, complura dubia in suæ, aliarumque


image
not
available

gnam insuper severitatem, ac diuturnitatem abstinentiarum, quæ in Ecclesia Græca observantur; ubi nimirum præter jejunium Quadragesimæ, quod in tota Ecclesia Paschalibus Resurrectionis Domini Festis Apostolica institutione præmittitur, similia etiam Quadraginta dierum abstinentia Natalitiæ Christi solemnitati præcedit; tum alia quatuordecim dierum ante Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis observatur; & alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, totidem dies complectens, quot à Feria secunda post Octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt: Perpendens etiam relaxationem disciplinæ, quæ per Euthymii decreta jam apud illas Gentes invaluerat, difficilè posse ad veterem rigorem revocari: super tribus hujusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quoad omnes Incolas Pagorum Montanorum perpetuò dispensans, eas coarctaverit singulas ad unum diem immediatè præcedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Martyrium Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Nos hujusmodi innovationem, & abstinentiarum relaxationem, & coarctationem in nimium detrimentum veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresè revocamus, & nullum effectum inposterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere, jubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatûs Antiocheni laudabilem consuetudinem à Majoribus derivatam abstinendi etiam qualibet Feria quarta, & sexta per annum ab esu piscium, quæ ab aliis quoque finitimis Populis ejusdem Græci Ritus exactè custoditur, indistinctè servari præcipimus.

Et nihilominus Decreta Congregationis Particularis de Propaganda Fide alias die 22. Januarii anni 1732. de ejusmodi rebus edita, & à prædicto Patriarcha, ut asseritur, ignorata, renovantes, ac Paterno animo commiserantes egestatem fidelium Incolarum Libani, & Anti-Libani, & inopiam ciborum Quadragesimalium, quæ in plerisque locis illius tractûs adesse fertur, ob quam sæpe accidit, ut carnibus, & lacticiniis necessariò vesci debeant, indulgendo statuimus, &, illæsa remanente etiam quoad illos generali lege de jejuniis, & abstinentiis, à qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, si tamen aliquando vera, & gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo cœtu, seu Communitate, facultatem concedimus Ven. Fratri Patriarchæ Antiocheno, ut in singulos tantùm annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit, & non aliter, nec alio modo, hujusmodi dispensationem singulis præfatis Communitatibus concedere possit. Non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum Rituum neglectui, & oblivioni sensim irrepenti occurri posse pro suo arbitrio, & prudentia existimaverit.

Simili modo nullam innovationem fieri debere decrevimus in eo, quod respicit celebrationem Sacrosancti Missæ Sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet Altari offerri, veterum Sanctorum Ecclesiæ Græcæ Patrum præcepto, & consuetudine traditum est; propterea que minimè indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham Nobis porrectæ, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, & multiplicibus Fidelium Oblationibus, prædictum Ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus, & in Ecclesiis Libani, & Anti Libani plurea Missaa eodem die super eodem Altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas; ac præterea in Feriis Quadragesimæ (quo tempore, exceptis diebus Sabbati, & Dominicæ, nonnisi Præsanctificatorum Missa in Græcis Ecclesiis celebratur) integrum Sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiæ Græcæ Rubricas omnino servari, earumque executionem Sacerdotibus inculcari mandamus; eliminatâ tamen ab opinione vulgi inepta credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, Sacerdotem utentem indumentis, & supellectilibus, quibus alius Sacerdos eodem die usus est, jejunii observantiam infringere.

Permittimus tamen, juxta Decretum latum die 31. Martii 1729. ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis, ut alia Altaria in loco Ecclesiæ apto erigi possint. Si autem Altarium numerus Celebrantium, & Offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem Altari unà cum Episcopo, vel alio Sacerdote Sacrificium peragente, concelebrare; ita tamen, ut sacris vestibus more Celebrantium induti, unusquisque totam Liturgiam integrè recitet, & verba Consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent.

Hujusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licitè valeant applica-

plicare. Quod ſi ſecunda, & ulteriores oblationes pro ejuſdem Sacrificii applicatione ſuperaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, ſemper teneatur monere Fideles poſteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; & niſi iidem Offerentes unica Miſſæ celebratione ſe voti compotes fore declarent, ſciat ſe unico Sacrificio plurium voluntati minimè ſatisfacturum. Eorum verò mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, nunquam à Sacerdotibus impletam iri declaramus per ſolam adjectionem Particularum, & commemorationem, quæ in Panis præparatione antè Miſſæ Sacrificium fieri ſolet: cum omnino neceſſaria ſit integra conſecratio, niſi de eorumdem Offerentium voluntate aliter fiat.

Ut autem à Sacerdotibus Græco-Melchitis in Sacris Myſteriis peragendis una, & eadem cœremoniarum ratio, iidemque Ritus ſerventur, & ne aliqua ſenſim in iiſdem obrepat diſformitas, mandavimus typis Congregationis de Propaganda Fide imprimi Miſſale ad uſum illorum Eccleſiæ juxta Rubricas remotiſſima antiquitate firmatas; quod, abſoluta editione ſacrorum Librorum Ritus Coptici, qui ſub prælo ſunt, inceſſanter impleri curabimus.

Quod verò attinet ad prædictorum Venerabilium Fratrum, Patriarchæ Antiocheni, & Epiſcoporum Græco-Melchitarum Juriſdictionem, cujus conſervatio magnopere Nobis cordi eſſe debet, non ſine magno animi noſtri dolore accepimus, nonnullos Epiſcopos Maronitas prædictorum jura ſibi aſſerentes in illorum ſubditos Juriſdictionem ſibi neutiquam competentem ſæpe, ut aſſeritur, exercuiſſe, abſolvendo eos, qui Eccleſiaſticis Cenſuris à propriis Paſtoribus innodati fuerant; diſpenſationes Matrimoniales concedendo in gradibus, & circumſtantiis à Ritibus Græcis minimè permiſſis; diſpenſando etiam cum Monachis Græco-Melchitis ſuper Votis Religionis; ſubditos denique Antiocheni Patriarchæ ad Maroniticum Ritum amplectendum variis artibus attrahendo. Quæ omnia, & ſingula à dictis Epiſcopis, ut fertur, peracta, jam per ſe nulla, & Pontificio, Canonicoque jure damnata, ne, in alienæ Juriſdictionis perturbationem, & ſimultatum, ac diſcordiarum fomentum, iterum renovari contingat, ſuprema, quam Jeſus Chriſtus Princeps Paſtorum Beato Petro Apoſtolo, Nobiſque hujus Succeſſoribus, in Eccleſia Catholica tribuit poteſtate, omnibus, & ſingulis Maronitarum Epiſcopis, ipſique Patriarchæ Nationis Maronitarum, eorumque Succeſſoribus in perpetuum, in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus Nobis expoſita veritate nitantur, præcipimus, ut ab hujuſmodi impoſterum abſtineant; inhibentes præterea, ne quocumque prætextu, aut obtentu rebus ſpiritualibus Nationis Græco-Melchitarum in iis, quæ ſpectant ad juriſdictionem, & auctoritatem illius Patriarchæ, Epiſcoporum, & Parochorum, ſe ingerere audeant, aut eorum ſubditis tranſitum à Græco ad Maroniticum Ritum ſuadere, vel eos, qui ſponte tranſire vellent, niſi fortè peculiaris à Romano Pontifice licentia interveniret, acceptare præſumant.

Et quoniam intelleximus ſæpedictum Patriarcham Antiochenum, eique ſubjectos Epiſcopos, vereri, ne Miſſionarii Latini, quos in eorumdem adjutorium, & levamen Apoſtolica Sedes in eas regiones mittere, nec ſine gravi incommodo, magniſque ſumptibus illic ſubſtentare conſuevit, utendo facultatibus ſibi conceſſis, eorum juriſdictioni præjudicium inferant, & numerum ſubditorum imminuant; volentes etiam in hac parte eorumdem indemnitati conſulere, ac libero propriæ auctoritatis exercitio proſpicere, ſtatuimus primò, & declaramus, licere tantummodo Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Cuſtodiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eiſque Sacramenta adminiſtrare in iis locorum, & temporum circumſtantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antiſtitem Græci Ritûs: Quo caſu prædicti Fratres emolumenta legitimo jure debita percipere licitè valeant, & à juriſdictione Antiocheni Patriarchæ nullatenus ipſi dependeant; ſed huic dumtaxat petenti teneantur ſingulis annis notulam tradere Animarum Græci Ritûs in ea Civitate, ſeu loco exiſtentium, utpote quæ in reliquis eidem Patriarchæ omnino ſubeſſe intelligantur. Curet autem Patriarcha pro ſui muneris implemento, ut ubicumque opus fuerit, Catholici Parochi copia ſuppetat, à quo præfati Græci-Melchitæ Sacramenta Græco Ritu recipere queant.

Sacramentum verò Confirmationis à Patre Guardiano Terræ Sanctæ in Civitate Hieroſolymitana, & in iis locis, ubi Epiſcopus Græcus Catholicus jure ſuo, & in propria Diœceſi non reſideat, conferri poſſit *ſub conditione* Græcis à ſimplici Sacerdote confirmatis, ac ſponte ab eodem confirmari petentibus. Ubi verò ſit Epiſcopus Catholicus reſidens, hujuſmodi Sacramentum non conferat, niſi de ejuſdem Epiſcopi conſenſu; eo autem diſſentiente, abſtineat.

Præterea omnibus, & ſingulis Melchitis Catholicis Græcum Ritum ſervantibus ad Latinum Ritum tranſire deinceps expreſsè vetamus. Miſſionariis verò omnibus di-

ſtrictè

ſtrictè mandamus, ſub pœnis etiam infra exprimendis, aliiſque arbitrio Noſtro decernendis, ne cuiquam ex illis hujuſmodi tranſitum à Græco ad Latinum Ritum ſuadere præſumant, aut etiam cupientibus, inconſulta Apoſtolica Sede, permittant.

De iis autem, quos *Latinizantes* appellant, nimirum, qui à Græcis Parentibus progeniti, deficientibus Græcis Sacerdotibus, Latino Ritu à Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque Ritum hactenus tenuerunt; quorum magnus numerus Damaſci inveniri perhibetur, neque ſatis hucuſque definitum ſuit, cui potiſſimùm Ritui addicti eſſe deberent, ſtatuimus, & declaramus, ut coram Perſona à Nobis deputanda ſemel profiteri debeant, in quo Ritu vivere malint; in eoque inpoſterùm, omni variandi facultate adempta, perſeverare teneantur.

Filii verò, qui ab hujuſmodi Parentibus poſt emiſſam ab illis prædictam declarationem naſcentur, necnon ii, qui jam nati ſunt, ſed nondum ad uſum rationis pervenerunt, ſequantur conditionem Parentum, ſi Conjuges unum eumdemque Ritum elegerint; ſin minùs, Patris Ritum ſequantur.

Cæterùm ſi quos imposterùm Græcos neceſſitate cogente ob defectum Parochi Catholici Ritûs Græci, Bsptiſmum, aut alia Sacramenta à Latino Presbytero recipere eveniat, illi non ideo cenſendi erunt Latinum Ritum ſuſcepiſſe; ſed, omni dubitatione ſublata, Ritum Græcum, in quo orti ſunt, obſervare teneantur. Et eum quidem, durante prædicta neceſſitate, in omnibus rebus, quibus poſſunt, & præcipuè in jejuniorum obſervatione, retineant; in reliquis verò integrè reſumant, & proſequantur, ſtatim ac Epiſcopus, aut Parochus Græcus ſupervenerit.

Ad præcidendas denique controverſias omnes, quæ ſuper hujuſmodi quæſtionibus oriri ſolent, etiam inter ipſos Miſſionarios, propter diverſas eorum ſententias, atque doctrinas, atque omnis contentio inter Fideles inde promanans penitus extinguatur, expreſsè præcipimus Miſſionariis cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ut ſolliciti ſint ſuper his omnibus ſervare unitatem ſpiritûs, & doctrinæ; quod quidem noſtris hiſce Decretis, aliiſque de Ritibus Græcorum in partibus Orientalibus obſervandis aliàs à Sede Apoſtolica editis, fideliter obtemperantes, facilè conſequentur. Curent præterea, ut omnia laudabilia Eccleſiæ Græcæ Inſtituta ab antiqua Patrum traditione derivata, & Apoſtolica comprobatione firmata, in ſuo vigore permaneant, atque à Fidelibus iſtius Nationis integrè executioni tradantur; neque aliquid iiſdem ſuggerere, aut ſuadere audeant, quod illorum contemptum, aut imminutionem inducere poſſit; multòque minus auctoritate propria aliquid circa illa innovare, aut etiam ſuper iiſdem ullam diſpenſationem concedere, vel admittere præſumant. Alioquin præter diſtrictam, quam Deo, Nobis, ſuiſque Superioribus (quos de urgenda hujus Decreti obſervantia peculiariter oneramus) rationem reddent, ſciant ſe harum litterarum vigore privationem vocis activæ & paſſivæ, & inhabilitationem ad quemcumque gradum, & officium in ſuis reſpectivè Ordinibus, Inſtitutis, & Congregationibus, ipſo facto incurſuros.

Demum quod attinet ad Regularem Monachorum diſciplinam, decernimus, ut Monachi utriuſque Congregationis ſub invocatione reſpectivè Sanctiſſimi Salvatoris, & Sancti Joannis, obſervent Regulam genuinam Sancti Baſilii, eis tradendam à Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpoſitis: abſtineantque ab eſu carnium in ſenſu prædictæ Regulæ. Utriuſque autem ſupradictæ Congregationis, ſive alterius cujuſcumque Inſtituti Monachos immediatè ſubeſſe jubemus Epiſcopis Ordinariis Catholicis, & mediatè Patriarchæ pariter Catholico. At in Diœceſibus, in quibus non eſt Catholicus Antiſtes, Patriarchæ Catholico immediate ſubjaceant.

Nullius verò generis Libros, aut folia ſine prævia approbatione, & licentia Epiſcopi Diœceſani, & Patriarchæ prædictorum edere poſſint; atque inſuper nullum de rebus ſacris Librum, aut ſolium publici juris faciant, inconſulta Sede Apoſtolica. Quod ſi novas Librorum ſacrorum ab eadem Sancta Sede jam probatorum Editiones fieri contingat, munus erit Patriarchæ, & Epiſcoporum Catholicorum inſpicere, ne ulla in re diſcordent ab Editionibus approbatis.

Monaſterium porro Monialium in Keſruano erectum à Græco-Melchitis, pro Puellis ſuæ Nationis, & Ritûs, ante omnia declaramus eidem Græco-Melchitarum Nationi jure proprietatis acquiſitum eſſe; ita ut Puellæ alterius cujuſcumque Ritûs, & Nationis nullatenus quacumque de cauſa in eodem deinceps admitti poſſint; ſublata cuicumque, etiam Patriarchæ, atque Epiſcopis, ſuper hoc diſpenſandi facultate. Inſuper ptędictum Monaſterium, & Moniales, ſub protectione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Congregationis de Propaganda Fide recipimus; Illius verò, ſeu illarum regimen, tum ſpirituale, tum temporale ad Monachos Congregationis Sancti Joannis de Soairo ſpectare de-

decernimus, cum immediata ſubjectione Epiſcopo Ordinario, & mediata Patriarchæ Græco-Melchitarum Antiocheno: qui etiam immediatam ſuper eo, & illis auctoritatem acquirere debeat, quotieſcumque futuris temporibus non adeſſet Epiſcopus Orthodoxus illius Sedis: Quatenus verò (quod Deus avertat) neuter eſſet Catholicus, per id tantùm temporis, & donec alteruter Catholicus ſupervenerit, prædictum Monaſterium immediatè ſubjaceat Abbati Generali præfatæ Congregationis Sancti Joannis, tanquam Delegato Sedis Apoſtolicæ.

Conſeſſarius Ordinarius Monialium prædicti Monaſterii ſit Monachus profeſſus dictæ Congregationis Sancti Joannis, quem ſcientiæ, pietatis, ac prudentiæ commendatione ab ipſius Abbate Generali delectum, & præſentatum, Epiſcopus Digceſanus probaverit: Idemque ſtatuimus de Confeſſario extraordinario, quem idem Abbas Generalis ter in anno, & quandocumque neceſſitas urgeat, ad audiendas dictarum Monialium confeſſiones valeat deputare. Factâ inſuper prædicto Epiſcopo poteſtate, quatenus id expedire puta verit, alium quemcumque Sacerdotem Regularem, etiam alterius Inſtituti, & Ritûs Latini, vel etiam ſæcularem ejuſdem Ritûs, in Confeſſarium extraordinarium dictis Monialibus deputandi.

Non aliam verò Regulam à prædictis Monialibus ſervandam ſtatuimus, quàm genuinam illam Sancti Baſilii, quam Monachis tradendam ſuprà ſignificavimus. Cui quidem Regulæ ſi tam ſupradicti Monachi, quàm mox enunciatæ Moniales, aliquas peculiares Conſtitutiones addere velint, quæ nec ejuſdem Regulæ obſervantiæ, neque Græcis Ritibus adverſentur, eas ad Congregationem de Propaganda Fide priùs cognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas, Nobiſque auctoritate Apoſtolica confirmandas exhibere teneantur.

In omnibus hiſce Decretis, Venerabiles Fratres, quæ prævio maturo examine, ut ſupra diximus, auditoque conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aliorumque præſtantium integritate, ac doctrina Virorum, ſtatuenda, edenda, ac Vobis denuncianda eſſe judicavimus, minimè dubitamus, quin agnoſcatis, nihil aliud Nobis propoſitum fuiſſe, quàm ut & Venerabiles Eccleſiæ Græcæ Ritus, ac mores in ſuo vigore perſiſtant, & debita Vobis à Populis obedientia, veſtraq; ſimul in eos auctoritas & Juriſdictio ſarta tecta. Quorum utrumque ex una, eademque animi, ac judicii æquabilitate proficiſcitur, per quam & varias Eccleſiarum Inſtitutiones, & conſuetudines juſta æſtimatione penſantes, unum illud ad animarum ſalutem omnino neceſſarium in votis habemus, ut ſcilicet omnes, qui ubique Terrarum Catholico cenſentur nomine, unico Fidei, atque unitatis vinculo teneantur, & ſupremam hujus Sanctæ Sedis auctoritatem, qua ſuper alias Divina inſtitutione præminet, ad promovendam omnium Eccleſiarum utilitatem ſolummodo interponentes, de cætero Fraternitatibus Veſtris intacta manere volumus jura omnia, ac privilegia, & liberum juriſdictionis veſtræ exercitium, ad regendas Oves veſtræ fidei commiſſas, eaſque per ſemitas mandatorum Dei ad ſalutis æternæ metam, adjuvante Divina Gratia, dirigendas. Hinc eſt, quod & hujuſmodi Decreta libenter à Vobis, & cum debita devotione, atque obſervantia ſuſcipienda, & ampleſtenda fore confidimus. Et nihilominus auctoritate Noſtra Vobis mandamus, atque præcipimus, ut ea omnia, & ſingula ſervetis, & ab aliis, ad quos attinet, executioni mandari, atque exactiſſimè obſervari curetis. Et Apoſtolicam Benedictionem Fraternitatibus veſtris ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXIV. Decembris MDCCXLIII. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Ex Bull. hujus Pontif. tomo 1. pag. 290.

Inſtructio Paſtoralis prima ſuper nonnullis dubiis circa Cophtorum ritum ad Vicarium generalem, Præfectum, alioſque Miſſionis Cophtæ Miſſionarios directa.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EO quamvis tempore, quo pro demandato Nobis Apoſtolicæ ſervitutis onere tot tantiſque curis circumdamur, ut penè obruamur, delata ad Nos fuerint nonnulla Poſtulata à Religioſo Viro Jacobo à Cremiſir, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, & Miſſionum Apoſtolicarum in Ægypto Præfecto, Nihilominus in eo, qui infirmitatem Noſtram miſericorditer regit, confidentes, operâ, ſtudiumque noſtrum ad propoſita enodanda dubia libenter adjecimus, in ſpirituale electi illius Gregis ſolatium, qui magno licèt intercedente Terrarum ſpatio à Nobis diſſitus ſit,

Paterno tamen cordi Noſtro charitate proximus efficitur. Quas ſanè Pontificiæ ſolicitudinis, & providentiæ partes cum à nemine deſiderari patiamur, qui verum Deum per veram fidem agnoſcat, peculiari ſibi illas vindicat jure Inclyta Cophtorum Natio, quæ præcipui cultûs, ac Filialis obſequii, quo Romanam Eccleſiam omnium aliarum Matrem, & Magiſtram proſequitur, non ſemel luculents, & perenni digna laude præbuit ſpecimina; Præſertim verò in Sacra Oecumenica Florentina Synodo, in qua fel: rec: Eugenio Papa IV. Prædeceſſore Noſtro expetitam diu Græcæ Latinæque Eccleſiæ Unionem promovente, veteri ejuſdem Unionis incendi deſiderio viſa eſt, palamque edoeuit, oportere membra ſub uno in Terris Capite indiviſa conſiſtere. Id ipſum quoque teſtata eſt Succeſſoribus Romanis Pontificibus Pio IV., & Gregorio XIII. omni conatu in præmiſſæ Unionis ſcopum enitentibus; Ac apertiùs etiam Clementi VIII., ad quem ſolemni, & honorificæ decreta Legatione, obſequentis animi, ac devotæ in Romanam Eccleſiam voluntatis publica exhibuit Teſtimonia.

Hanc quoque egregiam propenſionem adhærendi Romanæ Eccleſiæ planè perſpectam habuit alter Noſter Prædeceſſor Urbanus Papa VIII., qui zelo, & ſedulitate pari in id potiſſimùm incubuit, ut prædicta Eccleſiarum Unio indiſſolubili charitatis fœdere pro virili parte firmaretur. Alacriores tamen præ omnium rationum momentis ad hanc exequendam Paſtoralis Officii partem Nos effecit jampridem concepta, intimèque cordi Noſtro infixa ſpes majoris incrementi Catholicæ Religionis, & lucri Animarum, quibus erudiendis in Superiori, ac Inferiori Ægypto, & in Urbe Principe Cairo ſtrenuam, invictamque navant operam Apoſtolici Miſſionarii ex Franciſcana ut plurimum Familia adlecti, qui nullo laborum aſpectu territi, ſed induti fortitudine ex Alto, in ſumma rerum, ac temporum difficultate Nationem illam toto olim Orbe Terrarum celeberrimam, nunc verò aſſiduis ærumnis attritam, ac penè confectam, verbo vitæ informant, vigileſque laborant, ut novi in diem palmites in Vineam Domini traducantur.

Adhibitis itaque in conſilium nonnullis Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus, Dilectiſque Filiis Conſultoribus in Congregatione Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem confidentibus, exquiſitiſque, quò maturiùs deliberare poſſemus, ſi eorum etiam doctrina & prudentiâ præſtantium Virorum ſuffragiis, eorumque præſertim, quibus Orientalium mores, Ritus, & Inſtituta longo uſu & experientis eſſent cognita planèque perſpecta, privati Noſtri laboris acceſſione, ſingulorum ſententias ſcripto traditas expendimus, atque libravimus. Cum tamen ad ſingula definienda dubia impræſentiarùm quamplurima deſiderentur, idcirco hæc Apoſtolica ſcripta Miſſionariis exhibenda mandavimus, ut ea, quæ definitivo reliquorum dubiorum judicio faeem quodammodo præferre valent, ad Noſtri Apoſtolatûs auditum quamprimum deducenda curent.

Dub. I. *Cum Fideles Cophti Catholicam profitentes Religionem, à Baptiſmo Ritu Eccleſiæ Latinæ collato hoc potiſſimùm nomine abhorreant, quod Baptizatis unà ſimul non conferatur Sacramentum Confirmationis: Quæritur, an in caſu, quo Sacerdos Ritûs Cophti commodè adiri nequeat, permittendum ſit PP. Miſſionariis illico poſt Baptiſmum Confirmationem conferre?*

Dub. II. *An Parochis Ritûs Cophti, qui à Schiſmate redeunt ad Catholicæ Eccleſiæ Unitatem, tribuenda ſit facultas adminiſtrandi Catholicis Sacramenta Parochialia, quæ prius potiebantur inter Schiſmaticos; quamvis eadem adminiſtratio, nullo exiſtente Parocho Catholico, demandata ſit Patribus Miſſionariis?*

Dub. III. *An Cophtis proprio Ritu in ætate puerili ad Diaconatûs Ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum Matrimonium ætas advenerit, liceat nedum primum, ſed alterum quoque inire Matrimonium vi diſpenſationis obtentæ à Patribus Miſſionariis abſque ullo ſpeciali Indulto Apoſtolico?*

Dub. IV. *An dicti Diaconi Officium Divinum recitare teneantur?*

Quod attinet ad *primum*, planè compertum Nobis eſt, veteri more, & diſciplina invaluiſſe apud Cophtos, ut abluti Sacro Regenerationis Lavacro illico ab eodem Sacerdote poſt abſolutas Baptiſmatis Cœremonias Sacro Chriſmate liniantur, ut præ aliis teſtatur Thomas à Jeſu *in ſuo Tractatu de Converſione Gentium lib. 7. cap. 7.* De ſimultanea tamen utriuſque Sacramenti adminiſtratione non una eademque fuit agendi ratio cum Græcis apud Orientales Eccleſias reſidentibus, & illis, qui commorantur in Italia, & Inſulis eidem adjacentibus. Quemadmodum enim Græcis Ineolis Italiæ expreſsè vetita eſt adminiſtratio utriuſque Sacramenti ab eodem Miniſtro contemporanè faeienda, Ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apoſtolicæ factum eſt, ut unum, & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur; Nec defuêre idcirco Theologi, qui bujuſmodi tolerantiæ veſtem, & imaginem tacitæ Diſpenſationis obducerent.

Quo

Quo opportunè præmiſſo, aptè diſtinguenda ſunt, diverſoque jure cenſenda duo, quæ exinde profluunt, extrema: Aliud enim eſt, quod Cophti ex Indulgentia Apoſtolicæ Sedis licitam ſibi adſtruant collationem utriuſque Sacramenti, ſervato Orientalis Eccleſiæ Ritu, ab eadem Apoſtolica Sede non expreſsè vetito, ſed tolerato: Longè verò diverſum, quod tolerantiam in pejorem partem detorquentes abhorreant à Baptiſmo Ritu Latino collato, hoc potiſſimùm nomine, quod ſeorſim à Confirmatione adminiſtretur. Idcirco ſicuti lenitati, & patientiæ Sedis Apoſtolicæ conſonum videri poteſt, quod Cophti in ſuo jamdiu recepto, & ab eadem Sede tolerato uſu perſeverent, Ita ferendum non eſt, quod Baptiſmum Ritu Latino, & ſeorſim à Confirmatione collatum acerbo, alienoque animo perhorreſcant.

Præterea licèt apud Occidentales etiam Eccleſias in more poſita quandoque fuerit Baptiſmatis, & Confirmationis ſimultanea collatio, & hæc conſuetudo in aliquibus Diœceſibus anteacto tempore inoleverit, juxta exemplà relata à *Vlcecomite in Tract. de Confirmat. cap.* 14., & à *Martene de antiqu. Eccleſ. Rit. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 1.: Nihilominus abrogato prorſus à Romana Eccleſia aliarum Matre, & Magiſtra hujuſmodi more, conſultiſſimis Summorum Pontificum Decretis providè cautum eſt, ut renatis Fonte Baptiſmatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea ſolùm ætate, in qua Fideles, evacuatis, quæ erant parvuli, intelligerent, tantùm inter ſe differre Baptiſmum & Confirmationem, quantùm in naturali vita diſtat generatio ab incremento, ſeque per Baptiſmum fuiſſe quidem ad militiam receptos, per Confirmationem verò ad pugnam roboratos, & ad perferendos agones per Gratiam inſtructos. Ex quo fit, ut rigidè animadverti in eos oporteat, ſi qui fortè ſanctioris hujuſce diſciplinæ inſtituta refugerent, aut contemnerent, omnemque curam adhibendam eſſe, ut ab errore, & cæcitate, Eccleſiæ Latinæ adeo injuriosa, retrahantur.

Verùm attributâ, juxta propoſitum thema, Sacerdotibus Latinis facultate conferendi ſtatim poſt Baptiſmum, Confirmationem, tantùm abeſt, ut Orientales captivari poſſint in obſequium veritatis, ut imò animo ſemper obfirmatiore ſuæ adhærerent ſententiæ, erga quam facilem ſe, ac pronam Apoſtolica Sedes exhiberet. Præterea Hæretici, & Schiſmatici, qui improbo, pravoque ut plurimùm ingenio Catholicorum facta interpretantur, vel inconſtantiæ notam inurerent Latinis à ſuſcepta ſemel, probataque diſciplina deflectentibus; vel ſuo exemplo eos commoviſſe, & in ſuas traxiſſe partes ſuperbè dictitarent, ipſa temerè vertentes officia pietatis in elationis argumentum.

Si itaque ea ſit Nationis Copthæ conditio, ut Fideli Populo Confirmatio adminiſtrari nequeat ab Epiſcopis, quibus hujus Sacramenti adminiſtrandi ordinaria poteſtas commiſſa eſt, minimè Nos latet, eandem adminiſtrandæ Confirmationis poteſtatem ex Indulto Apoſtolico ad Sacerdotem, vel Miſſionarium pro modo neceſſitatis quandoque deferri poſſe. Hujuſmodi delegatio non nova, nec inuſitata videri debet, cum S. Gregorii Magni, aliorumque Romanorum Pontificum Noſtrorum Prædeceſſorum ſanctiſſimis innitatur exemplis. Cum enim ſæpe contigerit, Chriſtifideles Paſtoris ſolatio eſſe deſtitutos, & Epiſcopis ob diſtantiam locorum impoſſibile, vel difficile admodum fuerit Populorum neceſſitatibus præſentes fieri; in hanc partem Epiſcopalis Miniſterii vocati ſunt Sacerdotes, dummodo utcrentur Chriſmate ab Epiſcopo ritè benedicto, & conſecrato: Ne aliàs contingeret, Fideles rem ſanctitatis plenam cunctando negligere, vel decedere ſine hoc Sacramento divinis muneribus cumulato, & ad noſtram ſanctificationem inſtituto.

Apoſtolici igitur Miſſionarii, non ſuæ authoritatis incremento, ſed lucro tantùm Animarum inhiantes, qua par eſt, ſedulitate, & diligentia inquirant, an Catholico Gregi, ſuper quo vigilias cuſtodiunt, deſit præſentia Paſtoris? an difficilis, vel impoſſibilis ſit frequens illius acceſſus? an fidelis Populus in caſu neceſſitatis verſetur? & an demum circumſtantiæ in unum collectæ, præmiſſis conſonent exemplis, ac parem expoſcant providentiam? Integra porro, ſinceraque fide ea omnia quamprimum renuncient Sanctæ Sedi, ut re tota ſedulò cognita, intimèque perſpecta, deliberare poſſit, an, & cui potiſſimùm Presbytero, tamquam Miniſtro extraordinario, tribuenda ſit hæc authoritas confirmandi, & Epiſcopale hoc munus obeundi.

Ipſi interim Miſſionarii, quibus datum eſt exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere, ſatagant, ut fidelis Populus ab errore ad veritatem, ab odio ad obſequium erga Baptiſmum Eccleſiæ Latinæ reducatur, utque Gens illa tandem agnoſcat, pia ſanctaque ordinatione fuiſſe diſpoſitum, ut ſeorſim à Baptiſmate conferretur Sacramentum Confirmationis iis, qui in provectiori eſſent ætate, & ad percipiendam virtutem Sacramenti accommodata.

Hæc quoad primum Dubium. Quò verò ad ſecundum, licèt in ſui primordio Catholica Eccleſia hæreſim ejurantibus non ſemel oſtenderit dura, ut eos potaret vino compunctionis, ideoque promotos ad Sacros

Ordines ſolius Laicæ Communionis participes voluerit, ab hac tamen ſeveritate judicii ſucceſſivis temporibus temperatum eſt, & ipſi Nicenæ Synodi Patres *Canone* 8. ultro conſenſêre, quod Novatiani in Sacris Ordinibus conſtituti, ab errore in ſemitam veritatis reduces, nedum permanerent in Ordine Clericali, ſed etiam obtentarum Dignitatum honore (providis tamen adjectis legibus) fruerentur. Hanc quoque piæ Matris Eccleſiæ lenitatem in amplexum Filiorum occurrentis, experti ſunt Donatiſtæ: Siquidem Catholici Præſules, qui gemino adſtipulahte Edicto Marcellini Proconſulis eos pro agenda Religionis cauſa advocaverant in illum Conventum Eccleſiaſticis monumentis tantopere celebratum, quò faciliùs ad veræ Fidei cultum, & unitatem allicerent, retentionem gradûs Epiſcopalis antea adepti, veluti quoddam conciliandæ pacis præliminare, illis conſultò obtulêre.

Præclara hæc lenitatis argumenta attento Nobiſcum animo repetentes, æquum viſum eſt, ut Parochi Ritûs Cophti, validè tamen ac ritè ordinati, qui ex atra errorum, in quibus verſabantur, caligine, in lucem Catholicæ veritatis emergunt, capaces ſint etiam inter Catholicos Adminiſtrationis Sacramentorum Parochialium, quâ priùs in Schiſmate potiebantur, quamvis hæc ipſa ſpiritualis authoritas, nullo exiſtente Parocho Catholico, tributa etiam ſit PP. Miſſionariis, & ab illis exerceatur. Hanc autem capacitatem, quæ ſingulis ineſt, ita temperandam eſſe decernimus, ut non omnes indiſtinctè hoc Paſtorale munus ſibi aſſumant, ſed ii tantùm, quos Vicarius Generalis Dominico Gregi præfecerit, qui pietate, caſtis moribus conſpicui ſint, qui bonorum exemplo præluceant, & in quorum reditu ad Eccleſiam nihil fictum, aut ſimulatum, ſed certum ſinceræ Converſionis indicium deprehendatur. Præterea qui à Vicario Generali inter alios præelecti fuerint, abſtineant ab exercitio dictæ Authoritatis, quouſque non reportaverint neceſſariam in utroque foro abſolutionem, rehabilitationem, nec non diſpenſationem ab Irregularitate, Cenſuris, & pœnis, lapſis in Hæreſim canonicè inflictis. Ritu præterea Catholico adminiſtrent Sacramenta. Nullum eiſdem cum Schiſmaticis in Divinis ſit conſortium, ex quo hæreſis, pravæque mentis ſuſpicio ſuboriatur: Sed interjecto cum Schiſmaticis pariete, corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, præcepta Matris Eccleſiæ, quæ denuo eos in Chriſto genuit, intemerate cuſtodiant.

Ex hac porrò indulgentia uberem in dies ſpiritualium gaudiorum meſſem expectamus, lucrum ſcilicet Animarum ad gremium Eccleſiæ redeuntium: Probè enim intelligent, Nos Paſtoris Jeſu Chriſti vicem in Terris tenentes, tantum quærere, & ſalvum velle, quod perierat, Oveſque inventas non virgâ timoris, ſed officio charitatis ad Ovile congregare.

Nec conqueri jure poterunt Miſſionarii ſuam authoritatem hoc pacto videri imminutam, ſi oportunè in memoriam revocaverint, quæ ab eorum Patre, & Inſtitutore S. Franciſco in ſuo Teſtamento ſcripta leguntur: *Et ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes in Parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem prædicare.* Cui ſententiæ conſona ſunt documenta S. Bonaventuræ in ſuo Tractatu: *Quare Fratres Minores prædicent: Temperatiſſimè*, inquit Sanctus Doctor, *diſpoſuit divina Sapientia, & inſtituit Sedes Apoſtolica, ut per Ordines prænotatos in prædicatione, & confeſſione defectus Cleri ſuppleatur, & Animæ ſalventur, & nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus Jus Clericorum aliquatenus minuatur.* Parique cenſura in ſimili negocio, cum Græcis Melchitis nuperrimè diſcuſſo, à Nobis definitum eſt: *Licere tantùm Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Cuſtodiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eiſque Sacramenta adminiſtrare in iis locorum, & temporum circumſtantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antiſtitem Græci Ritûs.*

Neque etiam perperam timeant Miſſionarii ſibi in Vinea Domini tanquam Operariis tota die otioſis, & à bono opere torpentibus nullam, & exiguam occaſionem impendendi laboris eſſe relictam. Prædicandum eſt ab illis ſanctum Chriſti Evangelium, & docenda Myſteria Chriſtiano Homini neceſſaria ad æternam ſalutem; explicanda vitia, quæ declinare, virtutes, quas ſequi oporteat; adhibenda medela fauciatis per Sacramentum Pœnitentiæ; Tum alia quoque adminiſtranda ſunt Sacramenta in ſubſidium Presbyterorum Ritûs Cophti; nihil demum derelinquendum eſt, quod ad Animarum ſalutem, & Religionis incrementum pertinere poſſit. Potiſſima tamen ſolicitudo conferenda eſt, ut Sacerdotes Cophti à Fidei unitate, rectâque ſemitâ declinantes, errorisque depulſa caligine ad unionem, & amplexum Catholicæ Eccleſiæ revocentur, eorumque numerus augeatur; hoc enim pacto Vinea Domini Sabaoth refloreſcet, optatumque fructum ſalutis, benedicente Domino, dabit in tempore ſuo.

Ad tertium, & quartum Dubium gradientes, pro faciliori & accuratiori illorum examine juvat præmittere, verificari practicè,

cè, & in concreto apud Cophtos, quod in abſtracto, & pro ſuo ingenio diſputant inter ſe Latini Theologi, & Canoniſtæ de Ordine ſacro, Infanti ante rationis uſum, vel ante pubertatem collato. Præmaturam hujuſmodi Ordinationem apud Cophtos veteri uſu, & diſciplina invaluiſſe teſtatur P. Thomas a Jeſu *dicto Oper. de Conver. f. Gent. lib. 7. p. 361.*: *Conferuntur*, inquit, *Ordines, excepto Preſbyteratu, omni ætati, etiam immediatè poſt Baptiſmum Parvulis, ſimulque dantur Tonſura, & quatuor Gradus, & Diaconatus, & Subdiaconatus; nec hiſce conferendis interſtitia, vel tempora particularia determinata ſunt. Ubi Sacros Ordines recipiunt, caſtitatem, & abſtinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurii, & Veneris, & tempore Adventûs, & Quadrageſimæ &c. Inſuper etiam Quadrageſimis Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis. Quando autem Infantulis, aut Pueris Sacri Ordines conferuntur, pro eis ſpondent, & hæc vota obſervant ipſorum Parentes, donec decimum ſextum ætatis annum, aut circiter exegerint.*

Hanc quoque vigentem inter Cophtos conſuetudinem aſſumendi ad Ordinem Diaconatûs conſtitutos in ætate infantili, confirmat ſuo teſtimonio Carolus Franciſcus à Breno *in Manuali Miſſion. Oriental. tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 5.*; idemque uſus evincitur ex litteris P. Bernat Miſſionarii Societatis Jeſu, datis Anno 1706. Cairo ad P. Solerium magni nominis, probatæque doctrinæ Bollandiſtam; memoratis in iiſdem litteris *Cophtorum*, ſeu *Jacobitarum* moribus, & inſtitutis, advertit, Diaconos promotos in ætate ſex, vel ſeptem Annorum in immenſum excreviſſe numerum, cæteroquin neceſſarium, ne Eccleſia debitis fraudetur obſequiis; neve Divina Myſteria abſque decenti Miniſtrorum cultu, & frequentia celebrentur; quemadmodum videre eſt *in continuatione Bollandi tom. 5. Menſ. Jun. pag.* 132.

Nemo adeo rudis eſt, qui ignoret in Eccleſia Occidentali diverſos Ordines, & Miniſtrorum Gradus fuiſſe inſtitutos, & in ſua ritè tempora diſpoſitos. Primâ etenim Tonſurâ initiandi ſunt prædicti uſu rationis, qui in ſeptimo ætatis Anno præſumitur. Minoribus verò Ordinibus licèt determinata ætas à Sacris Canonibus præſtituta non ſit, adhuc à ſeptimo ad decimum quartum annum conferri ſolent, concurrentibus tamen in Ordinando qualitatibus deſideratis à Tridentino *ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 5. & 11.* Porro ejuſdem Tridentinæ Synodi lege cautum eſt, ad Subdiaconatum ætatem vigeſimi ſecundi anni, ad Diaconatum vigeſimi tertii, ad Presbyteratum vigeſimi quinti, ad Epiſcopatum trigeſimi eſſe neceſſariam; eo tantùm inter Sacros Ordines & Epiſcopatum recurrente diſcrimine, quod pro Sacris Ordinibus ſatis ſit unius, vel alterius reſpectivè Anni inchoatio, pro Epiſcopatu verò complementum trigeſimi anni requiratur. Si tamen in hujuſmodi providè inſtitutarum Legum contemptum contingeret fortaſſe ab Epiſcopo legitima authoritate ſuffulto non ſolùm Minores, ſed etiam Sacros Ordines Infanti conferri, concordi Theologorum, & Canoniſtarum ſuffragio definitum eſt, *validam*, ſed *illicitam* cenſeri hanc Ordinationem, dummodo nullo laboret ſubſtantiali defectu materiæ, formæ, & intentionis in Epiſcopo Ordinante; non attentâ contrariâ ſententiâ, quæ raros habet aſſeclas, & quæ ſupremis Tribunalibus, & Congregationibus Urbis numquam arriſit.

Æquè tamen certum, & exploratum eſt, per hanc Ordinum collationem non ſubjici Promotos obligationi ſervandæ Caſtitatis, nec aliis oneribus ab Eccleſia impoſitis; cum electio ſtatûs à libera cujuſque pendeat voluntate, & Altiſſimo noſtra, non autem aliena vota reddere teneamur. Obſolevit enim vetus illa Eccleſiæ Diſciplina, quæ coactè, aut per vim Promotos ad Sacerdotium, & Epiſcopatum duro ſubjiciebat jugo ſervitutis, & obſervationis onerum, & legum cuicumque Ordini impoſitarum, ſpretâ quavis proteſtatione Ordinati, vel Promoti contra vim illatam, ſpretâque declaratione animi à ſuſcepto Ordine abhorrentis. Inſuper, licèt uſque ad ſæculum duodecimum conſueverint Parentes Filios in infantili ætate poſitos in ſacris Monachorum Cœnobiis devovere, & Divino Famulatui mancipare, perpetuò vetito egreſſu è ſeptis Monachorum, attamen mitioribus Clementis III., Cæleſtini III., & Tridentinæ Synodi Decretis abrogata fuit Lex illa, contra quam naturæ, & liberi arbitrii jura clamare videbantur.

Non deſunt tamen graves Theologi, qui accuratiori etiam examine rem intimè ſcrutentur: Ajunt ſiquidem, Infantes promotos ad Sacros Ordines, ubi ſui compotes jam fuerint, diſertè eſſe interrogandos ſuper intentione permanendi, nec ne, in Ordine ſibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam aſſenſerint, eo caſu cenſent eos obſtringi voto Caſtitatis: ſin minus, licitum ſit eiſdem ad ſæcularia vota tranſire, ſuſpenſâ exercendi Ordinis poteſtate.

Alium expendunt caſum Theologi, Ordinis ſuſcepti poſt uſum rationis, ſed ante pubertatem. Affirmant, ita Ordinatum tunc ſolùm obligari voto ſervandæ Caſtitatis, quando Ordinationem *expreſſè* ratam habuerit, vel *tacitè* aliquo exteriori ſigno, puta

quia

quia miniſtraverit in Ordine ſuſcepto, vel quia penſum diurnum horarum Canonicarum more aliorum abſolverit: Quouſque ratihabitio non ſuperveniat, iidem Theologi nullam Ordinato imponunt obligationem recitationis Officii Divini; immò cenſent tamdiu interdictum exercitium Ordinis ſuſcepti, quamdiu Ordinatus in ætate impuberi attingat alteram ætatem à ſacris Canonibus promovendis ritè præſtitutam.

Expenſâ hucuſque in abſtracto ad tramites Legum Canonicarum, quibus Eccleſia Occidentalis informatur, facilem viam ſternunt reſolutioni non ſolùm tertii Dubii, in quo quæritur: *An Diaconis Ritûs Cophti licitæ ſint primæ, & ulteriores Naptiæ*; ſed etiam quarti, in quo quæritur: *An Diaconi teneantur Divinum Officium recitare*.

Et ſanè, ſi Miſſionarii, qui Dubia proponunt, ultro conſentiunt, apud Cophtos Eccleſiaſticam Hierarchiam perſeverare in ſuis Ordinibus, & gradibus aptè diſpoſitam; ſi ſacræ illæ Ordinationes nullo laborant ſubſtantiali defectu ex parte materiæ, vel formæ; ſi demum ſublato illo, qui olim aderat, diſſidentium opinionum conflictu, nemo eſt, qui hodie validam non fateatur Ordinationem à Miniſtro etiam Schiſmatico factam, neceſſariò ſequitur, ut quemadmodum in Eccleſiis Occidentalibus *validè* conferuntur Ordines Sacri etiam Infantibus; ita Cophtis Sacer Diaconatûs Ordo in infantili ætate *validè* conferatur.

Immo ſi in Eccleſia Occidentali, ut præmiſſum eſt, eximuntur ab obligatione recitationis Divini Officii non ſolùm Pueri, ſed etiam Impuberes aſſumpti ad Ordinem ſacrum, niſi confirmatâ jam ætate ſoam Ordinationem expreſsè, vel tacitè ratam habeant; Ex paritate rationis idem ferendum eſt in hac quoque parte judicium de Diaconis Ritu Cophto in tenera ætate ordinatis, recurrente in uno, & in altero caſu defectu liberi aſſenſûs ſingulis ad Electionem, & Profeſſionem ſtatûs neceſſarii.

In Concilio Toletano II. relato *in Can. de iis diſt.* 28. ubi ſermo inſtituitur de iis, *quos voluntas Parentum à primis Infantiæ annis Clericatûs Officio mancipavit*, hæc diſciplinæ regula opportunè præſcribitur: *Ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint Annum, coram Cleri Plebiſque conſpectu voluntas eorum de expetendo Conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur, quibus ſi gratia Caſtitatis Deo inſpirante placuerit, Subdiaconatûs Miniſterium, habita probatione Profeſſionis ſuæ, à vigeſimo anno ſuſcipiant &c. Quibus autem voluntas, propriæ interrogationis tempore, deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus*. Canonicæ hujus ſanctionis Littera apertè edocet, Infantes à Parentibus Eccleſiaſticis Miniſteriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Epiſcopo interrogari oportere, an velint in ſancto perſeverare propoſito, vel temporale inire Conjugium? Ab hujuſmodi rectè agendi ſemita non deflectat Præfectus Miſſionis, ſed Diaconos in prima ætate ordinatos apertè ioterroget per ſe ipſum, ſi commodè fieri poſſit; ſin minus, per alium à ſe deputatum, & quæ illorum ſit mens, & voluntas diligenter explorct. Hæc porro interrogatio, & inquiſitio fiat, poſtquam Diaconi *DECIMUM SEXTUM* ætatis Annum exceſſerint: conſonum quippe eſt, Diaconos eo tempore deliberare, quo juxta Tridentini Decreta in quacomque Religione tam Virorum, quàm Mulierum ſolemnia Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ vota per Regularem Profeſſionem emittuntur. Si completo decimo ſexto anno Interroganti reſponderint, nolle diutius in Diaconali Officio perſiſtere, liceat illis primum, eoque legitimè ſoluto, alterum quoque inire Matrimonium. Certiores præterea fiant, nulla Eccleſiaſtica lege, vel præcepto ad recitandum Officium Divinum, vel preces à Clero Cophto uſitatas compelli.

Nec turpe videri debet, aut indecorum, Diaconis à quavis Eccleſiaſtica Lege ſolutis aditum ad iteratas Nuptias aperiri. Pro libertate ſecundi Matrimonii Sacræ clamant Literæ, & Doctoris Gentium ſaluberrima conſilia. Ad Fœminas ſermonem inſtituens Apoſtolus in *Epiſtola ad Romanos cap. 7. Si autem*, inquit, *mortuus fuerit Vir ejus, liberata eſt à lege Viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio Viro: Et in 2. ad Corinth. c. 7. Dico autem non Nuptis, & Viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & Ego: Quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm uri*. Demum ad Timotheum *cap 5.* Florentis ævi Viduas denuo ad Matrimonium, & ad ſobolem procreandam hortatur, ne fortè in contemptum Caſtitatis ſordibus incontinentiæ coinquinentur. Quâ freti authoritate Orientalis Eccleſiæ Patres graviter erroris arguunt, & tamquam hæreticos damnant, qui putant, poſt primæ Uxoris obitum neſas eſſe ad ſecunda vota tranſire, ut videre eſt apud Petrum Arcudium *de Concordia Eccleſ. Occident. & Orient. lib. 7. cap. 27.*

E contra ſi Diaconi Ritûs Cophti, completo decimo ſexto anno, interroganti, & illorum voluntatem inquirenti ſeriò, ac deliberatè reſponderint, velle ſe in adepto Ordine perſeverare, & Eccleſiaſticis vacare muneribus, eo caſu ſub diſtricti ſeveritate judicii ſecundæ Nuptiæ illis apertè interdi-

can-

cantur, clamante Apoſtolo ad Timotheum *cap.* 3. *Diaconi ſint unius Uxoris Viri.* Inſuper, cum Perſonas Deo conſecratas maximè puritas, ſanctitaſque deceat, providè *Canones Apoſtolici* 17. & 18., quos præcipua veneratione, & cultu Eccleſia proſequitur, prohibent Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis nedum *bigamiam propriam*, quæ profluit ex ſecundo Matrimonio, ſed etiam *ſimilitudinariam* ortam ex primo Matrimonio cum Vidua, vel Corrupta contracto. Diſpoſita per Canones Apoſtolicos innovata fuerunt *in Canone* 3. Concilii Trullani, cujus auctoritas, licèt in Eccleſia Occidentali recepta non ſit, illam tamen Orientalis Eccleſia ſuſcipit, & veneratur. Alexius Ariſtenius (magni nominis apud Orientales Auctor, quemadmodum Balſamon, & Zonaras inferiori loco citandi) præfati Canonis Trullani Gloſſator, ita ſcribit: *Illum, qui binis implicatus eſt Nuptiis poſt Baptiſmum, aut Pellicem retinet, aut Viduam, aut ab alio dimiſſam, aut Meretricem, aut Servam, aut Scenicam ducit, non poſſe Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut Hypodiaconum fieri, juxta decimum ſeptimum, & decimum octavum Apoſtolorum Canonem, decernunt.*

P. Bernat apud Bollanditas *loco citato* propiùs ad rem accedens teſtatur, Diaconos Cophtos vinculo ſecundi Matrimoni alligatos *adepto gradu exeidere*, & ab Ordinis antea collati miniſterio ſuſpendi. Nec ſanè deeſt huic Diſciplinæ ſatis firmum rationis præſidium. Cum enim Diaconi oportuno tempore interrogati, libero, & deliberato actu voluntatis ratam Ordinationem habuerint, & novum quoddam vitæ genus ratificando elegerint, ac profeſſi fuerint, deliberato pariter voluntatis actu, cenſendi ſunt, ſe ſubjeciſſe Legibus Ordini ratificato, & vitæ inſtituto neceſſariò connexis, ac Legi præſertim prohibenti ſecunda Connubia, & Bigamiam, adeo ut neſas ſit à propoſito reſilire.

Toti hactenus fuimus in examine ſecundarum Nuptiarum: Nunc verò aliqua *de primis* attingenda ſunt, ut ſingulis propoſitis dubii partibus ſatisfiat.

Quamvis antiquiſſimo tempore, ad augendam Clericalis Militiæ Sanctitatem, utraque Eccleſia Occidentalis, & Orientalis æquè præſcripſerit, nedum Presbyteros, ſed alios etiam in Sacris Ordinibus conſtitutos in perpetuo Cælibatu verſari debere, & hanc cuſtodiendæ Caſtitatis obligationem numquam remiſerit aliarum Mater, & Magiſtra Romana Eccleſia: Secus tamen contigit tractu temporis in Eccleſia Orientali, ut apertè evincitur ex *Can. aliter diſtinct.* 31., *cap. quæſitum de pœnit. & remiſſ.*, & *cap. cum olim de Cleric. conjugat.* Quibus ſanctionibus conſonæ ſunt Literæ Apoſtolicæ felic. record. Gregorii XIII. Prædeceſſoris Noſtri datæ ad Patriarcham Maronitarum, legendæ apud Thomam à Jeſu in ſupra memorato opere pag. 490. ibi: *Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem eſſe traditionem, ut eorum Sacerdotes Matrimonio copulati ſint, cumque id illis numquam interdixerit Eccleſia, nec videtur interdicendum Maronitis: Lex enim Cœlibatus ſemper gravis viſa eſt Græcis, propterea Conjugium permiſſum eſt illis &c. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad Matrimonium non compellantur, qui cælibes eſſe vellent, ſed ad id potiùs piis hortationibus inducantur.*

Junguntur Matrimonio Græci in Minoribus Ordinibus conſtituti, & Uxore retenta, ad majores Ordines, & ad Sacerdotii gradum ritè promoventur. Ubi tamen contigerit, eos in Statu Cælibi Sacris Ordinibus inſigniri, à quacumque ſpe contrahendi Matrimonii dejiciuntur, ut ſusè edocet *Gloſſ. in Canon. Diaconi diſtinct.* 28.

Quin obſtet declaratio, & proteſtatio de expetendo Conjugio in ipſa ſuſceptione Ordinis Sacri emiſſa a Diaconis; qua concurrente, compatibiles videntur Nuptiæ cum ſimultaneo Diaconatûs Miniſterio, ad præſcriptum *Canonis* 10. Concilii Ancyrani, relati *in Canon. Diaconi diſt.* 28.: *Quicumque Diaconi conſtituti, in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, oportere ſe Uxores ducere, cum non poſſint ſic manere, ii, ſi Uxorem poſtea duxerint, in miniſterio maneant, eò quod, hoc ſit illis ab Epiſcopo conceſſum; ſi qui autem, hoc ſilentio præterito, & in Ordinatione, ut ita manerent, ſuſcepti ſunt, poſtea autem ad Matrimonium venerunt, ii à Diaconatu ceſſent:* Siquidem Balſamon, qui Canonem illum accuratè expendit, expreſsè rejicit in illo diſpoſita, inquiens: *Hunc Canonem ne ſequamur*; & innixus ſolidiori doctrinæ Sexti Canonis Synodi Trullanæ, ineffi-cacem eſſe concludit aſſenſum dictæ proteſtationi quoquo modo præſtitum ab Epiſcopo Ordinante: *Sextus enim Canon* (ſunt illius verba) *Synodi in Trullo deponendos decernit Presbyteros, & Diaconos, qui poſt Ordinationem matrimonium contraxerint. Quod ſit autem contra Canones, nec ex permiſſione Epiſcopali, nec ex eo tantùm, quod tacuerint, concedetur, ut quod conſiſtere nequit.*

Eadem eſt quoque Sententia Zonaræ de Canone ſupra relato Concilii Ancyrani; immò ad removendam antinomiam duorum Canonum, nempe Ancyrani & Trullani, qui inter ſe colliduntur, ſextæ Synodi Decreta ſequenda proponit: *Cum igitur ſibi invicem hi Canones manifeſtè adverſentur, ſextæ Synodi*

nodi Canon, qui & posterior fuit, & magis cum Apostolico Canone consentit, servari debet: Nec diversimodè etiam sentit Aristenius, qui in hoc authoritatum conflictu adhæret partibus Concilii Trullani; Ait enim: *Sed huic Canoni opponitur sextus sextæ Synodi Canon, non omnino ei, qui Cælebi ad Hypodiaconi, aut Diaconi, aut Presbyteri gradum venit, concedens Matrimonio sibi Fœminam conjungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi jubens. Et vim retinet ille Canon, sed hic in desuetudinem abiit.*

Diu multumque agitata est inter Theologos controversia illa, plena jurgii, ac dissidii: An solùm illicitum, vel potiùs illicitum, & invalidum reputari deberet Matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem Sacrorum Ordinum, quemadmodum nullum, & irritum reputatur in Ecclesia *Occidentali*. Placuit sanè pluribus, *validum*, sed *illicitum* censeri debere hujusmodi matrimonium, tum quia Canonicæ Sanctiones, & Decreta Ecclesiæ Occidentalis illud irritantia, protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; Tum quia Canones Synodi Trullanæ, quorum semper à Græcis commendata fuit authoritas, nullibi expresè annullant, & irritant matrimonium post Sacros Ordines contractum. Strenuè contra pugnârunt alii pro omnimoda invaliditate; & saniori certè consilio, utpote tuentes sententiam majoribus suffragiis suffultam, & menti Congregationum Urbis consentaneam. Nullitatem Matrimonii satis erui posse judicârunt ex ipso *Canone* 3. Concilii Trullani his verbis: *Et nefario videlicet dissoluto Conjugio.*

Favet etiam eidem sententiæ authoritas Imperatoris Justiniani, qui in Codice à Gothofredo illustrato *lib. primo de Episc. & Cleric. Novell.* 45. hujusmodi Nuptias nefarias, & incestuosas appellat, & soboli inde procreatæ notam illegitimitatis, & turpem paternæ incontinentiæ maculam inurit. Et licèt in Juribus Ecclesiasticis Potestati Laicæ sola relicta sit gloria obsequendi, non authoritas imperandi, In subjecto tamen casu loquitur Imperator relativè ad Sacros Canones, ibi: *quæ & Sacris visa sunt Canonibus.*

Omnia itaque in unum perstringentes, si ex hucusque dictis Græcis ad Ordines saeros jam promotis expresè vetitæ sunt non solùm *secundæ*, sed *primæ* etiam Nuptiæ, Pari sanè jure in proposito themate prohibenda est Diaconis Ordinatis in tenera ætate celebratio *quarumcumque Nuptiarum*, postquam ipsi in ætate jam confirmata, serio deliberatoque animo consensêre in Ordinationem jamdiu susceptam, illamque publica declaratione ratificârunt; proindeque Patribus Missionariis omnis adimitur potestas super hoc dispensandi.

Nec opitulari quoquo modo potest Cophtis salutare propositum ejurandi Schismaticorum errores, seque devovendi ex animo unioni Catholicæ Romanæ Ecclesiæ. Si enim Divina tantùm adspirante aura, nulloque humano impellente consilio, in piæ Matris gremium se reciperint, & ad Nos confugerint, facilè etiam intelligent, ejusdem Catholicæ Ecclesiæ disciplinæ, & observantiæ eos conformari oportere, Ideoque subjici legi Cælibatûs, quam Promoti ad Ordines sacros, sive Latini sint, sive Græci, in Romana Ecclesia sanctè, & inviolatè custodiunt.

Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam Ordinationem onus dictim recitandi Officium Divinum; de quo instituitur quæstio *in quarto Dubio*.

In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum Ecclesiasticum Beneficium fuerint assequuti. Cohæret enim Ordini Sacro diurnum pensum Horarum Canonicarum; Illudque veteri traditione acceptum, & immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio. Quantum assequi potuimus conjectura, & testimonio Monachorum Ritûs Cophti in Urbe degentium, quos ea de re percontari non prætermisimus, Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri Ecclesiæ Orientis nulla lege expressa, Canone, aut Concilii Decreto adiguntur ad recitationem Officii Divini; Quia verò positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur Omnipotenti Deo orationes, & sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi Divinum Officium.

Memoriæ proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse Dubia Prædecessori nostro Gregorio XIII., ut supremo illius, & Apostolicæ Sedis judicio definirentur. Legitur §. 6. hoc potissimum. *Creamus*, inquit Patriarcha, *Pueros quinque, vel sex annorum Subdiaconos, sine obligatione legendi Horas Canonicas*: En Apostolica Definitio relata in sæpe memorato Opere P. Thomæ à Jesu: *Tenentur etiam omnes Ordinati ad Horas Canonicas, saltem illi Nationi confutati, & à Viris doctis recognitas, non solùm Beneficiati, sed etiam, qui sunt in Sacris sine Beneficio*. Qua de re, si Disciplinæ Ecclesiæ Orientalis subjicit obligationi, & præcepto recitandi Officium Divinum *more Nationis* generatim omnes in Sacro Ordine constitutos, eadem sanè obligatio, idemque

que præceptum perſolvendi Horas Canonicas *more ſuæ Nationis* afficiet Diaconos Cophtos, qui per ſolemnem ratificationem tempore habili emiſſam denuo aſſenſum præſtitêre Ordini Sacro in infantili ætate ſuſcepto.

Satis hæc videri poſſunt pro examine tertii, & quarti dubii, ſemper tamen præ oculis habita firmiterque retenta hypotheſi, quod quæſtio uſque modo inſtituta referenda ſit ad Diaconos ordinatos in prima ætate Ritu Cophto inter Schiſmaticos, qui poſt reditum ad Orthodoxam Eccleſiam, & poſt ratihabitionem Ordinis factam apud Catholicos in ſtatu cælibi vindicent ſibi poſtea legitimi Jura Conjugii.

At ſuſpicari Nobis non temerè licet, crebriùs in praxi alium dari caſum à præmiſſa hypotheſi longè diverſum. Sæpiſſime etenim contingit, à Diaconis apud Schiſmaticos in ætate infantili ordinatis, ubi ætas adolevit, ratam haberi apud eoſdem Schiſmaticos Ordinationem, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè, v. g. miniſtrando in Ordine ſuſcepto, & ab ipſis ſubinde contrahi Matrimonium. Demum ab erroribus, in quibus verſantur, quærunt in ſinu Catholicæ Eccleſiæ ſalutare perfugium, ſub ſpe tamen obtinendæ Diſpenſationis ſuper Matrimonio jam inito, ut in ſtatu conjugali legitimè perſeverent.

Caſus iſte quò frequentior eſt, eò etiam expleatu difficilior. Etenim ſi ad tramites jam expenſarum rationum ipſo jure irrita ſunt Matrimonia poſt Ordinem Sacrum contracta, neceſſariò ſequitur, Diaconos in reditu à ſchiſmate ad unitatem Eccleſiæ non poſſe pedes tenere in diverſis, unum in Divinis, alterum in carnalibus, ſed illico ſeparari debere à quovis Uxoris conſortio. Quis erit tamen, qui non agnoſcat, ac fateatur, hanc ſeparationem gravem obicem obtrudere properantibus in viam ſalutis, ac plurimùm obſtare, ne inita de Converſione conſilia ad exitum perducantur?

Econtra verò ſi facilè cum Diaconis diſpenſetur in Matrimonio poſt Sacrum Ordinem contracto (quod tamen omnino novum, ac inuſitatum non eſſet, ut perperam nonnulli arbitrantur) ineluctabiles ſeſe objiciunt difficultates in dicta Diſpenſatione exequtioni demandanda. Siquidem cum apud Fideles etiam Eccleſiæ Orientalis nulla ſint, & irrita Matrimonia poſt Ordines Sacros celebrata, diſpenſatio grave illis ſcandalum ingereret, & acerbè quererentur, maximum infligi vulnus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Inſuper cum res ſit de Matrimonio in radice nullo, Diſpenſatio ſuffragari non poſſet, niſi renovato, ac denuo in faciem Eccleſiæ ritè præſtito à Conjugibus conſenſu. Hanc verò renovationem conſensùs novam omnino putarent Cophti, vel fortaſſe refugerent, tamquam plenam aleæ, probè intelligentes, unum & alterum Conjugem poſſe pro libito abſtinere à præſtando aſſenſu, imò potiri facultate ſe ſe in libertatem vindicandi.

Cæterum, ut mox innuimus, indubiis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis edocemur, aliàs diſpenſatum fuiſſe, ut Orientales ad Unitatem redeuntes perſeverarent in fœdere Matrimonii poſt Sacros Ordines contracti. Exemplum hujuſmodi Diſpenſationis exhibent Apoſtolicæ Literæ ſel. rec. Innocentii IV. Prædeceſſoris Noſtri Anno 1244. datæ ad Magiſtrum, & Priorem Fratrum Prædicatorum Terræ Sanctæ, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per Fratres dicti Ordinis, *qui deputantur ad prædicandum Jacobitis, Neoſtritis, Georgianis, Græcis, Armenis, Maronitis, Moſſelinis, aliiſque Nationibus in Partibus Orientalibus conſtitutis &c. diſpenſari valeat, ut illi ex Nationibus numeratis, qui poſt ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & caſibus à Divina minimè Lege prohibitis, Matrimonia contraxerunt, remaneant in iiſdem*: Extat dictarum literarum Exemplar authenticum Romæ in Archivo Ordinis, exſcriptum ad fidem Autographi aſſervati in Cœnobio Viterbienſi, ut videre eſt in noviſſimo Bullario Dominicano edito, & illuſtrato ab Antonino Bremond dicti Ordinis Alumno *tom. 1. pag. 136.*

Sed hæc exempla tanti non ſunt, ut Nos ſtatim ea ſequi velimus. In hoc gravi negocio, in quo multa deſunt, quæ ſeitu digna ſunt, hæremus adhuc; & præcipuum Pontificiæ ſolicitudinis munus eſſe intelligimus, nihil intentatum relinquere, quod ad ſingulas circumſtantias enucleatè aſſequendas pertinere poſſit.

Partes erunt igitur Vicarii Generalis, ac Præfecti Miſſionis, cæterorumque Miſſionariorum, ad quos præſentem Inſtructionem deferri volumus, Articulis infra ſubjectis congruum, ac dilucidum exhibere reſponſum, Noſque certiores quamprimùm efficere, ut tandem firmo, ut ajunt, pede deliberare poſſimus.

I. An ſpes ulla affulgeat proximi reditûs alicujus Epiſcopi ad ſinceram cum Catholica Eccleſia Unitatem.

II. An rebus in eo, in quo hodie ſunt, ſtatu manentibus, expediat, tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis: Cui, vel quibus dicta facultas tutò delegari poſſit, ut Sacro Chriſmate præcipuè liniantur Filii orti à Parentibus Catholicis poſt hæreſim ejuratam, & abluti Sa-

cro Baptiſmate, ſaltem à Sacerdote Latino?

III. An in caſu conceſſionis hujuſmodi facultatis, expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur adminiſtrando Confirmationem Infantibus immediatè poſt Baptiſmum (niſi in caſu neceſſitatis), ſed in ea tantùm ætate, qua Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere?

IV. An Diaconi Ritûs Cophti attingant hodie eximium illum numerum, qui à Scriptoribus præfertur? An Diaconi ordinati in ætate puerili, miniſtrent adulti in Ordine ſuſcepto, & in ſtatu cælibi, ita ut inferri poſſit, eos ante Nuptias ratam Ordinationem habere; Cum compertum ſit, teſte P. Benart, *eos à Puero functionibus Eccleſiaſticis aſſueſcere*, & in magno numero ordinari, *ne aliquando deſint, qui Eccleſiæ Miniſteriis operam navent*.

V. An & quomodo tolli poſſit, & radicitus extirpari abuſus conferendi Ordines ante legitimum tempus, & induci quoad ætatem Ordinandorum obſervantia Decretorum Concilii Tridentini, quam in caſu ſimili, ad Catholicæ Fidei præſidium, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ augmentum, Gregorius XIII. plurimùm commendavit Patriarchæ Maronitarum in illis verbis: *Inducendi ſunt Maronitæ, ut Concilii Tridentini Decreta obſervent ſeſſ. 23. cap. 12.*

VI. An plus commodi & utilitatis, vel potiùs ſcandali, & detrimenti allatura ſit rei Catholicæ Diſpenſatio ſuper Matrimonio inito poſt Ordines Sacros, libratis in utramque partem omnium rationum, & circumſtantiarum monumentis?

Enixè demum expetimus ea omnia, quæ Evangelici Præcones ad Animarum ſalutem, ad Catholicæ Fidei propagationem, & ſpirituale ſolatium Nationis illius, quam intima complectimur charitate, opportuna eſſe cognoverint. Interim Deum, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, enixè rogantes, ut Ovibus, ac Paſtoribus ſuorum chariſmatum dona multiplicet, eiſdem optati evenûs auſpicem, Apoſtolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die IV. Maji MDCCXLV. Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

Ex Bullario hujus Summi Pontif. tom. I. fol. 511. & ſeq.

INSTRUCTIO PASTORALIS SECUNDA

Circa dubia alia de eodem Ritu.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ANno vertente reparatæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Pontificatûs autem Noſtri quinto, tum ut partes Apoſtolici Noſtri miniſterii impleremus, tum etiam, ut præclaram ſignificationem paterni animi noſtri, ac dilectionis, qua ſemper complexi ſumus, complectimur, ſemperque complectemur inclytam Nationem Cophtam, præberemus, auditis gravium, ac prudentûm hominum ſententiis, noſtris quoque laboribus, ac privato ſtudio adjunctis Paſtoralem Inſtructionem ſuper quibuſdam, de quibus ambigebatur, ad eorum ritus & mores ſpectantibus edidimus.

Ea verò in Inſtructione, quæ typis impreſſa fuit, noſtroque Bullario inſerta, actum eſt de Ritu Cophtorum, quo Sacramentum Confirmationis à ſimplici Sacerdote ſtatim poſt Baptiſmum confertur; agitur etiam de more, ac conſuetudine eorumdem conferendi Ordinem Diaconatûs pueris adhuc in infantili ætate exiſtentibus. Quibus de rebus ea, quæ conſentanea erant & opportuna, conſtituta ſunt: Nonnulla autem indefinita remanſerunt; quia, priuſquam de illis reſponſum à Nobis daretur, neceſſarium viſum fuit, plura, quæ haud ſatis nota & perſpecta erant, exquirere, ut in eadem Inſtructione videre licet. Interea verò omnes curas, ac diligentias adhibere non prætermiſimus, ut eorum, quæ adhuc deerant, cognitionem aſſequeremur. Collectis proinde omnibus, quoad fieri potuit, quæ neceſſaria videbantur, *die* 10. *Martii anni currentis* 1750. nonnullos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, alios in Sacræ Theologiæ facultate Magiſtos, alios autem in jure Canonico peritos, coram Nobis, rimatis antea per Nos omnibus & perpenſis, congregari juſſimus. In hac autem Congregatione, dubia, quæ proponebantur, in duas claſſes diſpertita fuerunt: una eorum fuit, quibus omnino adhuc nullum reſponſum præberi poterat; altera verò eorum, quibus & nunc reſponderi poterat, & quæ opportuna videbantur, decerni.

Inter dubia, quæ indefinita remanſerunt in noſtra Paſtorali Inſtructione, unum illud

illud ſuit: *An ſpes ulla affulgeat proximi reditus alicujus Epiſcopi ad ſinceram cum Catholica Eccleſia unitatem?* Alterum verò: *An & quomodo tolli poſſit, & radicitus extirpari abuſus conferendi Ordines ante legitimum tempus, & induci quoad ætatem Ordinandorum obſervantia decretorum Concilii Tridentini, quam in caſu ſimili ad Catholicæ Fidei præſidium, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ augumentum Gregorius XIII. plurimùm commendavit Patriarchæ Maronitarum.* Hæc autem duo dubia in prædicta ultima Congregatione repoſita fuerunt in eorum Claſſe, quibus neque adhuc reſponderi poterat, cum ex iis, quæ noviſſimè Nobis relata fuerunt, nulla proxima ſpes affulgeat, ut aliquis ex ejuſdem Nationis Epiſcopis, ejuratis ſchiſmatis, ac hæreſum erroribus, ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum revertatur.

Similiter inter dubia, quæ indefinita relicta fuerunt in ſuperius laudata Inſtructione, reperitur illud: *An rebus in eo, in quo hodie ſunt, ſtatu manentibus, expediat tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis? cui, vel quibus dicta facultas tuto delegari poſſit, ut Sacro Chriſmate præcipuè liniantur filii orti à Parentibus Catholicis poſt hæreſim ejuratam, & ablutis Sacro Baptiſmate ſaltem à Sacerdote Latino.* Et illud quoque: *An in caſu conceſſionis hujuſmodi facultatis expediat monere Sacerdotes, ne eâ utantur adminiſtrando Confirmationem infantibus immediatè poſt Baptiſmum (niſi in caſu neceſſitatis) ſed in ea tantùm ætate, qua Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.* Hæc autem poſtrema duo dubia in ultima Congregatione poſita fuerunt in Claſſe eorum, quibus reſponſum præberi nunc poteſt.

Itaque eorum examine aſſumpto, auditiſque Congregatorum ſententiis, Decretum fieri placuit in hunc modum: *Sanctiſſimus conſentaneum judicavit delegare Præfectо Miſſionum Ægypti facultatem extraordinariam conferendi, Chriſmate tamen ab Epiſcopo benedicto, Sacramentum Confirmationis illis, qui à Sacerdotibus Latinis Baptiſmum acceperunt: Caveat autem Præfectus hujuſmodi Sacramentum illis conferre, qui ſeptimum ætatis annum nondum attigerint, niſi forte periculum mortis immineret, ne, ingraveſcente morbo, ſine hoc Sacramento decedant. Denique Sanctitas Sua facultatem elargiri ſolùm intelligit, donec neceſſitas id poſtulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Epiſcopus in Ægypto habeatur.*

Hujuſmodi Decretum etiam in præſenti à Nobis confirmatur, cum in omnibus, ac per omnia conveniens, ac conſentaneum ſit cum iis, quæ expoſita fuerunt in præcedenti noſtra inſtructione *Anni* 1745. §. *quod attinet ad primum*, tum etiam iis, quæ ſuse à Nobis tractata ſunt in noſtro Opere *de Synodo Diœceſana* impreſſo *Anno* 1748 *lib.* 7. *ubi cap.*7. actum eſt de conſuetudine Presbyterorum Græcorum impertiendi Sacramentum Confirmationis ſtatim poſt Baptiſmum, & de Epiſcopo, qui eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti: *& cap* 8. de neceſſitate, quam habet Sacerdos Latinus, ſi à Summo Pontifice conſtituatur Miniſter extra ordinem Sacramenti Confirmationis, utendi Chriſmate ab Epiſcopo benedicto, *& cap.*9. reſumpta integra materia exponitur, quouſque ſe proferat tolerantia Apoſtolicæ Sedis, & in quibus Græcorum Regionibus locum habere valeat vetus conſuetudo, qua eorum Sacerdotes Fidelibus ſtatim, ubi Sacro Lavacro abluti ſunt, Sacramentum Confirmationis conferunt: adeo ut non aliud hîc addere opus ſit, quàm Præfecto Miſſionum Ægypti eamdem à Nobis concedi facultatem, quæ data eſt Guardiano Sancti Sepulchri, qui ex beneficentia, & gratia Sedis Apoſtolicæ durante ejus Officio, ubi Epiſcopi Latini in ſuis Diœceſibus reſidentes non adſunt, in Terræ Sanctæ locis Sacramentum confert Confirmationis; facultatem videlicet conferendi Sacramentum hujuſmodi, Oleo & Chriſmate etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem benedictis, quemadmodum quiſque legere poterit in noſtra Conſtitutione, quæ decima eſt in Tomo primo noſtri Bullarii.

Etenim etſi juxta ea, quæ in Pontificali Romano præſcripta ſunt, ſingulis annis feria quinta in Cœna Domini Sacrum Chriſma renovari debeat, neque liceat uti Chriſmate anno præcedenti conſecrato, id tamen locum non habet, ſi aut Chriſma recipi nequeat, niſi ab Epiſcopo, qui à Communione Apoſtolicæ Sedis ſeparatus ſit, aut etiam, ſi aliquis Epiſcopus adſit in Communione Eccleſiæ Catholicæ degens, ea tamen ſit locorum diſtantia, vel aliud intercedat impedimentum, ut ab eo novum Chriſma accipi nequeat; tunc quippe licere cenſetur uti vetere Chriſmate ab Epiſcopo Catholico annis præcedentibus benedicto, ſicut à Nobis latè demonſtratum eſt in noſtra Notificatione 14. *Tom.*4. *Bononien. editionis*, cum in ea Urbe degentes Archiepiſcopi munere fungeremur. Quod autem pertinet ad ætatem, qua Sacramentum Confirmationis dari debet, aut conferri permittitur, etiam iis, qui adhuc per ætatem capaces non ſunt probè, ac bene percipiendi vim, ac valorem Sacra-

menti, id, quod reſponſum eſt, apprimè concordat cum iis, quæ à Nobis collecta, & fusè expoſita ſunt in laudato noſtro Tractatu *de Synodo Diœceſana lib.7. cap.*10.

Proſequendo examen dubiorum, quæ in Claſſe collocata ſunt eorum, quibus nunc reſponderi poterat, illud ordine ſuccedit : *An, ſi Diaconi ordinati in ætate puerili miniſtrent adulti in Ordine ſuſcepto, & in ſtatu cælibi, inferri poſſit, eos ante nuptias ratam Ordinationem habere, cum compertum ſit teſte P. Benart, eos à puero functionibus Eccleſiaſticis aſſueſcere, & in magno numero ordinari, ne aliquando deſint, qui Eccleſiæ miniſteriis operam navent?* Cum igitur examen præſcripti Dubii aggredi placuerit, poſt latum à quolibet ex Congregatis ſuffragium, pronunciatum eſt à Nobis Decretum in hæc verba : *Diaconi in ætate puerili ordinati, licèt ante decimumſextum ætatis annum miniſtraverint in Ordine ſuſcepto, & in ſtatu cælibi, tamen non cenſentur ante nuptias Ordinationem ratam habuiſſe, eò quod nihili faciendi ſint illi actus, quos in ætate puerili, & ante decimumſextum ætatis annum exercuerint.* Quod Decretum nunc pariter à Nobis confirmatur.

Ut verò ea, quæ decreta ſunt, planiùs intelligantur, opus eſt aliquantum digredi; hac enim ratione procedendo via munietur, ut ad propoſitum finem perveniamus.

Nemo eſt, qui ignoret, duobus modis religioſam Profeſſionem fieri, vel, ut melius dicamus, duplicem eſſe Profeſſionem religioſam, unam expreſſam, alteram verò tacitam. Expreſſa fit, cum debitis ſervatis ſolemnitatibus, tria vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ conceptis verbis emittuntur, quæ in Conſtitutionibus Ordinis, in quo quis ſe velle vivere profitetur, præſcripta ſunt; Tacita autem in eo poſita eſt, cum quis ea exercet, & operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua religione ſe obligare voluiſſe, etſi ſolemniter, & expreſsè eam profeſſus non fuerit.

Tacita Profeſſio à ſacro Tridentino Concilio juxta communiorem ſententiam ſublata non eſt, ut latè teſtantur Navarrus, Azorius, Sanchez, Fagnanus. Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit, nullas ac irritas eſſe Profeſſiones, quæ in quacumque Religione fiunt ante annum decimumſeptimum ætatis profitentis, & antequam integer annus probationis expletus fuerit, hinc rectè deducitur, etiamſi à Concilio tacita Profeſſio ſublata non ſit, eam tamen locum non habere, ſi actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint poſt annum decimumſextum ætatis profitentis, & poſtquam annus probationis completus eſt; ita ut à Concilio Tridentino magna ex parte temperata ſit diſpoſitio Epiſtolæ Decretalis : *Is, qui de Regularibus in ſexto*, & Clementinæ ſecundæ ſub eodem titulo *de Regularibus*.

Adinſtar Conciliaris Diſpoſitionis à Nobis conſtitutum eſt, ut Diaconi Cophti in infantili ætate ordinati, ubi ad annum decimumſextum ætatis ſuæ pervenerint, à Præfecto Miſſionum interrogentur, num velint, necnè, perſeverare in Ordine ſuſcepto, & obligationes omnes Ordini annexas implere, ut inde ſtatui poſſit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipſis ſervandum ſit, ſicut quiſque videre poteſt in pluries laudata Inſtructione noſtra *anni* 1745. Itaque quemadmodum ſtabilitâ per Concilium ætate anni decimiſexti ad Profeſſionem Regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamſi ante prædictam ætatem actus illi expleantur, ex quibus ſecundùm Canonicas diſpoſitiones tacita Profeſſio inducitur; ſed omnes illi nullo in numero, & pro nihilo habentur ad tacitam Profeſſionem Regularem inducendam, niſi expleti fuerint poſt annum ætatis decimumſextum, & poſtquam anno probationis evoluto expreſſa Profeſſio emiſſa non eſt : Ita conſtituto à Nobis anno decimoſexto, quo, ut dictum eſt, Præfectus Miſſionum Diaconos in puerili ætate ordinatos interrogare debet, velintne, an ſecus, perſeverare in Ordine ſuſcepto, & obligationibus Ordini conjunctis ſatisfacere, ex Ordinis exercitio ante annum decimumſextum eorum ætatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet : cum ad ſummum hujuſmodi actus tacitam ratihabitionem importare poſſint, ſi geſti fuerint poſt annum decimumſextum; eo caſu, quo Præfectus Miſſionum anno decimoſexto eorum ætatis ipſos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere ſæpius monitum eſt, neglexerit.

Remanet ultimum ex iis, quæ reſponſo noſtro definiri poſſe diximus; illud autem eſt hujuſmodi : *An plus commodi, & utilitatis, vel potius ſcandali, & detrimenti allaturæ ſit rei Catholicæ diſpenſatio ſuper Matrimonio inito poſt Ordines ſacros, libratis in utramque partem omniam rationum, & circumſtantiarum momentis?* Præmiſſâ in præcedenti Inſtructione Eccleſiæ Orientalis conſuetudine retinendi cum Ordine ſacro uxorem, quæ tamen ante Ordinis ſuſceptionem accepta ſit, atque indicatâ etiam controverſiâ, an Matrimonium ab Orientalibus initum poſt Ordinem ſacrum irritum ſit, an potius dumtaxat illicitum, tranſitus factus eſt ad aliam quæſtionem; an rectum, probè factum, ac utile videretur, an potius ſcandalo eſſe poſſet, aliquem diſpenſare, qui

uxo-

uxorem poſt Ordinem ſacrum duxerit, ut eam retinere, ac ſimul ſacro Ordine perfungi, & ſacra munia exercere poſſit, quia hujuſmodi diſpenſationes interdum à Sede Apoſtolica conceſſæ fuerunt. Cum autem, quæ ad quæſtionem definiendam neceſſaria videbantur, non ſatis nota, ac perſpecta eſſent, placuit rem differre, & interim exquirere, quæ opus erant, ut pleniùs de re tota inſtrueremur. Cum autem ad noſtram cognitionem, quæ expectabamus, relata ſunt, auditis Congregatorum ſuffragiis in ea fuimus ſententia, ut nemini facultas diſpenſandi concederetur, ſed Sedi Apoſtolicæ reſervaretur, ut, eum caſus contigerit, & diſpenſatio poſtuletur, maturè expendantur, quæ neceſſe eſt conſiderare, ut, vel concedatur, vel denegetur diſpenſatio, cum de re graviſſima, ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum eſt in hæc verba: *Recurrunt ad Apoſtolicam Sedem in caſibus particularibus, in quibus, ſi ob graves cauſas Diſpenſatio ſuper Matrimonio inito poſt Ordines ſacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione conſenſûs.* Haud ignotum eſt, quanta difficultas occurrat, quoties ſuper Matrimonio ex impedimento dirimenti nullo diſpenſatio conceditur, ſolitâ conditione, ut inter Conjuges conſenſus renovetur: eum accidere poſſit, & nonnunquam contigerit, ut mulier haud contenta viro, vel vir uxorem faſtidiens, ut ſe in libertatem vindicet, eorum alter, vel uterque novum conſenſum præbere renuat. In Decreto mox relato haud mens noſtra fuit, renovationem conſenſûs excludere, cum Matrimonium extra dubitationem nullum ſit; ſed, eum gravis illa controverſia, ut dictum eſt, adhuc vigeat, an Matrimonium in Eccleſia Orientali poſt Ordinem ſacrum contractum, perinde nullum ſit, ac in Eccleſia Occidentali, an potius ſit ſolummodo illicitum? Et cum hujuſmodi controverſia (exceptis Italo-Græcis, quorum Matrimonia poſt Ordinem ſacrum inita, ſtatutum eſt, nulla & irrita eſſe, ut in noſtra Conſtitutione, quæ incipit: *Etſi Paſtoralis* §. 7. *num.* 28., quæ eſt quinquageſima ſeptima in ordine Bullarii noſtri *tom.* 1.) quoad cæteros Orientales Græcos nullo adhuc Decreto Apoſtolico definita fuerit, licet Tribunalia hujus almæ Urbis opinioni eorum adhæreant, qui hæc Matrimonia nulla exiſtimant, nihilominus ſatius viſum eſt, ut adveniente caſu concedendi diſpenſationem, conditio renovationis conſenſûs non exprimatur. Decretum autem, de quo agitur, nunc etiam à Nobis ſolemniter confirmatur.

Hæc autem ſunt, quæ à Nobis conſtituta ſuerunt, quæque pro recta Cophtorum diſciplina, dirigendiſque moribus opportuna eſſe duximus, ut huic noſtræ ſecundæ Inſtructioni inſererentur. Hinc autem inclyta illa Natio, quæ etiam antiquis temporibus ſuæ unionis cum Apoſtolica Sede, quæ centrum eſt unitatis, illuſtria præbuit argumenta, ſatis intelligere poterit, quàm eximio charitatis affectu eam in Domino proſequamur, eique interea veluti dilectionis Noſtræ pignus, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum ex Arce Caſtri Gandulphi die XIX. Junii MDECL. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Exempl. impr. in Arch. Gen. Ord. Arm. Miſſiones.

Circa Cœremonias, ritus & uſus in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi, Indiarum Orientalium, obſervanda aut vitanda præſcribit, Prædeceſſorum Decreta innovat, ac ad nova poſtulata opportunas declarationes, & reſponſiones adjicit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſollicitudinum, quæ demandatum Nobis, Divino prorſus conſilio, nulloque merito noſtro, ſupremi univerſaliſque Paſtoris munus graviſſimum præter modum, formidandumque conſtituunt, potiſſima ſanè, quæque magis animum noſtrum exſtimulat, Noſque perpetuò trepidantes, & anxios habet, ea eſt, ut creditum Nobis Fidei depoſitum, integrum, illibatumque ſervemus; ideoque omne ſtudium noſtrum, operamque in id conferamus, ut latè diffluentes ſuper ſaciam Terræ Cœleſtis doctrinæ latices nullo aut corruptelæ luto, aut erroris inficiantur veneno; dumque Evangelica lux undequaque diffunditur, nulla fortè Gentilitatis ſuperſtitione obumbretur, atque ut ii, quos è poteſtate tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen ſuum vocavit miſericors Deus, in ſpemque evexit æternæ ſalutis & hæreditatis, corde credentes ad juſtitiam, operibuſque quod credunt, comprobantes, & myſtici Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, digna ſe membra

bra exhibentes, id ipſum dicant, ùt Apoſtolus exoptabat ardenter, & ſint perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Hinc cum primum Altiſſimo placuit humilitatem noſtram ad ſummi Apoſtolatûs apicem evehere, nulli unquam labori parcere decrevimus, quem non ſolùm ad propagandam in omnem Terram Fidei, & ſalutis ſcientiam, ſed etiam ad unitatem ſpiritûs, & doctrinæ inter Fideles ubique fovendam, & confirmandam, vel, ſicubi opus eſſet, reconciliandam, & ſtabiliendam, opitulante Deo, proficuum, & neceſſarium fore deprehenderemus.

Verùm quum eam ob cauſam ad extremas uſque Orbis Terræ Plagas mentis noſtræ obtutus dirigeremus, eoſque peculiariter figeremus in novella illa germina Chriſtianitatis, quæ, Divinâ irrorante gratiâ, in novis Eccleſiis Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dudum pullulârunt, non parvam Nobis indè laborum, atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenſeremus, quantùm, & quam diù Apoſtolica Prædeceſſorum Noſtrum deſudaſſet induſtria, ut ex recens coaleſcentibus prædictorum Regnorum Eccleſiis, vanarum obſervationum, rituumque à Chriſtiana Religione abhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controverſias inter ſacros ipſos Regionum illarum Operarios in re tam gravi exortas, &, quod magis dolendum erat, inimici hominis opera, noſtris adhuc temporibus perſtantes, componerent, atque eliminarent. Attamen fiduciam noſtram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter, ſuaviterque inflectit; potiſſimum verò, quum delatis ad Nos argumentis filialis obedientiæ, qua plerique illarum Partium Miſſionarii ſuprema hujus Apoſtolicæ Sedis Decreta ſe excipere profeſſi ſunt, Nobis expoſitum fuit, ad omnes demum iis de rebus controverſias ſedandas, ac prædictarum Eccleſiarum ſtatum componendum, atque firmandum, nil aliud jam reliquum eſſe, quàm ut ad nonnulla poſtulata, quæ ex parte aliquorum Operariorum hujuſmodi Nobis proponebantur, congruæ reſolutiones, & reſponſiones Apoſtolicâ auctoritate prodirent; magnam in ſpem erecti ſumus, fore, ut ſublatis per opportuna reſcripta propoſitis dubitationibus, ac finitivis demum noſtris, & hujus Apoſtolicæ Sedis mandatis, atque præceptis editis, ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis, moleſtiſque diſſenſionibus, quæ Prædicationis Evangelicæ in prædictis Regnis olim diſſeminatæ fructum latè inficientes, ipſaſque novarum Eccleſiarum ſoboles vehementi diſcordiarum turbine agitantes, eò rem adduxerant, ut tot Verbi præcones eximii ſine cauſa adhuc laboráſſe, largoſque ſudores, & ſanguinem ipſum fruſtra effudiſſe viderentur.

Ut enim multa prætereamus, quæ retroactis temporibus hac in re acciderunt; graviores, quas innuimus, controverſiæ hoc ipſo ineunte ſæculo eruperunt, ſeu potiùs renovatæ fuerunt, quum à fel. record. Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. miſſus, ad Oram Coromandeli appulit bo. me. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus, cum poteſtate Legati à Latere in Indiis Orientalibus Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus, deinde bujus S. R. E. Cardinalis Turnonius nuncupatus. Is enim, eò cum appuliſſet, ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab aliquibus Miſſionariis obſervabantur, vel permittebantur, ab aliis verò tamquam Chriſtianæ pietatis ſpiritui minimè conformes rejiciebantur, unde diſcordiarum, & funeſtiſſimarum diſputationum ſemina, exploratis eâ, qua par erat diligentiâ, factis & circumſtantiis, è re Chriſtiana eſſe, ſuique Officii partes exigere judicavit, plures hujuſmodi cæremonias gravi interdicto proſcribere, atque damnare, latoque Edicto, ſeu Decreto certam Miſſionariis normam præſcribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti ſervarent, ut Divini Verbi ſemen, præciſis lolio, & vepribus, alias agere radices, & feliciſſimè poſſet propagari. Quod quidem à ſe editum Decretum à Miſſionum illarum Provincialibus, & Superioribus ſub pœna Excommunicationis latè ſententiæ, à cæteris verò Subditis Miſſionariis ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ, inviolabiliter obſervari, & executioni mandari præcepit, donec aliter Apoſtolica Sedes provideret. Exemplum autem Decreti ejuſmodi eſt, videlicet:

Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctiſſimi D. N. Clementis, Divina Providentia Papæ XI. Prælatus Domeſticus, ejus Pontificio Solio Aſſiſtens, necnon Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem Conſultor, ac in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finitimiſque Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus cum facultate Legati de Latere &c.

Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apoſtolici Viſitatoris munere Nobis, licèt tanto oneri imparibus, injuncto, ea ſanè eſt præcipua, cum Nos huc miſſos eſſe conſideramus ad expurgandum Dominicum agrum à zizaniis novella Chriſti germina ſuffocantibus, & dealienis peccatis rationem eſſe reddi-

tu-

turos, qui æternam Dei ultionem pro noſtris nunquam ſatis expiandis juro formidamus: Quamobrem ſtatim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis noſtræ oculos per vaſtiſſimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum, Miſſionum neceſſitates undique inquirere curavimus, ut iiſdem pro viribus de opportuno remedio proſpiceremus. Et quidem meritò inter primas noſtræ ſollicitudini occurrerunt novæ Domini vineæ in Regnis Maduren ſi, & Maiſſur, recentiaſque Carnatenſi iiſdem ferè legibus, parique labore ab Evangelicis Societatis Jeſu Operariis Luſitanis, & Gallis plantatæ, ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium perſecutiones, ac inter tot vitæ aſperitates virentes germinant Evangelii palmites, aſſiduis Miſſionariorum ſudoribus irrigati; illuc ſanè fuiſſemus, non minùs laboris, quàm gaudii in Chriſto Jeſu participes eſſe vehementer cupientes, niſi hoc Nobis diuturna infirmitas prohibuiſſet. Quod autem per Nos ipſas immediatè obtinere non licuit, exhibitum erga Nos, & S. Sedem Apoſtolicam obſequium à Patribus Venantio Bouchet Carnatenſis Miſſionis Superiore, & Carolo Michaële Barcoldo Madurenſe Miſſionario, viris doctrina, & propagandæ Fidei zelo præſtantibus, opportunè ſuppeditavit. Eniſuverò eâm ab illis in moribus, lingua, & Religione iſtarum Regionum ex longa in his vitæ conſuetudine apprimè verſatis plura certiùs cognoverimus, quæ eoſdem palmites enerves reddant, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quàm viti, quæ eſt Chriſtus, in multo experimento tribulationis abundantiæ gaudii noſtri fuit. Rebus itaque maturo examini ſuppoſitis, dictiſque Patribus Cretenſi, ac inſcriptis ſuis ſæpè auditis, atque Dei ope publicis precibus imploratis, ut Fidei puritati, ſpiritualique Chriſtianorum proventui ſalubriter in Domino conſulamus, ut que fiat oblatio Gentilium ueceptu, & ſanctificata in Spiritu Sancto, ad præſens Decretum authoritate Apoſtolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

Et à Sacramentorum adminiſtratione exordium ſumentes, diſtrictè prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quàm adultis cujuſcumque ſexûs, & conditionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia palàm adhibeantur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſufflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, ac ob recondita in his ſacris cæremoniis Divinæ erga nos benitatis myſteria, ſanctè, & inviolabiliter cuſtodivit; Decreto Sanctæ Univerſalis Romanæ Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diverſas rationes & circumſtantias, minimè obſtante.

Item præcipimus, ut juxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſemper imponatur Baptizando à Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti, omnino interdictis nominibus Idolorum, vel falſæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenus appellari conſueverant, antequam eſſent per Baptiſmum Divinæ Gratiæ renati. Nec Parochi, ſeu Miſſionarii ſub quovis prætextu liceat, Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per tranſlata immutare, nec ea alio Idiomate explicare, niſi Latino, vel ſaltem Indico, quatenus voces Indicæ Regionis latinæ ſignificationi liquidò, & adamuſſim reſpondeant.

Et quia audivimus, Baptiſmum Infantium ex Chriſtianis Parentibus ortorum, eorumdem incuriâ ſæpe ſæpius diu protrahi, non ſine maximo dictorum Infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quàm fieri poſſit, attentis circumſtantiis, Genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant ſacro fonte abluendos.

Præterea cum moris hujus regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in ceteriori ætate, ex Genitorum conſenſu, matrimonium indiſſolubile de præſenti contrahant per impoſitionem Tally, ſeu aureæ teſſeræ nuptialis, uxoris collo penſilis, Miſſionariis mandamus, ne hujuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant, nec Sponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant, donec completa legitima ætate, & exploraco eorum conſenſu, in faciem Eccleſiæ, juxta formam à Sacro Concilio Tridentino præſcriptam, verum & Canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Tally præfert imaginem, licèt informem Pulleyaris, ſive Pyllajaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpoſiti: Cumque dedeceat Chriſtianas mulieres talem effigiem collo deferre in ſignum matrimonii, diſtrictè prohibemus, ne inpoſterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Taly, vel Sanctiſſimæ Crucis, vel Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quavis religioſa imagine ornato: Et cum ſuperſtitione non careat funiculus centum & octo filis compoſitus, & croceo ſucco delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

Cæremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum morem tot ſunt, tantòque ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non poſſet, quàm eas omnino interdicendo, cum undique noxio Gentilitatis labe ſcateant,

&

& difficillimum ſit eas à ſuperſtitioſis expurgare. At verò ut faciliori converſionum viæ, & Neophytorum commodo, quantùm fieri poteſt, in Domino indulgeamus, Miſſionariis, & præſertim Miſſionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeverioriquè calculo ſuper ſtitioſa omnia à dictis cæremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat, & ſignanter præter eas, quas audivimus jam ſtatutas in hac materia ab iiſdem Miſſionariis reformationes, ramus arboris Areſcomara omnino auferatur, ferculorum numerus, non minus ac tibi præſcripta qualitas, varietur, Circuli ſuper caput ſponſorum ad tollenda maleficia, omittantur; Et quod de ferculis diximus, de luteis vaſis ibidem adhiberi ſolitis à nobis dictum & prohibitum intelligatur; fructus etiam vulgò dictus Coteo, ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temerè ducunt, vel omninò à Chriſtianorum nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publicè, ſed ſecretò, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edoctis, ab hujuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt alieni.

Nullus ritè & ſufficienter diſpoſitus arceatur à Sacramento pœnitentiæ, ad peccatorum remiſſionem, tanquam inſtrumento divinæ Miſericordiæ, à Chriſto Domino inſtituto, & ſignanter mulieres menſtruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium, cum hæc Sacramentalis verâ animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda à Chriſtifidelibus, eorumque Paſtoribus, quibus præterea non licet nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec per alios quoſcumque, dictis mulieribus prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium, durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore. Decet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtatem primo vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, ac invereundè publicare, iiſque, Ethnicorum more & ritu, in ejus domum collectis, ſuper ve tam ſordida feſtum inſtituere; Quocirca hujuſmodi celebritates, & ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, & abolemus, Miſſionariiſque injungimus, ut non ſolùm eas, verùm etiam Genitores moneant, quàm diſſona ſit Virgini pudoris legibus hujuſmodi obſcena conſuetudo, quę à Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata puellarum verecundia, eas effrenatè ad libidinem provocare valeant.

Ferre pariter non paſſumus, quod à Mediciis ſpiritualibus pro animarum ſalute ea charitatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles, nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ, pro corporis ſalute præſtare non dedignantur Infirmis etiam abjectæ, & infimæ conditionis vulgò dictis Pareas. Quapropter diſtrictè mandamus Miſſionariis, ut, quantùm in ipſis erit, nemini è Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vilioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda relinquatur in infirmitate copia Confeſſarii; & ne ingraveſcentibus morbis, cum graviſſimo vitæ temporalis periculo, æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne Infirmos hujuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultis domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos invi ſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitę diſcrimine conſtitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, abſque perſonarum, aut ſexûs acceptione, expreſſè damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus etiam, Chriſtianos tympanorum pulſatores, Tibicines, aut alterius cujuſcumque muſici inſtrumenti ſonatores ad idolorum feſtivitates, & ſacrificia accerſiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſervitutis ſpeciem erga publicum ab ipſis contractæ per hujuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſionariis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere: Quocirca conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi hujuſmodi Chriſtifideles à Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne inpoſterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occaſione Sacrificiorum, tum quarumcumque ſolemnitatum, ſuperſtitioſo cultu imbutarum, ſonare, aut canere, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis Belial inſervire; Ideoque Miſſionarii non ſolùm eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verùm etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant, & publicè pœnitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

Declaramus præterea Pontificium Conſtitutionem Gregorii Papę XV. incipientem = Romanæ Sedis Antiſtes = ad petitionem Patrum Societatis Jeſu editam, qua indigenis Chriſtifidelibus lavacra non alia occaſione, & fine, quàm corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi, ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus à Gentilibus adhiberi ſolent, æquè afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non licet ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ad effectum, ut exiſtimentur Sanniaſ, ſeu Brachmanes, præ cæteris dedti hujuſ-

juſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim ſtatutis eorum horis, & ante, vel immediatè poſt quamcumque ſacram functionem.

Cineres itidem ex Vaccæ fœrcore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam à Rutren *inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere, ſive alia quæcumque ſigna albi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis Corporis parte utuntur, deferre prohibemus; Mandantes, ut Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, pilique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſè ſeventur tempore, ac modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet feria quarta Cinerum, & non aliàs.*

Et demum, quia ex librorum de falſa religione, & de rebus obſcœnis, ſuperſtitioſiſque tractantium lectu venenum ut plurimùm ſerpere ſolet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quàm mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, pro Indorum Chriſtifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulêre, vel novos pro illorum commodo, & inſtitutione compoſuerunt; iiſdem Chriſtifidelibus expreſè interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, niſi priùs habitâ licentiâ Parochi, ſeu Miſſionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros (ſi qui forte ſunt) noxia ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Chriſtianorum uſu eligendi, eorumque lecturam permittendi.

Ea igitur univerſa, & ſingula authoritate Apoſtolica, & tenore prædictis damnamus, ac diſtrictiori, quo poſſumus, modo prohibemus. Mandantes Patri Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæteriſque Superioribus Societatis Jeſu in Indiis Orientalibus, ut hoc noſtrum Decretum notificent ſingulis Miſſionariis, ſive aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus ſibi ſubjectis, illudque perpetuò, & inviolabiliter exequi faciant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ quoad Provinciales, & Superiores, & ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ quoad Subditos contrafacientes, ſeu aliter permittentes. Atque ita decernimus, & mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apoſtolica Sede, vel à Nobis ejuſdem authoritate provi-

ſum, inviolabiliter obſervari, non obſtantibus quibuſcumque.

Et ne ex bis, quæ expreſè præcepta, vel prohibita à nobis fuêre, facisum quis deducere valeat, in reliquis practicari ſolitis in iſtis Miſſionibus, noſtrum aſſenſum, ſeu approbationem, (cum plura forſan reformatione digna noſtram cognitionem effugerint, & alia maturius examen poſtulantia indeciſa remanſerint) hanc interpretationem omnino rejicimus, & menti noſtræ eſſe contrariam declaramus. Volumus autem juſtis de cauſis, ut hoc noſtrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur poſt illius traditionem à noſtro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis Jeſu in Indiis, cui propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ onus injungimus, quatuor ſimilia exemplaria tranſmittendi ad P. Provincialem Provinciæ Malabaricæ, ut ad Patres Superiores Miſſionum Madurenſis, & Maiſſur, & Carnatenſis, quibus poſt bimeſtre, & reliquis Miſſionariis poſt trimeſtre à die conſignationis faciendæ dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur. Datum Pudicheriî in Sancta Viſitatione Apoſtolica hac die 23. Junii 1704. & publicatum die 8. Julii ejuſdem anni 1704. per traditionem factam coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino per me Cancellarium infraſcriptum Rev. Patri Guidoni Tachard, Patrum Gallorum Societatis Jeſu in Indiis Orientalibus Superiori, præſentibus RR. Patribus Franciſco Laines, Superiore Miſſionis Madurenſis, ac Venantio Bouchet Superiore Miſſionis Carnatenſis.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Viſitator Apoſtolicus.

Andreas Candela S. Viſitationis Apoſtolicæ Cancellarius.

Quoniam autem de re maxima, eâque graviſſimâ agebatur, idem Antiochenus Patriarcha Litteris ſuis totam rei geſtæ ſeriem Apoſtolicæ Sedi exactiſſimè renuntiavit, latumque ab ſe Decretum ſupremo illius judicio ſubjecit. Quibus ad Urbem allatis Litteris, idem Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XI. ſupradictum Vicarii Apoſtolici Decretum ritè perpenſum, atque etiam in Congregatione S. Officii diligenti examini ſubjectum, in omnibus ſervandum, & exequendum eſſe ſtatuit, eâ tamen additâ clauſulâ = *Donec aliter à Sede Apoſtolicæ proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſi contenta in hujuſmodi Decreto afferendum habuerint.* = Ea Pontificis

ficis in Congregatione Sancti Officii reſolutio ſequentis eſt tenoris, videlicet:

Feria v. *Die* vii. *Januarii* 1706.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano, coram Sanctiſſimo D. N. *Clemente Divina Providentia Papa* XI. *, ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis* DD. *S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter relato tenore Decreti editi Pudicherii die 23. *Junii* 1704. *à D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiochæno Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico in Imperio Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon litterarum inde ſcriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempe die* 9. *Julii dicti anni* 1704. *ad præfatos Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos* DD *Cardinales, ac die* 10. *ejuſdem menſis ad R. P. D. Aſſeſſorem, diſertè ſuper iiſdem de more loquutus fuit. Auditis deinde Votis præfatorum* DD. *Cardinalium, dixit, referendum eſſe D. Patriarchæ, commendando illius prudentiam, ac zelum, & quod exactè obſervari debeant ea omnia, quæ in Decreto ſupradicto fuerunt ab ipſo præſcripta, donec aliter à Sede Apoſtolica proviſum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſus contenta in hujuſmodi Decreto aſſerendum habuerint.*

Juſſit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Conſultorem Joannem Damaſcenum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium reaſſumantur ea omnia, quæ circa nonnullos ritus, ut aſſeritur, ſuperſtitioſos Chriſtianis Malabaris in Indiis Orientalibus à quibuſdam Miſſionariis, ut prætenditur, permiſſos, jampridem ad eamdem Apoſtolicum Sedem delata fuerunt à Fratre Franciſco Maria Turonenſi Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Capucinorum Miſſionario illarum partium, ad hoc, ut idem Pater Conſultor de iis, quæ ſive à ſan. mem. Gregorio XV. in ſuis litteris die xxx1. *Januarii* 1623. *in forma Brevis deſuper expeditis, ſive ab eodem Domino Patriarcha in ſuo Decreto prædicto expreſſè damnata, vel prohibita non fuerint, conficiat Summarium, ſuper quo diſcuti, ac decerni valeat, quid ſit agendum.*

Quò verò ad quæſtionem de quibuſdam Ignobilibus, ac infimæ ſortis hominibus, qui in eiſdem Regionibus vocantur Pareas, *& à Nobilibus tamquam infames, & damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod ſeparatim examinari debeat.*

Verùm hanc providentiam, uberesque, quos inde ſpes erat proventuros, fructus fruſtratus eſt falſus rumor, qui paucos poſt annos per Indias increbuit, ipſum nempe Clementem XI. Prædeceſſorem, & relatum Patriarchæ Decretum revocaviſſe, & nonnullas ex iis cœremoniis adprobâſſe, quas ille tamquam ſuperſtitioſas, minimèque ferendas proſcripſerat. Cui falſo rumori curſum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI., utque omnibus manifeſta redderet animi ſui ſenſa, atque impugnatoribus Decretorum à Patriarcha prædicto editorum omne penitus effugium adimeret, quo à præſtanda eiſdem Decretis debita obedientia ſe ſubtrahere quoquo modo poſſent, die prima Septembris anni MDCCXII. extrahi ex Tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod prædicta die VII. Januarii anni MDCCVI. emanaverat, & ſuperiùs tranſcriptum eſt, illuduque Epiſcopo Meliapurenſi tranſmitti juſſit, ut ex eo, & is probè noſceret, & aliis etiam Epiſcopis, & Miſſionariis earum Regionum palam faceret, quid eouſque de Patriarchæ Anthiocheni Decreto Apoſtolica Sedes judicâſſet. Ac ne ullo modo Pontificiæ mentis Oraculum in dubium poſſet revocari, Decreti exemplo jungendas, alligandaſque voluit Litteras Apoſtolicas in forma Brevis, ut ſequitur:

Venerabilis Frater &c. Non ſine gravi animi noſtri moleſtia iſtis in partibus evulgatum fuiſſe audivimus, quod præſcripta in quodam Decreto die 23. *Junii* 1704. *Pudicherii edita à bon. mem. Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinenſis Imperii oras tranſmigraturus acceſſit, à Nobis reſciſſa, & abrogata, ac ſimul Cœremoniæ, & Ritus, qui eodem Decreto ſuperſtitionis labe infecti declarantur, vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac permiſſi fuerint. Cum autem maximè cupiamus, ut in re tanti momenti non modò Fraternitati tuæ, verùm etiam, Te curante, cæteris iſtarum Partium Antiſtitibus, ac Miſſionariis aperiè veritas innoteſcat, Tibi conjunctas folia à Notario Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſubſcripta, ac ejuſdem Inquiſitionis ſigno roborata, mittenda duximus, ex quibus abundè, ac luculenter intelliges, quænam ejuſmodi in rebus hactenus fuerit, & adhuc ſit noſtra mens, donec à Nobis, & Apoſtolica Sede aliter decernatur. Quod ſupereſt, Paſtorum Principem enixè rogamus, ut in arduis Paſtoralis Officii curis cæleſti ope ſua tibi jugiter adeſſe velit. Et Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem*

per-

peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 17. Septembris anni 1712. Pontificatûs noſtri anno duodecimo.

Quoniam autem unus & alter annus lapſus jam erat, nec dum conſtiterat Sancti Officii Decretum, Pontificiaſque Litteras Meliapurenſi Epiſcopo redditas fuiſſe, idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpoſitorum novum Decreti, Litterarumque exemplum Epiſcopo Claudiopolitano in Cucichenſi Provincia Apoſtolico Vicario die XXIV. Julii anni MDCCXIV. tranſmitti curavit, ipſique Pontificio nomine mandavit, ut, ſi fortè priores Litteræ deperiiſſent, aliâve de causâ Decreti promulgatio ſecuta non eſſet, caveret ipſe diligenter, ut poſteriores hæ ſaltem Meliapurenſi Epiſcopo juridicè redderentur, eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præſtare, aut reluctante, aut differente, idem ipſe Claudiopolitanus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis judicium, nullâ interpoſitâ morâ, executioni mandaret.

Cum tamen Patriarchæ Antiocheni Viſitatoris, & Commiſſarii Decretum confirmatum quidem fuiſſet, ſed eâ additâ reſervatione = *Donec aliter à Sede Apoſtolica provisum fuerit, poſtquam eos audierit, ſi qui erunt, qui aliquid adverſùs contenta in hujuſmodi Decreto offerendum habuerint* =; haud difficilem ſe præbuit Clemens XI. audiendis Miſſionariis, qui poſt Decreti confirmationem, aliiſque temporibus, Romam venerant, eorumque preces benignè excepit, quibus enixè petebant, ut cenſurarum, quæ in eo Decreto continebantur, ſuſpenſionem, unâque ſimul moderationem, aut ipſiuſmet Decreti interpretationem concederet: utque res maturiùs expediretur, auditis jam non ſemel Miſſionariis prædictis, Nobis in minoribus agentibus, Sanctæque Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris munus obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitus cognoſceremus, atque collectis, quæ ex utraque Parte afferebantur, rationum momentis, de illa ad S. Officii Congregationem pleniſſimè referremus. Hinc productis ex una Parte à Decreti impugnatoribus, factis, juriſque non exiguæ molis voluminibus, proditiſque antiquis, & recentibus documentis, quibus vetitas Decreto obſervantias ſuperſtitione vacare, omnique labe carere conabantur oſtendere: exhibitiſque ex alia, quæ Decreto favebant, rationibus multiplicibus, plenam inde hauſimus cauſæ totius cognitionem, eòque res, quod ad Nos attinebat, adducta erat, ut poſſemus jam de ea exactè referre. Verùm Clemente XI. vitâ functo, ejus Succeſſor ſel. pariter record. Innocentius Papa XIII. huic cauſæ cognoſcendæ peculiarem Congregationem ex lectiſſimis conflatam Viris, non minus integritate, quam prudentiâ, doctrinâque præſtantibus (quos inter Nos etiam, etſi prædictis qualitatibus minimè præditi, adſcripti fuimus) deputavit. Qui ſelecti Viri ſæpius, per duos, & amplius annos, inter ſe convenientes, communicatis conſiliis, longâ rerum indagine, & exquiſitâ adhibitâ diligentiâ, articulatim rem totam diſcuſſerunt, Partibus tam voce, quàm ſcripto iterum, ac ſæpius auditis. Cum autem eò res perveniſſet, Innocentio XIII. è vivis ſublato, ad Petri Cathedram evectus eſt ſan. mem. Benedictus Papa XIII., qui eorum omnium, quæ in hac cauſa geſta fuerant, certior apprimè factus, nec minori flagrans deſiderio eam ad optatum finem perducendi, ſupradictam Congregationem pro ejuſdem cauſæ recto expeditoque curſu ab Innocentio Deceſſore inſtitutam confirmavit, atque incœptum examen proſequi juſſit, eaque non multò poſt examini finem impoſuit.

His ita peractis, idem prælaudatus Pontifex Benedictus XIII., cauſa ad ſe avocatâ, Apoſtolicas Litteras in forma Brevis anno MDCCXVII. exeunte, ad univerſos Epiſcopos, & Miſſionarios Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dedit, quibus prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Turnonii Decretum obſervandum que præcepit. Litteræ ſunt hujusmodi, videlicet:

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad aures noſtras pervenit, vocationem Gentium, Eccleſiæque incrementa, propter ſubortas inter Operarios Evangelicæ Meſſis controverſias, magnis iſthic difficultatibus laborare. Quæ quidem eò graviorem Nobis dolorem attulerunt, quò remedia ſalubriter aliàs adhibita diutiùs à nonnullis repudiari intelleximus. Jam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarchæm tunc Antiochenum, cum poteſtate Legati de latere Apoſtolicum Viſitatorem, deinde hujus S. R. E. Cardinalem, plerasque adgliſcentes lites componendas, explicandaſque difficultates ſapienter præſcripta fuerant, Decreto condito Pudicherii in Sacra Viſitatione Apoſtolica die XXXIII.

menſis Junii anni MDCCIV. *die vero octava Julii ejuſdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquieſcentibus, de mente fel. record. Clementis XI. prædeceſſoris noſtri diverſa opinantibus, & evulgantibus, idem Prædeceſſor noſter, datis ad Ven. Fratrem Epiſcopum Meliapurenſem litteris die* XVII. *menſis Septembris anni* MDCCXII. *ſuam declaravit. Ut igitur noſtræ quoque ſollicitudinis partes ad controverſias avertendas, & ſalutem gentium concordibus ſtudiis faciliùs è Vobis procurandam adhibeamus, præſertim, ne quis ex ſilentio noſtro detractum aliquid eſſe ſuſpicetur mandatis, & declarationibus antedictis, laudati Anteceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, decreto ejuſdem Patriarchæ Antiocheni, noſtra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam, & obſervantiam ſimiliter mandamus, & requirimus. Decretum quoque de Sacramentis adminiſtrandis moribundis hominibus infimæ conditionis, quos* Pareas *appellant, ulteriori dilatione remotâ, pariter ſervari, & impleri præcipimus. Veſtrum autem erit, ut mandata per Anteceſſorem noſtrum, & per Nos ipſos Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, in omnibus confirmata, impigrè, & obſequenter facientes opus Dei, quod tanta eum animi alacritate ſuſcepiſtis, ritè, unanimiter, ſtudioſèque perficiatis. Ac vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. *Decembris* MDCCXXVII. *Pontificatûs noſtri anno Quarto.*

Tantùm verò abfuit, ut, qui pro Ritibus eo Decreto damnatis pugnabant, huic novæ ejuſdem Decreti confirmationi acquieſcerent, quin potiùs anno MDCCXXXII. Prædeceſſori noſtro Clementi Papæ XII. in Benedicti locum ſubrogato declaraverint, ſe nihil de nova confirmatione audiviſſe, neque aliquid, quod ad eam ſpectaret, Epiſcopis, & Miſſionariis Indiarum fuiſſe legitimè denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo poſtulaverint, ut, non obſtante Benedicti XIII. diſpoſitione, dignaretur hanc eandem cauſam denuo S. Officii Congregationis examini, & cognitioni ſubjicere: Et quamquam, earum Partium Miſſionariis cauſam finitam eſſe, & in rem judicatam abjiſſe reputantibus, ſeu excipientibus, non deeſſent, qui poſtulatis haud annuendum eſſe crederent, iisque adverſarentur, attamen idem Pontifex Clemens XII., ſupremum tandem acerrimis, & perniciosis diſſidiis finem fieri peroptans, ſupradictorum preces admittendas exiſtimavit, declaravitque in cauſa poſſe procedi. Quare totius materiæ inſtauratâ diſceptatione, & per duos fere annos continuatâ, documentis certis, & neceſſariis ex utraque Parte productis, factâque præſertim Decreti impugnatoribus ampliſſima facultate afferendi, quidquid in controverſum quemque Articulum deducendum, allegandumque è re ſua judicarent; poſt plures Congregationes habitas in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam à S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquiſitoribus per univerſam Chriſtianam Rempublicam deputatis, hi tandem, quid ipſorum judicio in controverſis Articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum eſſet, aperuerunt; eorumque reſolutiones probavit, confirmavitque prælaudatus Clemens Papa XII., illaſque inſerendas decrevit Apoſtolicis Litteris in forma Brevis, quibus Maduren ſibus, Mayſſuren ſibus, & Carnaten ſibus Epiſcopis, ac Miſſionariis Apoſtolica auctoritate mandavit, injunxitque, ut lata ab ſe decreta tum religiosè ipſi obſervarent, tum ab aliis omnibus ſummâ fide ac diligentiâ obſervari curarent. Litteræ in forma Brevis ſuot ſequeotis tenoris:

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Epiſcopis, & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Maduren ſi, Mayſſuren ſi, & Carnaten ſi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COmpertum, exploratumque Vobis eſſe non ambigimus, Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum poteſtate Legati à latere Apoſtolicum Commiſſarium, & Viſitatorem, deinde hujus S. R. E. Cardinalem de Tournon à Prædeceſſore noſtro fel. record. Clemente XI. ad Sinas anno 1702. *miſſum, ubi primùm ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus, & urgentibus Miſſionum in Regnis Maduren ſi, Mayſſuren ſi, & Carnaten ſi ſaluberrimè dirigendarum neceſſitatibus opportunè proſpiceret, conſtituiſſe die* 23. *menſis Junii anni* 1704. *Decreta nonnulla, quæ die* 8. *menſis Julii ejuſdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus, & dilectis Filiis, Epiſcopis, & ſacris Indiarum Orientalium Operariis, quibuſdam in iiſdem Decretis contentis minimè acquieſcentes, reclamaſſent, laudatus Prædeceſſor noſter Clemens XI. Litteris in forma Brevis ad Epiſcopum Meliaporenſem die* 17. *menſis Septembris anni* 1712. *datis, eorumdem Decretorum obedientiam, & obſervantiam tom-*

dem

diu requiſivit, ac mandavit, donec Apoſtolica hæc Sedes Cauſæ momentis fideliter relatis, & accuratiùs inſpectis, quæ noviſſet Juſtitiæ magis conſentaneas, & propagandæ Chriſtianæ Fidei magis idoneas providentiæ ſuæ viis, ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII. fel. record. iſidem Prædeceſſor noſter providè Clementis XI. Mandatis, declarationibus, atque veſtigiis inhærens, Litteris quoque in forma Brevis die 12. menſis Novembris anni 1727. datis memorata Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore ſimiliter munivit. Nos verò, qui planè immerentes ipſis Summis Pontificibus in Apoſtolico ſervitute ſucceſſimus, nihil optamus impenſiùs, quàm ut Sacroſancta Jeſu Chriſti Fides ampliùs in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut ſi quid fortè magnis ejuſdem incrementis, & propagationi occurrant impedimento, (Deo votis noſtris obſecundante) penitus auferantur. Itaque poſtquam neceſſaria, & certiora habuimus documenta, Theologorum, ac præſertim Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium per univerſam Chriſtianam Rempublicam Generalium Inquiſitorum ſuffragia exquiſivimus, quæque iidem Venerabiles Fratres noſtri Cardinales confirmando, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis remittenda Nobis conſulere decreverunt, ex ſequentibus Dubiis ble inſertis plenè vos digneſcetis.

Dubia pro Miſſionibus Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi exortâ occaſione Decreti clar. mem. R. P. D. Caroli Thomæ Maillari de Tournon Patriarchæ Antiocheni, poſtea S. R. E. Cardinalis, editi Pontiſcherii die 23. Junii 1704., propoſita in Congregationibus Generalibus S. Officii, habitis in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardidalibus Generalibus Inquiſitoribus, præſentibus DD. Conſultoribus, infraſcriptis diebus: Super quibus Dubiis iidem Eminentiſſimi ſuam protulerunt ſententiam, prout infrà, videlicet.

Feria 4. die 21. Januarii 1733.

Primum dubium = An, & quomodo Decretum clar. mem. Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis: Diſtrictè prohibemus, ne in baptizandis tam Pueris, quàm Adultis cujuſcumque ſexûs, & conditionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia pſalm adhibeantur, & ſignanter Saliva, Sal, & inſufflatio, quæ ex Apoſtolica Traditione Catholica Eccleſia recepit, & ob recondita in iis ſacris Cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis Myſteris, ſanctè, & inviolabiliter cuſtodivit, Decreto Sanctæ, & Univerſalis Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diverſas rationes & circumſtantias, minimè obſtante.

Eminentiſſimi dixerunt = Confirmandum eſſe Decretum Eminentiſs. Cardinalis de Tournon, ſed conſulendum Sanctiſſimo, quòd Miſſionariis Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis Diſpenſationem concedat ad Decennium duraturam, omittendi in collatione Baptiſmi Salivam, & occultè utendi inſufflationibus, in caſibus tamen particularibus, & in quibus gravis, & proportionata neceſſitas urgeat, ſuper qua conſcientia Miſſionariorum oneratur: dummodo non laborent errore habendi Salivam, & anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inſerviendum pro Sacramentalibus Cœremoniis in Baptiſmo, utpote omnino incapaces Baptiſmi; Eiſque Miſſionariis injungendum, ut debitam inſtructionem, aliaſque omnes poſſibiles diligentias adhibeant, ut averſio Populorum à Saliva, & Inſufflatione amoveatur, & de inſtructione, aliiſque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus Decennii certiorent.

Inſuper monendos eſſe Miſſionarios ſuper gravi négligentia non recurrendi ad Sanctam Sedem pro obtinenda facultate diſpenſandi, & malè ſe geſſiſſe Epiſcopos concedendo hujuſmodi diſpenſationem, inconſultâ Apoſtolica Sede.

Secundum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Item præcipimus, ut, juxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem, ſemper imponatur Baptizando à Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti, omnino interdictis Nominibus Idolorum, vel falſæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophiti hactenus appellari conſueverunt, antequam per Baptiſmum eſſent Divinæ Gratiæ renati.

Eminentiſſimi dixerunt = Moderandum eſſe Decretum, deleto verbo = *Præcipimus* = Cum clauſula = *Curent, quantùm fieri poteſt*; firmâ remanente Interdictione, quoad nomina Idolorum, & falſæ Religionis Pœnitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

Tertium Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Nec Parochis, ſeu Miſſionariis ſub quovis prætextu liceat Sanctiſſimæ Crucis, Sanctorum, & rerum ſacrarum nomina per tranſlata immutare, nec ea alio Idiomate explicare, niſi

La-

Latino, vel ſaltem Indico, quatenus voces Indicæ Regionis latinæ ſignificationi liquidò, & ad amuſſim reſpondeant.

Eminentiſſimi dixerunt = Quod ſervetur Decretum Eminentiſſimi de Tournon, & declaretur, non habere locum in vocibus, & nominibus jam ab Inſtitutione Miſſionis communiter receptis, quæ tamen per hanc declarationem nec approbantur, neque reprobantur.

Quartum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Et quia audivimus, Baptiſmum Infantium ex Chriſtianis Parentibus ortorum, eorumdem incuriâ, ſæpe ſæpiùs diu protrahi, non ſine maximo dictorum Infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut ſacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quàm fieri poſſit, attentis circumſtantiis, Genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant Sacro Fonte abluendos.

Eminintiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Quintum Dubium = An, & quomodo prædictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Præterea cùm moris hujuſmodi Regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriori ætate, ex Genitorum conſenſu, matrimonium indiſſolubile de præſenti contrahant per impoſitionem Taly, ſeu aureæ Teſſeræ Nuptialis Uxoris collo penſilis, Miſſionariis mandamus, ne hujuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant, nec Sponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant, donec completâ legitimâ ætate, & explorato eorum conſenſu, in faciem Eccleſiæ, juxta formam à Sac. Concilio Tridentino præſcriptam, verum & Canonicum Matrimonium contraxerint.

Eminentiſſimi dixerunt = Exequendum eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon, cum declaratione tamen, ſervandam eſſe formam pro Matrimoniis à Sac. Concilio Tridentino præſcriptam in locis, in quibus Decretum dicti Concilii in cap. primo ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. publicatum eſt, & impoſterum publicabitur, neque ejus obſervantia ſit impoſſibilis; & Miſſionarii curent, quantùm fieri poteſt, ut in omnibus locis Miſſionum illarum Partium dictum Decretum Concilii publicetur.

Sextum Dubium = An, & qnomodo dictum Decretum ſit exequendum in es parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Et quoniam apud Peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Taly præſeſert Imaginem, licèt infurmem, Pulleyaris, ſeu Pylleyaris, Idoli nuptialibus Ceremoniis præpoſiti; Cumque dedeceat Chriſtianas Mulieres talem effigiem collo deſerre in ſignum Matrimonii, diſtrictè prohibemus, nè impoſterum audeant Taly cum hac effigie collo appendere; & ne Uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Taly, vel Sanctiſſimæ Crucis, vel Sanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel Beatæ Virginis, vel aliâ quavis Religiosâ Imagine ornato.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon, quamvis Miſſionarii aſſerant, nunquam permiſiſſe geſtationem dicti Taly.

Septimum Dubium = An, & quomodo prædictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Et cum ſuperſtitione non careat Funiculus centum, & octo filis compoſitus, & croceo ſucco delinitus, quo plerique dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon.

Octavum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Cæremoniæ etiam Nuptiales juxta harum Regionum morem tot ſunt, tantâque ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non poſſit, quàm eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe ſcateant, & difficillimum ſit eas à ſuperſtitioſis expurgare. At verò, ut faciliori converſionum viæ, & Neophitorum commodo, quantùm fieri poteſt, in Domino indulgeamus, Miſſionariis, & præcipuè Miſſionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo, ſuperſtitioſa omnia à dictis Cæremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat, & ſignanter, præter eas, quas audivimus jam ſtatutas in hac materia ab iiſdem Miſſionariis reformationes, ramus arboris Areſciomara omnino auferatur, fereulorum numerus non minùs, ac cibi præſcripta qualitas varietur: Circuli ſuper caput Sponſorum ad tollenda maleficia omittantur; Et quod de ferculis diximus, de luteis Vaſis ibidem adhiberi ſolitis à nobis dictum, & prohibitum intelligatur.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Feria

Feria 4. Die 23. Julii 1733.

Nonum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Fructus etiam, vulgò dictus Cocco, ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temerè ducunt, vel omnino a Chriſtianorum Nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publicè, ſed ſecretò, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelicâ luce edocti, ab hujuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt immunes.

Eminentiſſimi dixerunt = Dilata.

Decimum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Nullus ritè, & ſufficienter diſpoſitus arceatur à Sacramento Pœnitentiæ, & ſignanter Mulieres menſtruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis, juxta morem Gentilium; Cum hæc Sacramentalis vera Animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda à Chriſtifidelibus, eorumque Paſtoribus, quibus præterea non liceat, nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec per alios quoſcumque, dictis Mulieribus prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium, durante dictâ infirmitate, & dictæ purificationis tempore.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Undecimum Dubium = An, & quomodo exequendum ſit dictum Decretum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Dedecet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtati prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, & inverecundè publicare, iiſque Ethnicorum more, & ritu in ejus domum collectis, ſuper re tam ſordida feſtum inſtituere; Quocirca hujuſmodi ſolemnitates, & ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, & abolemus, Miſſionariiſque injungimus, ut non ſolùm eas, verùm etiam Genitores moneant, quàm diſſona ſit virginei pudoris legibus ejuſmodi obſcæna conſuetudo, quæ à Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata Puellarum verecundiâ, eas effrenatè ad libidinem provocare valeant.

Eminentiſſimi dixerunt = Quod curent Miſſionarii abolere feſtum ſub titulo Menſtrui, ſed ſub titulo Nuptiarum tantùm permittant.

Feria 4. die 9. Septembris 1733.

Nonum Dubium ſupradicta die 22. Julii propoſitum, ſed non reſolutum = An, & quomodo prædictum Decretum ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Fructus etiam vulgò dictus Coeco, ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temerè ducunt, vel omnino à Chriſtianorum nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publicè, ſed ſecretò, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujuſmodi auſpiciorum deliramento ſunt immunes.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum prædicti Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Decimum ſecundum Dubium = An, & quomodò Decretum prædicti Emi Card. de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Ferre pariter non poſſumus, quod à Medicis Spiritualibus pro Animarum ſalute ea charitatis Officia denegentur, quæ Medici Gentiles, Nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ, pro Corporis ſalute præſtare non dedignantur Infirmis, licèt abjectæ, & infimæ conditionis, vulgò dictis Pareas. Quapropter diſtrictè mandamus Miſſionariis, ut, quantùm in ipſis erit, nemini è Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vilioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda relinquatur in Infirmitate copia Confeſſarii; & ne ingraveſcentibus morbis, cum graviſſimo vitæ corporalis periculo, æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne Infirmos hujuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent, ſed conſultiùs Domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, abſque Perſonarum, aut ſexûs acceptione, expreſsè damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi de Tournon: Præterea monendos Miſſionarios, quod neque ad Baptiſmum admittant Indos, qui in ea ſunt opinione, Pareas à Deo eſſe reprobatos, & ideo nullam poſſe ſperare ſalutem, niſi eam opinionem depoſuerint.

Decimum tertium Dubium = An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus, etiam Chriſtianos Tympanorum pulſatores, Tibicines, vel alterius cujuſcumque Muſi-

Muſici Inſtrumenti Sonatores ad Idolorum Feſtivitates, & Sacrificia accerſiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam ſervitutis ſpeciem erga Publicum ab ipſis contractæ per hujuſmodi artis exercitium, nec facile eſſe Miſſionariis, eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere; Quocirca, conſiderantes, quàm gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi hujuſmodi Chriſtifideles à Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis probibemus, ne impoſterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occaſione Sacrificiorum, tum quarumcumque Solemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum, ſonare, aut canere, ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, cum nullo modo liceat Chriſti famulis Belial inſervire; ideoque Miſſionarii non ſolùm eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verùm etiam illam omnino executioni demandare, & contraſacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Decimum quartum Dubium = An, & quomodo dictum Deerctum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV., incipien. = *Romanæ Sedis Antiſtes* = Ad petitionem PP. Societatis Jeſu editam, qua indigenis Chriſtifidelibus lavacra, non alia occaſione, & fine, quàm corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandis, ab Apoſtolica Sede promittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus à Gentilibus adhiberi ſolent, æquè afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa & fine, etiam ad effectum, ut exiſtimentur Ssnias, ſeu Brachmanes, præ cæteris dediti hujuſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim ſtatutis eorum horis, & ante, vel immediatè poſt quamcumque Sacram ſunctionem.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Feria 4. die 16. Septembris 1733.

Decimum quintum Dubium = An, & quomodo Decretum Cardinalis de Tournon ſit exequendum in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Cineres itidem ex Vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium Pœnitentiam *à Rutren* inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere, ſive quæcumque alia ſigna albi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre probibemus, mandantes, ut Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cinerem benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam religioſè ſerventur, tempore, ac modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet Feria 4. Cinerum, & non aliàs.

Eminentiſſimi dixerunt = Confirmandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon, ſervatâ in omnibus Conſtitutione Gregorii XV. edita die 31. Januarii 1623., quæ incipit: *Romanæ Sedis Antiſtes*.

Præterea Eminentiſſimi dixerunt = Quod fiat Decretum, quo imponatur Miſſionariis, cujuſcumque Ordinis, etiam Societatis Jeſu, in Partibus Infidelium degentibus, ne audeant permittere Ritus, vel Conſuetudines proprias Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbitrio vertere in Ritus, vel Conſuetudines Chriſtianæ Religionis, inconſultâ S. Sede; & Miſſionarii meminerint præceptionis Alexandri VII. in ſua Conſtitutione incipien. = *Sacroſanct.* 46. ſequentibus verbis expreſs. = Ne ob Inſtructionis defectum, qui Sacro Baptiſmate initiantur, immaculatam Chriſti legem profanis, ac gentilitiis Inſtitutis ex ignorantia fœdent, ac Idololatriam cum Orthodoxa Fide confundant, ut ſæpe inibi evenire nunciatum eſt; Caveant ii, qui iiſdem inſtruendis incumbunt, ne inpoſterum ullus ad Baptiſma admittatur, qui gentilitios mores prorsus non exuerit, & in fide non ſit ſufficienter inſtructus.

Decimum ſextum, & ultimum Dubium = An, & quomodo dictum Decretum exequendum ſit in ea parte, quæ eſt tenoris ſequentis = Et demum, quia ex librorum de falſa Religione, & de rebus obſcænis, & ſuperſtitioſis tractantium lectura, venenum, ut plurimùm, ſerpere ſolet ad Cor Fidelium, quo non minùs Fidei puritas offenditur, quàm mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros Sacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes pro Indorum Chriſtifidelium eruditione in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulêre, vel novos pro illorum commodo, & inſtitutione compoſuerunt, iiſdem Chriſtifidelibus expreſsè interdicimus, fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, niſi prius habitâ licentiâ Parochi, ſeu Miſſionarii curam Animarum exercentis, quorum prudentiæ

tiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros (ſi qui fortè ſunt) noxiâ ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Chriſtianorum uſu ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

Eminentiſſimi dixerunt = Servandum eſſe Decretum Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon.

Quibus dubiis, & eorum reſolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Dalmatiæ, Congregationis Sancti Officii Aſſeſſorem relatis, Reſolutiones ipſas planè approbantes, cuncta ea, quæ juxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittendis viſa ſunt, reſpectivè confirmavimus, moderavimus, declaravimus, & in nonnullis remiſimus: Quocirca, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Vobis injungimus, & mandamus, ut pro ſingulari veſtra in Nos atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quæcumque per haſce noſtras Litteras de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut præſcripta ſunt, ſanctiſſimè cuſtodiatis, atque ab omnibus ſervanda ſtudioſiſſimè curetis: Obſecrantes Vos in Domino per Viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, ut Controverſiis jam remotis, & omnino evulſis, alacres, atque animi noſtri ſenſibus concordes, ſtudia, & labores veſtros in Animarum ſalutem, quæ præſtantiſſimus veſtræ vocationis eſt finis, pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. *Auguſti* MDCCXXXIV. *Pontificatûs noſtri anno quinto.*

Poſt diutinam, accuratamque factorum atque rationum in utramque Partem diſceptationem, poſt tam ſolemne denique cauſæ judicium, in magnam ſpem venerat Apoſtolica Sedes, non ſecus ac Romæ litigiis finis erat impoſitus, ita & in Indiis tandem aliquando à diſcordiis, abuſibuſque ceſſatum iri; cum præſertim ii, qui Decretum impugnaverant, ſive illius æquitate cognitâ, ſeu moderationibus, declarationibus, & relaxationibus jam impetratis, ſatis ſibi factum exiſtimantes, non ſolùm æquo animo illud recepiſſent, ſed fidem quoque ſuam obligâſſent, ſe omnino operam daturos, ut quæcumque in Litteris Apoſtolicis eſſent præſcripta, integrè executioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apoſtolicæ Sedi non famâ ſolùm, ſed certis, graviſſimiſque teſtimoniis allatum erat, publicatas jam fuiſſe Pontificias Litteras, & ſubſcriptas ab omnibus Miſſionariis, & mutuum inter Partes perfectæ communionis, atque concordiæ vinculum redintegratum, quod multis annis non ſine ingenti Miſſionum damno inter illas fuerat interruptum.

At tam felicibus initiis conceptum gaudium ſtatim evanuit, triſtiſſimus ſiquidem nuntius quàm citiſſimè Sedi Apoſtolicæ allatus eſt, Miſſionarios ſcilicet, qui Cardinalis Turnonii Decretum impugnaverant, non obſtantibus Clementis XII. Litteris Apoſtolicis ſolemni formula ab iis acceptatis, publicatiſque, damnatos tamen ritus, ac cœremonias juxta earumdem Litterarum præſcriptum minimè aboleri poſſe cauſantes, tantùm ſibi licentiæ ſumere, ut eos, eaſque adhuc uſu permittere, & retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama inerebeſceret, præfatus Clemens Papa XII., ut debitum Pontificiis mandatis obſequium, & obſervantiam vindicaret, certamque redderet inpoſterum eorum, quæ in prædictis Pontificiis Litteris mandabantur, executionem, alteris in ſimili forma Brevis datis die XIII. Maji MDCCXXXIX. Apoſtolicis Litteris, earum Regionum Epiſcopis, & Miſſionariis præceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impoſitis, ut nedum exactiſſimè ſervarent, quæ in ſuis præmiſſis Litteris mandabantur, ſublatâ cuilibet ſecus interpretandi facultate, verùm ad id illicò ſe adſtringerent ſolemni jurejurando interpoſito, juxta formulas reſpectivè eiſdem præſcriptas. Litteræ in forma Brevis ſequentis ſunt tenoris:

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Epiſcopis & Apoſtolicis Miſſionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madureuſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COncredita Nobis Dominici Gregis cura continuò Nos urget, in id præcipuè, & tota ſollicitudine incumbere, ut ab iis maximè, qui ſortiti ſunt partem Miniſterii hujus, & in lucem Gentium ſunt miſſi, ergo S. Sedem, ac Apoſtolica mandata filiale obſequium exhibeatur, utque Fidei dogmata, ſacroſque Eccleſiæ ritus, & ipſi integerrimè retineant, & alios edoceant, ut, quos locorum immenſa ſpatia à Petri Sede longè disjungunt, eos tamen Fides eadem in unitate ſpiritûs & doctrinæ conglutinet. Alias itaque per ſingulas Litteras noſtras ſub datum 24. Auguſti 1734. incipientes = Compertum, exploratumque = *Fraternitatem Veſtram, omneſque Miſſionarios eò majori, quo potuimus, Paterno charitatis affectu requiſivimus, & declaravimus,*

quàm impendiè expotaremus, ut, qui in Regnis iſtis Chriſti Fidei veritatem agnoſcentes ſubvertuntur, ſuperſtitioſos Gentilium ritus omnino abjicerent, atque averſarentur, ne habeantur & ipſi odinſtar eorum, qui = Cum Dominum colerent, Diis quoque ſerviebant juxta conſuetudines Gentium = *utque in re tanti momenti nulla eſſet offendiculi occaſio, auditis Theologorum, ac præſertim Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium &c. Inquiſitorum ſuffragiis, plura, juxta dubia tunc propoſita, providè ſtatuimus, & à Miſſionariis obſervanda præſcripſimus; Quorum omnium in Nos obſervantia, ac ſtudium amplificandæ Fidei in certam ſpem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare ſatagant, nec ullus erit, qui deteſtabili indulgentia aliter fieri poſſe cogitet, &, veluti infideles filii* = Peccare eos faciant peccatum magnum = *Sanè etſi hiſce mediis muneri Noſtro ſatisfeciſſe, ac ſine ſollicitudine eſſe ſuaderent, attamen rei momentum, à qua Fidei puritas, atque integritas pendet, nunquam hanc in nobis curam delebit, niſi ad magnitudinem negotii opportuniora ſemper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Veſtris, & Miſſionariis omnibus, quibus prædictas Noſtras Litteras direximus, ſive Sæculares, ſive Regulares cujuſcumque Religionis, Congregationis, Inſtituti, Societatis, etiam Jeſu, fuerint, demandamus, & præcipimus, ut omnia & ſingula, quæ in dictis noſtris Litteris continentur, integrè, exactè, ac inviolabiliter obſervetis, atque ab eis, quorum cura ad eos ſpectat, remotâ penitus quavis aliter interpretandi poteſtate, adamuſſim obſervari faciatis, in virtute ſanctæ obedientiæ ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & reſpectivè excommunicationis latæ ſententiæ, à quo nemo Veſtrûm à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, excepto tantùm mortis articulo, abſolvi poſſit; & quoad Regulares inſuper privationis vocis activæ, & paſſivæ etiam ipſo facto, & ſine ulla alia declaratione incurrendæ. Itidem ſub iiſdem pœnis, & cenſuris pari auctoritate præcipimus, & mandamus, ut omnes, & ſinguli, qui ab hac Sancta Sede, ſive ab eorum reſpectivè Superioribus, ad iſta Regna ſacris obeundis Miſſionibus miſſi erunt, ſtatim, ac de hiſce Litteris noſtris certiores facti fuerint, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habuerint, juramentum præſtetis, integrè, exactè, ac omnimodò implere, quæ providè à Nobis in iiſdem Litteris conſtituta fuerunt, neque illis ulla in parte quovis ſub prætextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus ſuſcepturi erunt, mandamus, ac præcipimus ſub iiſdem omnibus cenſuris, & pœnis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, niſi antea & ipſi juramentum prædictum præſtiterint, quin nec tanquam Presbyteri Sæculares ab Ordinariis Locorum deputati, ſeu veluti ſimplices Religioſi, vel quovis alio titulo, & nomine, Chriſtifidelium Confeſſiones excipere, Conciones habere, aut Sacramenta miniſtrare, ſed omni prorſus careant poteſtate, derogando quibuſvis privilegiis, ſibi ipſis, aut veſtræ reſpectivè Religioni, Ordini, Congregationi, & Societati, etiam Jeſu, ſpecialiter, aut generaliter à Nobis, & à Prædeceſſoribus noſtris, quacumque ex cauſa conceſſis. Juramenta prædicta ſæculares Miſſionarios coram Locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apoſtolicis Vicariis præſtare demandamus, Vicarios verò ipſos, & Superiores in manibus Epiſcoporum. Nec eadem tantùm verbo proferre, ſed ſcripto juxta formam per Nos præſcriptam, & infra notandam, ac propria manu ſubſignare teneamini ſub iiſdem cenſuris, & pœnis. Hoc etiam juramentum præſtandum fore mandamus, & requirimus ab illis, qui ad Epiſcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipſomet die, quo in manibus Epiſcoporum ſolemnem emiſſuri erunt Fidei profeſſionem, vel in actu eorum conſecrationis. Quorum juramentorum ſubſignata exemplaria, relictâ iſthic in Archiviis authentica copia, ad Congregationem de Propagandâ Fide, per Epiſcopos, & Superiores Regulares reſpectivè tranſmitti volumus, à qua ad illam S. Officii remittantur, ut ſint obſequii erga Nos, noſtræque juſtiones, puritatis, integritatiſque Fidei veſtræ monumenta. Ne verò tam Litterarum noſtrarum ſub prædicta die 24. Auguſti 1734. quàm præſentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates veſtras, ac in Domino obteſtamur, ut, quò primum illas, atque præſentes receperitis, ſtatim publicare faciatis, ac ad ſingulos Miſſionarios, ſive Sæculares, ſive Regulares fuerint, ſub veſtra reſpectivè juriſdictione degentes, eaſdem tranſmittatis. Hoc ipſum præcipimus Apoſtolicis Vicariis, aliiſque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipſo facto pœnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; Regulares autem excommunicationis latæ ſententiæ, privationis Officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ.*

Formula autem juramenti, ſicut præmittitur, à Miſſionariis præſtandi, eſt, quæ ſequitur, videlicet = Ego N. Ordinis N., ſeu Societatis Jeſu Miſſionarius ad Regnum N., vel ad Provinciam N. in Indiis Orientalibus à Sede Apoſtolica, vel à meis Superioribus, juxta facultates eis à Sede Apoſtolica

lica conceſſas miſſus, vel deſtinatus, parendo præcepto Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Clementis XII. per Literas Apoſtolicas in forma Brevis datas die 13. Maii anno 1739. injuncto omnibus Miſſionariis in dictis Miſſionibus, præſtandi juramentum fideliter ſervandi diſpoſitionem Apoſtolicam circa ritus Malabaricos ad formam Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri die 24. Auguſti 1734. incipien. = *Compertum exploratumque* = mihi per integram ejuſdem Brevis lectuam optimè noto, promitto, me plenè, & fideliter pariturum, illudque exactè, integrè, abſolutè, & inviolabiliter obſervaturum, & abſque ulla tergiverſatione adimpleturum, necnon ad formam dicti Brevis inſtructurum Chriſtianos mihi commiſſos tam in Concionibus, quàm in privatis inſtructionibus, ac præſertim Cathecumenos, antequam baptizentur, & niſi promittant obſervantiam dicti Brevis, ejuſque diſpoſitionum, & prohibitionum, me ipſos non baptizaturum, prout quoque curaturum omni ſtudio, quo potero, ac omni diligentia, ut ſublatis Gentium cæremoniis, illi à Chriſtianis ſuſcipiantur, & retineantur ritus, quos Catholica Eccleſia piè præſcripſit. Si autem (quod Deus avertat) in toto, vel in parte contravenerim, toties pœnis à Sanctiſſimo Domino Noſtro impoſitis in Decreto, ſeu Literis Apoſtolicis, ut ſuprà, ſuper præſtatione hujus juramenti, mihi pariter per integram lecturam notis, me ſubjectum agnoſco, & declaro. Ita tactis SS. Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc SS. Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

Formula verò juramenti, ut ſupra, præſtandi ab Epiſcopis, eſt, quæ ſequitur, videlicet = Ego N. Epiſcopus Civitatis N. memor juramenti a me præſtiti in actu meæ ſolemnis Conſecrationis, quo Romano Pontifici fidem, ſubjectionem, & obedientiam promiſi, tum inſuper eorum, quæ providè ſanxit Clemens XII. Pontifex Maximus circa ritus Malabaricos in Literis Apoſtolicis in forma Brevis, Epiſcopis, & Miſſionariis uſque ſub die 24. Auguſti 1734. tranſmiſſis, parendo mandatis Sanctitatis Suæ per alias ſimiles Literas die 13. Maji anno 1739. injunctis, ut in argumentum meæ erga Apoſtolicam Sedem obedientiæ non minùs, quàm filialis obſequii me jurisjurandi Religione obſtringam, juro, & promitto, me plenè, & fideliter eaſdem Literas Apoſtolicas ſub dicta die 24. Auguſti 1734 executurum, atque ea, quæ in illis præſcripta ſunt, exactè, integrè, abſolutè, ac inviolabiliter obſervaturum, curaturum pariter, quantùm in me erit, ut ii omnes, qui mea in Diœceſi Miſſionarii, & Sacerdotes ſunt, vel futuri erunt, illas eodem prorſus modo in omnibus ſervent, atque exequantur, & contra inobedientes, ſi qui fuerint, me proceſſurum ad formam Brevis ſub die 13. Maji anno 1739., ut tandem ſublatis Gentium cæremoniis, illi à Chriſtianis recipiantur ritus, quos Catholica Eccleſia piè præſcripſit, ac jugiter ſervat. Utque de hac mea voluntate, juramento, filialique obſequio erga Romanum Pontificem, ejuſque mandata perenne exiſtat monumentum, propria manu me ſubſcribo.

Ego N. Epiſcopus N.

Cæterùm, etſi magna Nobis ſpes ſit, Fraternitates Veſtras, & Miſſionarios omnes noſtras voces, & monita excipere diligenter, ac filiali obſequio exequi, curam inſuper ſollicitudinemque plurimam gerere, ut tam Orthodoxæ Religionis puritati, integritatique, quàm Gentium ſaluti adjumento ſciti, omneſque in hanc unicam rem, maximam utique, labores, ſudoreſque conferre, ut tandem, quà Chriſti ampleƈtuntur Fidem, ſuperſtitioſos averſentur ritus, eoſque tantùm ſuſcipiant, & retineant, quos Catholica Eccleſia piè præſcripſit, ac jugiter ſervat; attamen pro Paſtoralis Officii debito, ac Paternæ Charitatis ſtimulo, iterum, iterumque commonere non deſiſtimus; ne à Paſtorum Principe in cuſtodia Gregis ſui minùs vigiláſſe dijudicemur; & Vobis interim in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIII. *Maji* MDCCXXXIX. *Pontificatûs Noſtri Anno Nono.*

Haſce Clementis XII. Litteras aliæ ſubſecutæ ſunt prænominatis earum Regionum Epiſcopis peculiariter inſcriptæ, quibus idem Pontifex & conceptum animo intimum dolorem, ob nondum ſibi delatam certam exoptatamque notitiam de præſtita Apoſtolicis mandatis debita obſervantia, gravibus verbis patefecit, & eorundem Epiſcoporum zelum, ac religionem excitare curavit, ut ipſi exemplo ac diligentia ſua præeuntes, cæterorum obedientiam ſollicitè promoverent. Harum Litterarum hujuſmodi exemplum eſt:

Venerabilibus Fratribus Epiſcopis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COntinere labia noſtra non poſſumus, quin Vos Venerabiles Fratres Apoſtolica voce iterum alloquamur; Moleſte Nos, imò graviter ferre, uſque adhuc certam denunciationem minimè accepiſſe, qui tandem exitus contigerit Noſtris Litteris, quas die 24. Auguſti 1734. Vobis, & Miſſionariis iſthic commorantibus dedimus. Sanè tacturnitas hæc curarum, & anguſtiæ noſtro paterno erga Vos amori cauſa eſt, tum & maximè quia, incertæ licèt, ſparſæ hic ſunt voces, eaſdem Noſtras Litteras, & Decreta in publicum ab omnibus minimè poſita fuiſſe, nec exactè, prout oportet, adimpleri, quin non deeſſe aliquos, qui diverſa opinantes, ac loquentes, adducunt diſcipulos poſt ſe. Quare primùm Fraternitatem Veſtram ex animo requirimus, ut quemodo iſthic res ſe habeat, quamprimum renuncietis, ne longior tarditas acerbiorem Nobis offerat moleſtiam; deinde firma ſpe ducimur, zelo Dei Vos impellente, in doctrina ſana nobiſcum exſurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, cui ſe addixerunt, ſedulò caveant, ac diligenter proſpiciant, ne culpa eorum = Gentes iſtæ ſint timentes Dominum, ſed nihilominus & Idolis ſuis ſervientes = Hac de cauſa alteras miſimus Litteras Fraternitatibus Veſtris, atque Miſſionariis, quibus gravioribus ſub pœnis demandamus, ut noſtræ voluntatis ſenſibus, & Decretis obediant, & opere compleant. Ne verò, ut hactenus, unus alterum incuſet, & Nos qui licèt præſentes iſthic ſpiritu, corpore tamen abſentes, ſuſpenſos incerti nunciis diu retineant, Juramentum ab unoquoque ex Miſſionariis propria manu ſubſignandum, expetere duximus, quò quiſque profiteatur Noſtris juſſionibus promptam. atque exactam præſtare obedientiam, prout latiùs in iiſdem Litteris continetur. Hoc etſi tutò Nobis polliceamur pro omnium pietate, & religione, attamen plurimùm collatura erit Fraternitatum Veſtrarum exempli auctoritas, quoties idem Jurisjurandi ſacramentum, in certum ergà S. Sedem, & in Nos obſequii veſtri teſtimonium præſtitiſſe, atque Nobis miſiſſe Vos intelligant, prout in Domino etiam, atque etiam obteſtamur. Porro hanc unam eſſe detegendæ veritati viam, unum præſidium ad obſtruendum os loquentium iniqua, Vosmet facilè cognoſcere non dubitamus: quare Pontificiam voluntatem, cæteroquin in Vos propenſam, magis, magiſque Vobis devincietis, ſi induſtriæ, cogitationi, ſtudio denique veſtro vim addatis exemplo; nec janè verendum, quin eam reverentiam, quam, ſuſpicientes Epiſcopale munus, huic S. Sedi, & Apoſtolicis mandatis ſpopondiſtis, hac tamen opportuna occaſione explicaturi luculentiùs eritis, ut, quos ad Juramentum proferendum Vos adire obſtringimus, ex facto etiam veſtro obedire præceptis Noſtris arctiùs impellantur; ac Vobis Venerabiles Fratres tin perpetuum amoris Noſtri pignus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. *Maji* MDCCXXXIX. *Pontificatûs Noſtri Anno Nono.*

Neque verò his, quamvis adeo enucleatè præſcriptis, planè contentus idem Clemens Papa XII., Superiores quoque Generales Miſſionariorum in Orientalibus Indiis degentium, eorum præſertim, qui, ut Apoſtolicæ Sedi relatum erat, detrectabant adhuc obſequentis animi erga ejuſdem Sedis mandata, certa argumenta exhibere, adſtrinxit, eoſque ſub pœnis ſuſpenſionis à Divinis, privationis vocis activæ & paſſivæ, aliiſque gravioribus arbitrio ſuo reſervatis, Apoſtolicæ etiam Sedis indignationis, formali præcepto, eoque juridicè indicto, adegit ad tranſmittenda ſuis reſpectivè Religioſis exempla Apoſtolicarum Litterarum à ſe tunc editarum, atque ad earum publicationem, & exactam, integram, inviolabilemque obſervantiam pro viribus præcipiendam, ea lege addita, ut, ſi aliquis eſſet è Miſſionariis, qui mandatis reluctaretur, aut contra facere auderet, ſolemni ſtatim præcepto per Superiorem Generalem cogeretur, relictis Miſſionibus, è Provincia decedere, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, terminum annorum trium conſtituit, intra quem Superiores Generales prædicti tenerentur certis, authenticiſque documentis Sedi Apoſtolicæ plenam atque integram Decretorum Litterarumque obſervantiam indubitatè probare, atque præſertim exempla jurisjurandi, ut præfertur, præſtandi, propria uniuſcujuſque Miſſionarii manu, cujuſcumque fuerit Inſtituti, ſubſcripta exhibere.

His ita conſtitutis, atque mandatis obtemperantes omnes Epiſcopi & Miſſionarii Apoſtolici Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis Turnonii Decretum ſteterant, ſide data, ſacramentoque in-

interpoſito, exactam, integram, abſolutam, inviolabilemque obſervantiam Litterarum, quarum ſuperius exemplum inſertum eſt, quodque incipit *Compertum exploratumque*, promiſerunt ſecundùm formulas aliis in Litteris Pontificiis expreſſas, quæ pariter enunciatæ jam ſunt, quæque incipiunt *Concredita Nobis Dominici Gregis*. Utque ſuum Nobis ad Pontificatûs apicem evectis, Sanctæque Sedi fidele obſequium, & ſubmiſſionem certo probarent argumento, ad manus noſtras exempla reddi curârunt ſolemnis jurisjurandi, quod ſinguli præſtiterunt.

Hunc igitur fructum ex prudenti conſtantique, quam hactenus recenſuimus, Prædeceſſorum Noſtrorum agendi ratione Nobis colligere datum eſt: neque jam temerè videmur hanc animo ſpem concepiſſe, ut quæ cumque dubia ſuper executione eorum, quæ ab iiſdem Prædeceſſoribus præſcripta memoravimus, adhuc reliqua ſunt, reſolutis, ut infra, propoſitis quæſtionibus, penitus ſubmovcantur; omneſque demum inter ſacros iſtarum Regionum Operarios diſſenſiones & controverſiæ compoſitæ conticeſcant, atque Apoſtolica mandata & Decreta, quæ, gravi præmiſſâ ponderatione, ac de conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum in tota Republica Chriſtiana in negociis Fidei Generalium Inquiſitorum ſpecialiter deputatorum, aliorumque Virorum pietate ac doctrinâ præſtantium, harum ſerie edituri ſumus, pari obedientiæ alacritate ab omnibus iſtarum Partium Miſſionariis excipiantur, ac debitæ executioni demandentur.

Nonnulli ſiquidem, poſtquam Litteris ſuis profeſſi ſunt ſervatas ab ſe fuiſſe Apoſtolicas Litteras *Compertum exploratumque*, ſeque accuſatos idcirco perperam fuiſſe tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas, atque extremas animi anguſtias ſe eſſe conjectos, ob Jurisjurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliaſque graviſſimas pœnas, quibus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu obligati ſunt, atque obnoxii; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris & periculi ſocietate verſantur, ad ſublevandas ſuas, ut ajunt, oneratas, trepidanteſque conſcientias, atque ad plurimorum Chriſtianorum ſalutem, qui recenter converſi perſecutionum procellis aſſiduè conflictantur, in tuto collocandam, tria à Nobis flagitârunt.

Primum illud eſt, ut onere ſubleventur (quod quidem onus graviſſimum, intolerandumque appellant) tot juramentorum, cenſurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conſcientiæ vinciuntur, quibuſque ſit, ut propriæ amittendæ ſalutis periculo expoſiti, de aliena procuranda cogitationem prope omnem deponere cogantur.

Alterum, ut diſpenſatio aliàs concella ſuper inſufflationum, atque ſalivæ ritu, in Sacramento Baptiſmatis miniſtrando, prorogetur, eò vel maxime, quod non tali lege ſit hujuſmodi ritus inductus, in quo diſpenſatio locum habere non poſſit; imò, ut ea concedatur neceſſarium eſſe ajunt, ad conſervandam prorogandamque diſſeminatam jam, ac diffuſam Fidem in vaſtiſſimis illis Regionibus, quarum Incolæ ingenito veluti horrore, ſeu potius invcterato, & communi præjudicio, ita ſalivam averſantur, ut de eo evellendo prope jam ſit ab eis deſperatum.

Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio præcepti à Cardinali Turnonio Miſſionariis graviſſimè injuncti, atque ab Apoſtolica Sede confirmati, eiſque inculcati, ut abjectiſſimum hominum genus, vulgò *Pareas*, minimè deſerant, ſed cum domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos inviſant, eiſque, cum opus fuerit, Sacramenta miniſtrent, omnibuſque erga eos charitatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, ſine aliqua præfati Decreti declaratione, pernicicm eis, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederunt, imminere prorſus arbitrantur, Gentiliumque ad Fidem converſionem impoſſibilem penitus evaſuram. Itaque eorundem Parearum ſaluti pruvidendum eſſe rentur, non adigendo Sacros Operarios ad ingrediendum eorum Domos, quod certè, ut aſſerunt, exitio Miſſionibus foret, ſed aliâ ratione; atque ea potiſſimùm, quam ipſi primò induxerunt, quaque uſi ſunt poſt Apoſtolicas etiam Litteras promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque*, obtentu verbalis cujuſdsm declarationis, quam ipſis ſuus Miſſionum Procurator ſignificaverat.

Rumore itaque ad Nos allato de hujuſmodi vocali declaratione, quæ Clementi Papæ XII. Prædeceſſori noſtro tribuebatur, & cujus etiam exemplum monumentumque in Actis, & Tabulario Sanctæ Inquiſitionis relatum fuiſſe atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve hujuſmodi diligentiſſimè exquiri mandavimus. Cumque illud nuſquam inventum ſit, longâ licet atque exactiſſima indagine inveſtigatum; eum etiam Adminiſtri, quorum cuſtodiæ mandandum fuerat, ea de re per Noſmetipſos interrogati, nihil hujuſmodi à ſe viſum, nihil auditum fuiſſe, & nunquam ad ſe perveniſſe prædictam declarationem, propterea que & in Actis, & in Archivo deſiderari conſtanter, & indubitatè affirmaverint: eum denique ipſius Noſtri Prædeceſſoris ea de re mentem, atque ſententiam in Apoſtolicis ejus Litteris ſuprà relatis luce ipſa clarius expreſ-

preſſam, exploratamque haberemus, totum hoc graviſſimum & inveteratum negotium, cum approbatione & conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, ut ſuprà, deputatorum, tandem dijudicare ac definire deliberavimus. Auditiſque propterea tum eorundem Venerabilium Fratrum Noſtrorum, tum etiam Conſultorum ſententiis, ac rurſus ad trutinam revocatis, & coram Nobis multùm, diuque perpenſis atque diſcuſſis moderationibus illis, quas poſtulârunt à Nobis illi, qui duram atque difficilem Decretorum toties enunciatorum integram abſolutamque obſervantiam exiſtimârunt, in hunc, qui ſequitur, modum, ſtatuimus, atque decrevimus.

Ac primò quidem, animadvertentes impoſitam Jurisjurandi legem eſſe veluti ſaluberrimum antidotum extinguendo gliſcentium litium, diſcordiarumque veneno, aptiſſimumque ad cohibendam licentiam, libetatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi & periculoſa frænum exiſtere; Cenſuras quoque à prædicto Clemente XII. Prædeceſſore Noſtro in enunciatis Litteris, incipientibus *Concredito Nobis* conſtitutas, ad ſolos dumtaxat pertinere Apoſtolicæ legis præceptorum violatores, eoſdemque in hujuſmodi tantùm refractarios, quorum animos neque Eccleſiaſticæ manſuetudinis officia, neque paternæ admonitionis charitas vincere, aut inflectere ullo modo poſſent, juſtiſſimam pœnam eſſe & fore reputantes, non ſolùm inopportunum cenſuimus Jusjurandum aliqua in parte remittere, aut moderari Cenſuras; quod primò fuit ab illis propoſitum, verùm etiam de prædicto conſilio & aſſenſu, ac de plenitudine Poteſtatis à Deo Nobis concreditæ, illud, illſque probamus, confirmamus, & innovamus, illudque, & illas omne robur & firmamentum, omnemque vim & efficaciam in poſterum ſemper habere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & ineonculsè obſervari decernimus & jubemus.

Quod autem attinet ad ſecundam poſtulationem de proroganda ſupradicta diſpenſatione, quam Prædeceſſor Noſter in decennium conceſſit, ut ſcilicet per id temporis, in Sacramento Baptiſmatis conferendo, ſalivæ uſu abſtinere, & ſacras inſufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indiſtinctè, ſed ubi gravis aliqua, & certa neceſſitas poſtularet, ut luculentiùs in ejuſdem Litteris Apoſtolicis, quarum initium *Compertum, exploratumque* expreſſum eſt, Nos declarare ſatis non poſſumus, quàm ægrè feramus, quod nullis adhuc certis indiciis, aut argumentis cognoſcere potuerimus, utrum Miſſionarii per id decenſii tempus, quod jam elapſum eſſe dignoſcitur, ad Apoſtolicarum Litterarum præſcriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque eâ, quâ par erat, fide, ac diligentiâ, omne ſuum ſtudium, operamque adhibuerint, ut vanus ille horror, & parum æqua averſatio prædictorum Sacramentalium, quæ Gentium illarum animis inſidere fertur, ſenſim emendata, demum ab eiſdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat, Sacramentalium, de quibus agitur, uſum, ſive inſtitutionis antiquitas, ex qua Ritus illi in Eccleſiam derivati ſunt, ſive multiplex myſteriorum ſignificatio, quæ in illis continetur, ſive demum Romanæ Eccleſiæ omnium Magiſtræ ſpectetur auctoritas, quæ eoſdem in ſuis Ritualibus receptos inviolabiliter obſervari præcepit, jure, ac merito venerandum eſſe, præcipuoque ſemper in honore habendum, & conſequenter incapacem prorſus recipiendæ Baptiſmatis Gratiæ eum eſſe, qui falsò ſibi perſuaſerit, inſufflationes, atque ſalivam aptam haud eſſe materiam Sacramentalium cæremoniarum, graviſſimique piaculi expertem non futurum, qui ſic opinanti conferre illud auderet.

Et quamquam exploratum eſſet, Gentes illas hoc pravo errore minimè detineri, ſed ob id tantùm à prædictorum Sacramentalium uſu abhorrere, quod ingenitâ quadam, ut ferunt, averſione ſalivam anhelitumque abominentur, non minori tamen induſtria Sacris Miniſtris adnitendum eſt, ut ex earum animis perperam conceptum horrorem, ineptamque averſionem eliminent, atque ablegent: aliter timendum meritò eſſet, ne illarum Regionum Neophiti, confirmata in ipſorum mentibus hujuſmodi abominatione, eouſque deſipiant, ut eandem etiam transferant ad miracula, quæ per ſalivam Chriſtus Redemptor Noſter edidit, ipſumque propterea miraculorum, & ſalutis noſtræ Auctorem, quò nihil profectò magis impium excogitari poteſt, averſentur. Utque alia prætereamus, illud tandem non diutiùs eſt differendum, ut in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Baptiſmi Sacramentum ritè, ſanctèque miniſtretur, iiſdem adhibitis Sacramentalibus, & cæremoniis, quibus Romana utitur Eccleſia, ex qua ad Gentes illas Fidei lux propagata eſt, dediſcantque tandem novelli Regionum illarum Fideles id horrere, quod Deus dignatus eſt facere.

Verumtamen, ut memorata Sacramentalium prædictorum abominatio ſuaviter, levi-

leviterque ex eorum animis divelli poſſit, neve hujuſmodi lex, quæ Sacramentalium uſum præſcribit, ad nimiam in ſpeciem ſeveritatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quæ ex illa, tamquam è fonte, in Eccleſias, atque Miſſiones dimanaturæ denunciantur, Nos enarratis de cauſis diſpenſationem, quam Prædeceſſor Noſter in Litteris jam relatis conceſſit, iterum concedendam, prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod à die datæ præſentis Noſtræ Apoſtolicæ Conſtitutionis eſt inchoandum.

Ex quo fas eſt intelligere, non eam eſſe, aut fuiſſe noſtram, & Apoſtolicæ Sedis ſententiam, quod ſcilicet nullus diſpenſationi locus eſſe poſſit in hujuſmodi Sacrorum Rituum, & Sacramentalium materia, nec ulla diſpenſandi neceſſitas, aut ſufficiens cauſa unquam valeat allegari. Verùm, quum ex rationibus ſuperiùs allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeo Ritus, ac traditum à Patribus, ſanctèque ab Eccleſia ſervatum hujuſmodi Sacramentalium uſum, penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel jam conceptis amplius confirmandis, occaſionem præberi; idcirco omnibus dictorum Regnorum Miſſionariis diſtrictè præcipimus, ut hac diſpenſatione benignè à Nobis indulta, nonniſi certis in caſibus, & cum gravis id neceſſitas poſtulabit, de quo eorum conſcientiam oneramus, utantur, nec niſi in prædictis caſibus ſalivæ uſum in adminiſtratione Baptiſmatis poſſint omittere, & occultas adhibere inſufflationes, modo ii, qui ſe baptizandos offerunt, in ea non ſint opinione, ut credant ſalivam, atque inſufflationes hujuſmodi ineptam eſſe, atque indecentem Sacramentalis Ritûs materiam; qui enim adeò falſa, atque diſtorta perſuaſione imbuti eſſent, tamquam indigni, & incapaces Sacramenti Baptiſmatis licitè ſuſcipiendi, ab eo repellendi eſſent. Volumus autem, atque omnibus, & ſingulis prædictorum Regnorum Epiſcopis, & Miſſionariis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & expreſiè jubemus, ut & communibus ſtudiis, atque conſiliis, & ſinguli pro viribus parte, intra præfinitum decennii tempus, omnibus viribus, nerviſque contendant, & quemadmodum fuerat eiſdem à ſa. me. Prædeceſſore Noſtro imperatum, non intermiſſis laboribus aſſiduè curent, ut ex illarum Gentium animis errorum tenebræ, maleſanæque opiniones, quibus obcæcantur, & miſerrimè detinentur, penitus diſcuſſæ, ac radicitùs evulſæ eliminentur. Ut verò indultum, prorogatumque à Nobis tempus Sanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ cæremoniis prædictis, quæ tamdiu à Sede Apoſtolica commendatæ, atque inculcatæ fuerunt, faciliùs apud Nationes illas inſinuandis verè conducat, utque ulterior hujuſmodi Rituum prætermiſſio (quam tamen extra veræ neceſſitatis caſus, ut ſuprà, nullatenus conceſſam, aut licitam eſſe, iterùm declaramus), alendis Populorum erroribus, atque difficultatibus augendis, confirmandiſque anſam non præbeat, univerſis Gentium illarum Epiſcopis, & Miſſionariis prædictis notum eſſe volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quæ porrigi, proferrique unquam poſſent, aliam denuo prorogationem conceſſum iri.

Ad tertium denique quod pertinet poſtulatum, ut nempe apertius, atque diſtinctius declaretur Decreti articulus, quo laudatus bo. me. Carolus Thomas Cardinalis Turnonius ſancivit, ut Miſſionarii ad Parœas ægrotantes accedant, ut Sacramenta deſiderantibus etiam domi adminiſtrent, ut denique illis omnia præſtent ſpiritualia ſubſidia, quæ Charitas, Religio, & Officii ratio Evangelicis Operariis nullo diſcrimine, nulloque reſpectu, Fidelibus univerſis, adverſa præſertim valetudine conflictatis, adminiſtranda præſcribunt: nemo profectò non videt, quantumvis maximæ proponantur difficultates, in quas incurrere Miſſionarii ſe poſſe dicunt, ſi huic præcepto tam juſto, tam ſancto parere velint, ferendum tamen nullo modo eſſe, quod Caſas humiliorum hujuſmodi hominum ex morbo decumbentium ſubire recuſent, atque illos in ſummo etiam vitæ diſcrimine, aut Sacramentis omnino carere ſinant, aut ſaltem eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum eſt perſonarum acceptio; nec ullum deſpicere fas eſt eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem ſibi conjunctos, non confunditur Fratres vocare; quin imò *elegit Deus pauperes in hoc Mundo, divites in Fide, & hæredes Regni, quod repromiſit diligentibus ſe.* Quæ qui contemnunt, exhonorantes pauperem, & Fratrem humilem confundentes in humilitate ſua, hi porro longè nimis diſcedunt à doctrina, & exemplo Chriſti Domini Salvatoris Noſtri, qui Nos non Divina tantùm voce, ſed magnis etiam, atque illuſtribus factis edocuit, quanti apud Nos eſſe debeant, qui pauperes, atque abjecti per Mundi inſaniam vocantur; *Ecce enim*, ajebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad Filium Reguli, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem Servi. Certè ſi nos cujuſpiam Servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis neſtro ſuperbia in cogitatione tacita reſponderet dicens: non eas, quia temetipſum degenerat,*

ras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de Cælo venit, qui Servo in Terram occurrere non despicit.

Quare, ut gravissimo huic malo remedium afferrent Prædecessores nostri Romani Pontifices Gregorius XV., Alexander VII., & Clemens IX. in suis Apostolicis Litteris die XXXI. Januarii anno MDCXXIII., die XVIII. Januarii anni MDCLVIII, & die XIII. Septembris MDCLXIX. respectivè datis, omni animorum contentione, atque zelo obtinere curârunt (quod & Nos eorum vestigiis inhærentes summopere optamus, & quantùm in Domino possumus, districtè præcipimus, & mandamus), ut Nobiles cum Plebeis in unam, eandemque Ecclesiam convenientes, unâ simul Divini verbi pabulo reficerentur, & Ecclesiæ Sacramenta reciperent, utque Missionarii Regnorum, Provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii memores, ita animo essent comparati, atque dispositi, ut non secus, ac Nobilibus, abjectis quoque, & infimæ sortis hominibus, in iis, quæ ad spiritualem eorum profectum pertinent, præstò essent, illisque in propriis etiam domibus, etsi humillimis, ac sordidis, Sacrum Viaticum ministrare minimè recusarent. At, quod maximè Nos angit, sive ob immodicum illum horrorem, quo claro genere nati infimæ Plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque, & gradu cadere sibi persuadeant (qui tamen horror, cum sit Christi lege damnatus, è Christianorom animis omnino est eliminandus) sive ob patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, quibus Christiani in iis Regionibus subjecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit; frustra certe fuerunt Prædecessorum nostrorum consilia, paternæ exhortationes; præcepta demum, queis usi sunt, ut infimi hujus generis hominum conversioni, ac saluti procurandæ, quantùm optaverant, plenè consulerent, atque providerent.

Cum verò & Nos, Christi Domini documentis, Prædecessorumque Nostrorum exemplo excitati, anxiè cogitaremus, quâ ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eisdem Prædecessoribus Nostris tantopere cordi fuit; opportunè accidit, ut Societatis Jesu Missionarii, quorum villicationi Regnorum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis Missiones potissimùm concreditæ sunt, postquam declarari à Nobis articulum de Pareis postulârunt, paratos se Nobis obtulerint, pollicitique sint, modò id Nos ipsi probaremus, certos aliquos delegare Missionarios, qui Pareis convertendis, dirigendisque præcipuè dent operam. Quod quidem eorum consilium, quo Parearum conversioni, & saluti satis bene consultum fore confidimus, paterno gaudio suscipientes, pro temporum circumstantiis probandum, commendandumque esse duximus, oblationisque Nobis factæ, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Præposito Generali subscriptum in hujus Romanæ, atque Universalis Inquisitionis Tabularium referri, perpetuò asservari mandavimus.

Præmonemus itaque in primis Partium illarum Missionarios universos, ut, quæ Apostolici eorum ministerii erga Fideles omnes ex Divina institutione potissimæ partes sunt, minimè obliviscantur, ac serió perpendentes, quod inter eos, qui Filii Dei sunt, per Fidem, quæ est in Christo Jesu, juxta doctrinam Apostoli, jam non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes unum sunt in Christo Jesu; quod ipse quoque Salvator noster à Deo Patre suo postulaverat pro omnibus, qui crediturі erant per verbum Discipulorum in ipsum, rogans nimirum = *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in Nobis unum sint, ut credat Mundus, quia tu me misisti* =; novos credentes instruant, oportere illos eo mutuæ charitatis vinculo inter se se colligari, ex qua veluti tessera, & Divini Filii ab æterno Patre missionem, & Christianæ Religionis veritatem facilè Gentiles agnoscant.

Deinde verò tot statim pro Pareis Missionarios deputari volumus, & præcipimus, quot necessarii, & reipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda; qui peculari studio eorumdem domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitæ discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniendos, absque Personarum, aut sexûs exceptione. Ubi verò contigerit præfatos Missionarios ad Parearum curam præcipuè deputatos, aut eorum aliquem, è vivis excedere, vel aliò abire, alterum alterius loco continuò subrogari mandamus; & intra spatium quinquennii à die præsentium certissima, & authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicæ Sedi reddi debere præcipimus. Quod si intra quinquennii spatium hujusmodi documenta reddita minimè fuerint, vel iis redditis minimè constiterit alios Missionarios ad præcipuam illam Parearum curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum, quos vel objisse, vel alia de causa officio deesse contigerit: tum etiam, si intra spatium annorum decem omnes non fuissent adhibitæ diligentiæ, quæ tam à Prædecessoribus nostris,

ſtris, quàm à Nobis ipſis ſuperiùs præſcriptæ ſunt, ad evincendum, expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum inſuſflationes, atque Salivam in Sacramenti Baptiſmatis adminiſtratione, & ſuſceptione, averſari dicuntur: de quo tamen minimè dubitare Nos ſinit filialis obedientia, quam ii præ cæteris Miſſionarii in Apoſtolicam Sedem ſe profiteri gloriantur; aut denique, ſi omnes adhibitæ diligentiæ fruſtra ceſſiſſent: quod ſecus fore confidimus, dum mentis noſtræ oculos ad Miſericordiarum Patrem, totiuſque conſolationis Deum, cujus agitur cauſa, convertimus, in quemcumque eventum, ne Miſſiones illas tot Virorum laboribus, ac ſanguine fundatas deſeramus, à quo ſanè longiſſimè abſumus, decernimus, & mandamus, ut alii Miſſionarii ſive ſæculares, ſive Regulares ex alio cœtu, vel inſtituto, in ea Regna mittantur, ut experiamur, num Deus, cujus incomprehenſibilia ſunt judicia, in aliorum Operariorum villicationem, divitias miſericordiæ ſuæ effundere decreverit, eorumque labore, atque induſtria illos fructus in præfatis Regionibus, & Gentibus producere, quos Miſſionariorum nunc ibi laborantium ſudoribus, nullâ licèt ipſorum culpâ, vel omiſſione, conſequi non potuerimus.

Et quamquam confidimus prædictos Miſſionarios nunc & pro tempore ibi exiſtentes, pro ſuo erga Apoſtolicam Sedem obſequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum juſſionibus Noſtris obſtaculum, aut impedimentum allaturos, ſi, dum ipſi in iis Regionibus commorantur, eò novi Miſſionarii accederent, ibique verſarentur, tamen quoniam Apoſtolici muneris id à Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quæ Chriſtianæ charitati offendiculo eſſe poſſent; hinc eſt, quod Societatis Jeſu Miſſionariis, qui in Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Regnis tunc erunt, virtute ſanctæ obedientiæ jubemus, atque præcipimus, ut quicumque caſus ex ſupradictis evenerit, quo vel omnia, vel aliqua ex his, quæ per præſentes Litteras Noſtras circa præmiſſa decrevimus, & obſervari mandavimus, intra præfinitum reſpectivè tempus, integrè exactèque, ut par eſt, impleta non fuerint, ſive id ex eorum facto, ſive ex omiſſione, ſive ex prava, & contra litteralem earumdem præſentium ſenſum diſtortâ mentis, & voluntatis noſtræ interpretatione, ſive demum ex qualibet alia cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, id contigerit, ſtatim relictis prædictarum Regionum Miſſionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, & quocumque titulo, etiam Deputatorum ab Epiſcopis, ſeu Locorum, aut ſimplicium ſuæ Religionis Presbyterorum, ſeu qualibet alio colore proſequendarum, jure omni, officio, & facultate ex eo tempore inpoſterum jam nunc eos à Nobis privatos, & imminutos declaramus, atque ex nunc, prout ex tunc, & contra, auctoritate Apoſtolica, & earumdem præſentium tenore privamus, & imminuimus, illicò, non expectatâ aliâ noſtrâ, & Sedis Apoſtolicæ declaratione, juſſione, aut ſententia, in Europam revertantur, uberiores, ut ſperamus, in hiſce Partibus fructus relaturi.

Demum, etſi ii Miſſionarii, qui moderandas cenſuras, diſpenſandum ſuper inſuſflationum, & Salivæ Ritu in Sacramento Baptiſmatis adminiſtrando, atque articulum de Pareis declarandum poſtulaverunt, nil difficultatis præſetulerint circa alia capita Decreti prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Turnonii, & Apoſtolicarum Litterarum Clementis Papæ XII., quarum initium *Compertum, exploratumque*, ex aliorum nihilominus Litteris ingenti Noſtro dolore accepimus, ex Miſſionariis alios eſſe, qui nullâ habitâ interdicti à præfato Cardinali Turnonio lati, ampliſſimèque à Prædeceſſore noſtro confirmati ratione, eouſque progrediuntur, ut Chriſtianis Mulieribus geſtare permittant monile collo ſuſpenſum, contracti teſſeram Matrimonii, quod Regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quandam habet informem Idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis præſidere fertur; ipſiſque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis nuptiæ celebrantur, permittant fructum, vulgò *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc, ut futurorum inde auſpicia vel fauſta, vel infauſta deſumant: Mulieribus demum, cum menſibus detinentur, Templi acceſſum, & ſalutare Pœnitentiæ Sacramentum interdicant. Quamobrem Nos animo reputantes quàm ſit execrandum, Mulieres illas, quæ ſub Crucis vexillo militant, ornatas incedere hujuſmodi inſignibus, quæ aut idololatriam importent, aut de Gentilitatis ſuperſtitione ſuſpecta ſint, prout dubio procul eſt memoratum *Taly*, neceſſario proinde damnatum: quamque Chriſtifideles dedeceat, ritus, cœremoniaſque ſequi, vel imitari, ethnicam ſuperſtitionem redolentes, quâ certè non vacat illa nuptiarum tempore in prædictis Regionibus uſitata præfati *Cocco* diffractio, quæ idcirco jure & merito pariter reprobata dignoſcitur; quàm denique juſtum ſit, menſium tempore minimè arcere Templis, & ſalutari Pœnitentiæ Sacramento fideles Mulieres, quas laudabili praxi admittit Eccleſia, Redemptoris veſtigiis inſiſtens, qui ſanguinis fluxu laborantem non abjecit: *Si enim*, ut olim ſcripſit laudatus S. Gregorius Magnus, *in ſanguinis fluxu poſita laudabiliter*

potuit Domini veſtimenta tangere, cur, quæ mucſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini Eccleſiam intrare?

Hæc, inquam, reputantes, ac relatis & minimè ferendis abuſibus, pro Apoſtolici muneris ratione remedium adhibere quammaximè cupientes, mandamus & virtute ſanctæ obedientiæ tenore præſentis noſtræ Conſtitutionis, perpetuæ legis vim habituræ, jubemus, atque omnibus & ſingulis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ex quocumque ſint Ordine, Congregatione, Inſtituto, nominatimque ex Societate, etiam Jeſu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi exiſtentibus Apoſtolicis Miſſionariis, ut omnia & ſingula, quæ in ſuprà inſertis Clementis Papæ XII. Litteris, quarum Initium *Compertum explaratumque*, quas etiam auctoritate noſtra, quatenus opus ſit, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus, contenta ſunt, tam quæ ſupradicta capita reſpiciunt, quam alia quæcumque per eaſdem Litteras præſcripta & definita, ad eorum normam, quæ idem Prædeceſſor Noſter alteris pariter ſuperiùs inſertis Apoſtolicis Litteris, incipientibus *Concreditæ nobis*, conſtituit & ſanxit, non ſolùm ipſi pro virili parte integrè, exactè, abſolutè, inviolabiliter, perpetuòque obſervent, atque adimpleant, verùm etiam, quantùm in ipſis eſt, ut ab univerſis Fidelibus, qui eorum curæ ſunt concrediti, exactè ſerventur & impleantur, omni ſtudio ac viribus curent, atque contendant.

Denique eoſdem Epiſcopos & Miſſionarios omnes rogamus, & obſecramus per Dominum Jeſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritûs, ut nihil aliud ſapientes, præter id, quod à Nobis, & à Prædeceſſoribus Noſtris conſtitutum ſunt, ſaluiare Dei, quod per eorum miniſterium Regionum iſtarum Gentibus miſſum eſt, pari zelo ac puritate propagare non intermittant, omnique ſtudio dent operam, ut nedum in novellis Chriſtifidelibus veteris hominis veſtigia penitus expurgentur, deleanturque, verùm etiam quæcumque vel ſymbola, vel imagines, aut figuræ, atque omnis demum ſpecies mala, ipſaque veluti umbra, & odor ethnicæ ſuperſtitionis ab ipſis eliminentur, illud cogitantes, ejuſmodi cœremoniis, vaniſque obſervationibus, quæ Idololatriæ reliquiæ ſunt, earum Gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetuſtos ali, confirmarique errores, quibus miſerè detinebantur. Quod ſi aliquos Regionum illarum Fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut perſecutiones, propter Eccleſiæ præceptorum, & Rituum obſervantiam, formidare conſpexerint, illud ipſis illuſtre monitum, quod Sanctus Auguſtinus Eccleſiæ Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non deſinant: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur*; quodque ad ipſos Evangelii præcones præcipuè dictum eſſe dignoſcitur: *Si quæritis, unde ad vitam vocentur; deſerite ſolemnitates eorum, deſerite nugas ipſorum.*

Volumus autem, atque decernimus, eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Miſſionarii, eorumque Procuratores, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatûs, gradûs, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanaverint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; ſed ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis à Sede præfata conceſſorum privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſa opponi, ſeu objici poſſent, minimè refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eaſque propterea, omnibus, & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus, & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes,

tes, & futuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, &, quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, & quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus, quantumcumque longiſſimis & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prædictis, aliiſve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus & ſpecialiſſimâ mentione dignis, à Sede prædicta ex quacumque cauſa, etiam per viam contractûs, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque Perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliâque qualibet mundanâ, vel Eccleſiaſticâ dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, exorimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectus, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Quia verò difficile foret, Litteras hujuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem, tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Inſuper volumus, & expreſè mandamus, ut eædem præſentes Litteræ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus & ſingulis memoratorum Miſſionariorum, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc, ut tam ſuo, quàm prædictorum eis reſpectivè Subditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas Litteras fideliter exequi, & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis hujuſmodi inſcriptis reddant; earum verò exempla prædicta, præter ea, quæ à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, ad Epiſcopos prædictorum Regnorum, legitimè publicanda, de mandato pariter noſtro, tranſmittentur, iidem Superiores, aut Procuratores Generales pluribus viis, quantò citiùs fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos Subditos, ſeu. Inferiores in Regnis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis eaſdem Litteras, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi.

Et nihilominus, quocumque modo earumdem præſentium exempla in prædictis Regnis legitimè publicata fuerint, & promulgata, volumus, ut ſtatim poſt hujuſmodi publicationem, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, præceptorum, mandati, ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo

quarto, pridie Idus Septembris, Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

En Bull. ſuprad. pag. 396.

Juriſdictionem Epiſcoporum in Regulares, eorumque Eccleſias in Indiis Orientalibus firmat, Conſtitutionem S. Pii V. incipien. = *Exponi Nobis* = quâ Regularibus in Indiis maris Oceani curam animarum independenter ab Ordinariis exercere indulſit, infirmat, & S. Concilii Decreta ac Conſtitutiones hac in re editas in omnibus Indiarum Orientalium Regionibus obſervari mandat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

QUamvis ad confirmandum Eccleſiaſtici regiminis ordinem, ſuperiori Pontificatûs Noſtri anno, videlicet octavo Idus Novembris MDCCXLIV., Apoſtolicas Litteras ediderimus, quarum initium eſt = *Firmandis, atque aſſerendis*, in quibus non modò Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Decretis, ac Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutionibus inhærentes, juriſdictionem Epiſcoporum in omnes & quoſcumque Regulares Animarum curam perſonarum ſæcularium exercentes conſtabilivimus, verum etiam, judicia ſequentes in peculiaribus controverſiis prolata à Congregationibus Generalibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Eccleſiaſticis diſcutiendis negociis auctoritate Apoſtolica præpoſitorum, certos & congruos limites conſtituimus, quibus tum Epiſcopalis auctoritas in prædictorum Regularium Eccleſiaſtat. que perſonas, tum exemptiones in hujuſmodi rerum genere ab ipſis Regularibus prætenſæ, & pluribus in caſibus eiſdem debitæ, continerentur: Has tamen alteras pari auctoritate Litteras adjicere compellimur, ut hac ipſa in re Parochialium etiam Eccleſiarum, quæ in Indiarum Regionibus ſunt, optimo regimini, atque utiliori adminiſtrationi, quantùm eum Domino poſſumus, ſimiliter conſulamus.

Sanè ubicumque Animarum cura perſonarum ſæcularium adnexa ſit Monaſteriis ſeu Domibus Regularium Virorum ſive Mulierum, quicumque hujuſmodi curam exerceat, ſive is Regularis, ſive ſæcularis Sacerdos exiſtat, in his, quæ pertinent ad ipſam curam, & ad Sacramentorum adminiſtrationem, Epiſcopi Diœceſani juriſdictioni, viſitationi, & correctioni ſubeſſe debet, ipſo jubente Sacro Tridentino Concilio *ſeſſ.* 25. *cap.* 11: *de Regularibus*, per hæc verba = *In Monaſteriis, ſive Domibus Virorum, ſeu Mulierum, quibus immineat Animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum Familia, perſonæ tam Regulares, quàm Seculares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam Curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt sita* = Cujus etiam Concilii providentiâ ulteriùs ſtatutum eſt, ut nemo ad animarum curam in prædictis Eccleſiis, etiam ad tempus, ſive amovibiliter ad nutum, exercendam, admittatur vel deputetur, abſque conſenſu Epiſcopi, & ſine examine coram ipſo, vel coram ipſius Vicario, antea faciendo; ſic enim decrevit = *Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo.*

Equidem aliàs beatæ memoriæ Prædeceſſori Noſtro Sancto Pio Papæ V. ex parte claræ memoriæ Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quod in partibus Indiarum Maris Oceani, propter deficientiam Presbyterorum, Officia & munia Parochialia à Religioſis Viris exercebantur, qui magno animarum fructu, Indorum converſiones promovebant, & Eccleſiæ Sacramenta eiſdem adminiſtrando, ac Verbum Dei prædicando & explicando, Religioni ac pietati utilem navabant operam; idem Pius Prædeceſſor ſupplicationibus ſuper hoc ex parte dicti Philippi Regis humiliter ſibi porrectis inclinatus, per ſuas Litteras incipien. = *Exponi Nobis* = datas apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Martii anno MDLXVII., omnibus & ſingulis Religioſis, quorumcumque, etiam Mendicantium, Ordinum, in dictis Indiarum partibus, in eorumdem Ordinum Monaſteriis, vel de ſuorum Superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipſarum partium eis de ſimili licentia aſſignatis, vel aſſignandis, Officium Parochi, Matrimonia celebrando, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando, prout eatenùs conſueverant, (dummodo ipſi in reliquis ejuſdem Concilii Tridentini formam obſervarent) exercere, & Verbum Dei,

Dei, quatenus Indorum illarum partium Idioma intelligerent, de ſuorum Superiorum licentia, in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, prædicare, ac confeſſiones audire, liberè, & licitè vslerent, ſeclusâ etiam Ordinariorum Locorum licentiâ, per hæc expreſſa verba = *Ordinariorum Locorum & aliorum quorumcumque licentiâ minimè requiſitu* =, facultatem, auctoritate Apoſtolica conceſſit & indulſit: Volens inſuper, & eadem auctoritate ſtatuens = *Ne in locis dictarum partium, in quibus eſſent Monaſteria Religioſorum, qui Animorum curam exercerent, aliquod per Epiſcopos innovaretur.*

Verùm hujuſmodi Privilegium ſive Indultum à Sancto Pio Prædeceſſore, ut præfertur, conceſſum, immutatis forſan rerum circumſtantiis, executione & effectu caruiſſe oportet. Siquidem apertè conſpicimus Epiſcopos prædictarum Regionum, non multos poſt annos, ſuam in præmiſſis auctoritatem & juriſdictionem reſumpſiſſe. Etenim in prima Synodo Provinciali Limana anno Domini MDLXXXII. celebrata, præſidente in ea Synodo S. Turribio, tunc, dum in humanis agebat, Eccleſiæ Limanæ Archiepiſcopo, ipſius Synodi *Cap.* 16. ita expreſsè cautum reperimus = *Nullus poſthac Clericus Parochiam Indorum abſque Epiſcopi collatione ſuſcipiat, vel adminiſtret: qui aliàs ſuſceperit, etiamſi proprio Rectore Parochia deſtituta ſit, anathemate feriatur. Idem à Regularibus obſervetur* = Eidemque Limanæ Synodo conſonat Provincialis itidem Synodus Mexicana anno Domini MDLXXXV. ſub bonæ memoriæ Petro de Moja de Contreras Archiepiſcopo congregata, & ſucceſſivè, nempe anno MDLXXXIX. ab Apoſtolica Sede examinata, & approbata, quæ ſub Titulo = *De Viſitatione propriæ Provinciæ* §. 3. ſtatuit, ut infra, videlicet = *Viſitent Epiſcopi Eccleſias, & quas Doctrinas vocant, ſeu conditiones, ubi Religioſi commorantur &c. Viſitent etiam Religioſos in prædictis Doctrinis, ſeu Conditionibus degentes, quoad Animarum curam, quam exercent, eoſque paterno zelo corrigant, eorum honori & bonæ famæ proſpiciant, atque id omne præſtent, quod ad effectum hujuſmodi neceſſarium ſit, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini* = Collimantibus in eumdem ſcopum bis, quæ præſcribuntur inferiùs *Tit. de Regularibus & Monialibus* §. 19. ibi = *Juxta id, quod à Concilio Tridentino decretum eſt, & per Sebedam Regiæ Majeſtatis diſpoſitum, Regulares, qui Indorum curam gerunt, ab Ordinariis viſitari, eiſdemque Subditi eſſe debent, tam quoad Doctrinam edocendam, quàm quoad Sacramenta adminiſtranda.*

Quamvis verò ſubinde à piæ mem. Gregorio Papa XIV. Prædeceſſore quoque Noſtro aliæ Apoſtolicæ Litteræ, quarum initium eſt = *Quantum Animarum* =, aliæque incipientes = *Exponi Nobis* =, de anno MDXCI. emanaverint, per quas ſuperiùs relatæ Sancti Pii Prædeceſſoris Litteræ confirmatæ ſuerint, & innovatæ; quum tamen felicis recordation. Prædeceſſor pariter Noſter Clemens Papa VIII., per ſuas Litteras in ſimili forma Brevis ſub die VIII. Novembris anni MDCI. expeditas, quæ incipiunt = *Religioſorum quorumcumque* = in forma ſpecifica confirmaverit, & approbaverit reſolutionem Congregationis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, per quam firmatum extiterat, *Regularibus, qui ab eorum Superioribus nominati, & à Locorum Ordinariis, ſeu eorum Officialibus approbati*, ad Animarum curam in Indiarum partibus exercendam, *ob penuriam Sacerdotum ſæcularium*, mittentur, non quidem habendos & reputandos eſſe, tanquam Regulares extra Clauſtra vitam degentes; ſiquidem aliquot per ſingulas hebdomadas diebus ab Eccleſiis ſibi commiſſis diſcedentes, in propriis Religioſis domibus verſabantur, ſed *in concurrentibus Curam Animarum, Ordinario Loci ſubeſſe; in reliquis verò, non Ordinario Loci, ſed ſuis Superioribus ſubjectos remanere, de quorum licentia extra Clauſtra degunt.* Quum deinde ſimilis recordationis Gregorius Papa XV. etiam Noſter Prædeceſſor in ſua generali, & perpetuò valitura Conſtitutione, quæ incipit = *Inſcrutabili* = per quam omnes indiſtinctè Regulares Animarum curam ſæcularium perſonarum exercentes, aut quoquo modo Sacramenta adminiſtrantes, Epiſcoporum viſitationi, & correctioni ſubjecit, quibuſcumque contrariis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum atq; Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, necnon Statutis, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, indultis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa & titulo oneroſo conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſpecialiter & expreſsè de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pleniſſimè derogaverit; Quum inſuper Noſter quoque Prædeceſſor Innocentius Papa X. in ſuis pariter Litteris Apoſtolicis anno MDCXLVII. datis, quæ incipiunt = *Cum, ſicut accepimus* = confirmans præ-

ſatæ

fatæ Congregationis reſolutionem editam in Cauſa *Angelopolitana* Indiarum Occidentalium novæ Hiſpaniæ, approbaverit ipſius Congregationis ſententiam, quæ ad propoſitum Dubium = *An Bulla Pii V. la 34 in ordine* (ea nimirum, cujus nos ſuperiùs meminimus) *conceſſa, inſtante & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, ſit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur* = Reſpondit = *Agendum cum Sanctiſſimo, an velit declarare, Bullam non eſſe revocatam; illam tamen non ſuffragari, niſi in locis, ubi eſt defectus Parochorum* = Quum denique ipſi Catholici Hiſpaniarum Reges, de Sacrorum Canonum obſervantia optimè meriti, & de Tridentini Concilii executione ſolliciti, Epiſcopis per Indias ſibi ſubjectas conſtitutis opem auctoritatemque ſuam præſtiterint, ut legitima jurisdictione in Regulares Animarum curam exercentes in ſuis reſpectivè Diœceſibus, pacificè fruerentur, jam conſtat, ipſis ſatentibus Hiſpanæ Nationis Scriptoribus, neminem ex Regularibus nunc in iis Regionibus ad obeunda Parochialia munia in perſonas ſæculares admitti, niſi prævio examine & approbatione Epiſcoporum Localium, ſive ipſorum reſpectivè Officialium, & tam Concilii Tridentini Decreta, quàm Romanorum Pontificum Conſtitutiones hujuſmodi Decretis conſentaneas, in prædictis Regionibus ſuum robur, & obſervantiam obtinere.

Neque porro in Indiis Orientalibus ignota ſunt eorumdem Apoſtolicorum, & Conciliarium Decretorum ſtatuta: Siquidem ex Civitate Goana, celeberrimo in Indiis Orientalibus Luſitaniæ Regno ſubjectis emporio, nuperrimè accepimus, Venerabilem Fratrem modernum ipſius Civitatis Archiepiſcopum, ipſo præſertim favente Chriſtianiſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanne Illuſtri Portugalliæ & Algarbiorum Rege, cujus perſpecta pietas & Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelus hac etiam in re clariſſimè emicuerunt; atque adjuvante dilecto Filio Nobili Viro Marchione Caſtri novi in prædictis Regionibus Pro-Rege, ac ſtrenuo Regiæ voluntatis Adminiſtro, conceſſam ſibi à Tridentina Synodo jurisdictionem & facultatem, quoad examen & approbationem Regularium, ad Animarum curam perſonarum ſæcularium deputatorum, intra Diœceſis ſuæ fines, plèniſſimè, ut par erat, exercuiſſe.

Sed quoniam eorum, quæ bene ſtatuta ſunt, quæque ad optimum Eccleſiarum ſtatum maximè pertinent, perpetua & generalis executio atque inconcuſſa obſervantia, magnoperè Nobis cordi eſſe debet, neque committendum, ut ullus inpoſterum dubiis & controverſiis aditus pateat in hujuſmodi rerum genere, in quo maximum Eccleſiaſticæ diſciplinæ momentum vertitur, idcirco motu proprio, & certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, volumus, ſtatuimus, & ordinamus, præcepta Tridentinæ Synodi Decreta, ſingulaſque Apoſtolicas Conſtitutiones, tam à Prædeceſſoribus Noſtris, quàm à Nobis in eorumdem Decretorum confirmationem, ampliationem, & extenſionem editas, quoad Epiſcoporum jura, ac debitam ipſis ſubjectionem à Regularibus Animarum curam perſonarum ſæcularium exercentibus; ut nempe Regulares ipſi, etiam quantumvis exempti, ad hujuſmodi curam obeundam, ſine prævio Ordinariorum Locorum examine & approbatione, accedere, aut in ea ſe ingerere nequeant, & in iis omnibus, quæ ad prædictam curam quoquomodo pertinere dignoſcantur, eorumdem Ordinariorum jurisdictioni, viſitationi, & correctioni ſubjaceant; deinceps tam in prædicta Goana, quàm in reliquis Indiarum Orientalium Civitatibus, Diœceſibus, atque Provinciis locum omnino habere, ac perpetuò, & incommutabiliter obſervari debere: Decernentes & declarantes, præſentes Noſtras Litteras omnes & ſingulos Regulares quorumcumque tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinum, Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione digni, ac neceſſariò & in individuo exprimendi, ac quibuſvis privilegiis & exemptionibus ſuffulti, omnino arctare & afficere, eoſque ad plenam & integram præmiſſorum obſervantiam fore efficaciter obligatos.

Inſuper eaſdem præſentes, etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliquâ reſultante, aut quocumque alio colore, vel cauſa, quantumvis privilegiata, etiam in corpore juris clauſa, ac tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda ſugret; notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus eas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis

nis ad viam & terminos juris, ſive aliud quodcumque facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari poſſe; ſed ipſas ſemper perpetuòque validas, firmas, & efficaces eſſe & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere: ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ac alios quavis auctoritate & poteſtate fungentes, in quavis Cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: Et ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de jure quæſito non tollendo; necnon memoratis Sancti Pii V.. & Gregorii XIV. Prædeceſſorum prædictorum reſpectivè Litteris, cæteriſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque dictorum Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, etiam prædictæ Militiæ Sancti Joannis Hieroſolymitani, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ac Monaſteriorum, Collegiorum, Domorum, ac Locorum Regularium quarumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſeu quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & Perſonarum, quacumque Eccleſiaſtica, vel Sæculari dignitate fulgentium inſtantiam, ſeu eorum intuitu & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, & extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus & formis, ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, ac quævis exquiſita forma ſervanda, foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris; motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et quia difficile foret præſentes Litteras, ad ſingula quæque loca, in quibus deis fides forſan facienda foret, deferri, etiam volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio, & extra, ac, ubi opus fuerit, eadem prorſus adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmationis, innovationis, declarationis, ſive extenſionis, & ampliationis, derogationis, voluntatis, ſtatuti, ac decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, ſexto Kalendas Martii, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Ex Bullario hujus Summi Pontif. tom. 2. pag. 1.

DECRE-

DECRETA

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide

Miſſionariis communia, ac ab Eminentiſſimis Reviſoribus ad typum expreſsè ſelecta.

Publicas cum hæreticis diſputationes à Miſſionariis inſtitui abſque S. Congregationis præſcitu prohibetur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die 8. Martii 1625. decretum fuit.

SAcra Congregatio juſſit publicas diſputationes non fieri cum Hæreticis, quia plerumque vel ob loquacitatem, vel audaciam, aut circumſtantias Populi acclamantis, veritas falſitate prævalente opprimitur, & ſi aliquando hujuſmodi diſputationes excuſari non poſſent, primùm de illis certior fiat Sacra Congregatio, quæ juxta temporis, & perſonarum qualitatem, quid agendum ſit, peculiariter præſcribet.

Extractum ex Archivo S. Congreg. ſupradictæ lib. 1. Decret. pag. 16. n. 39.

Miſſionariis, quibus à Sancta Sede conceſſa eſt facultas conſecrandi calices & patenas, hac in locis, in quibus ſunt Epiſcopi, uti inhibetur.

In Congregatione de Propaganda Fide habita die 15. Aprilis 1630.

REferente Reverendiſſimo Domino Aſſeſſore S. Officii, Sacra Congregatio mandavit ſcribi Fr. Joſepho Pariſienſi Capucino Præfecto Miſſionum Orientalium, ſæpius à Sede Apoſtolica fuiſſe declaratum, Sacerdotes Miſſionarios, quibus ab eadem Sede conceſſa eſt facultas conſecrandi Calices, & Patenas, illâ uti non poſſe, ubi ſunt Epiſcopi, & proinde illum præcipere debere ſuis Miſſionariis Capucinis Inſularum Maris Ægæi, & aliorum locorum Orientis, ubi Epiſcopi exiſtunt, ut ab uſu prædictæ facultatis abſtineant.

Extract. ex Arch. & Actis S. Congreg. de Propag. Fide de anno 1630. pag. 53. n. 54.

Vice-Præfectos Miſſionum ad ordinariam reſidentiam in harum locis teneri declaratur.

In Congregatione Generali de Propagan. Fide habita die 19. Januarii 1644.

REferente Emo D. Card. Pamphilio Litteras Procuratoris Dominici Ianſenii, Sacra Congregatio cenſuit generaliter Vice-Præfectos teneri ad ordinariam reſidentiam in locis Miſſionum, ut Miſſionarii in occurrentibus dubiis, difficultatibus, controverſiis, ac aliis eorum neceſſitatibus facilem habeant ad eum recurſum.

Extract. ex Actis S. Congreg. de Propag. Fide de anno 1644. pag. 15. n. 34.

Etiam ſtante periculo vitæ permanentiam Miſſionariorum in loco Miſſionis neceſſariam eſſe declaratur.

In Congregatione Generali de Propagan. Fide habita die 16. Aprilis 1646.

REferente Emo Dom. Cardinali Ginnetto Litteras Patris Irenæi Capucini Vice-Præfecti Miſſionis Rhetiæ, in quibus petebat admoneri à Sacra Congregatione, an cum periculo vitæ perſequentibus Hæreticis Miſſionarii in Miſſionibus ſuis permanere deberent?

Sacra Congregatio dixit tempore perſecutionis eſſe magis neceſſariam Paſtorum præſentiam, ne Fideles pervertantur.

Extract. ex Actis S. Congreg. de Propagan. Fide de anno 1646. pag. 77. n. 14.

Capel-

Capellanis Oratorum, aliis præter Oratores, eorum Conſanguineos, ac Familiares in eorum ædibus degentes Sacramenta adminiſtrare prohibetur, & diſcedentibus Oratoribus facultatem hanc iis ademptam eſſe declaratur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 17. Auguſti 1655.

SAc. Congregatio juſtis de cauſis mota, decrevit inpoſterum non licere quovis prætextu Capellanis ſeu Sacerdotibus Oratorum quorumvis Principum Sacramenta adminiſtrare, Confeſſiones audire, præterquam dictorum Oratorum, ac eorum Conſanguineorum, & Familiarium Domî degentium, cum obligatione ſuis loco & tempore tradendi notulam prædictarum adminiſtrationum Parocho loci, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio. Et quod diſcedentibus vel ceſſantibus dictis Oratoribus, etiam hujuſmodi facultas prædictorum omnino ceſſet, quam ſi exercere præſumpſerint, ipſo facto in excommunicationem Suæ Sanctitati reſervatam incidant, nullis ſuffragantibus privilegiis, exemptionibus, conceſſionibus, facultatibus, conſuetudinibus &c.

Exemplar authent. in Arch. Gen. Procuræ Reg. Memor. Decreta &c. fol. 3.

Novam Miſſionem in locis, in quibus exiſtunt Miſſionarii unius Ordinis, ab aliis aliorum Ordinum Religioſis ſine expreſſa Sacræ Congregationis licentia fundari inhibetur.

Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 11. Jan. 1656.

SAcra Congregatio cenſuit, nullo modo inpoſterum licere pro bono Religionis Catholicæ ad tollendas inter Miſſionarios diſſensiones, & litigia in locis, in quibus exiſtunt Miſſionarii Apoſtolici unius Ordinis, novam Miſſionem aliorum Religioſorum, etiam Societatis Ieſu, fundare, vel illam ſub quovis prætextu, & auctoritate exercere abſque expreſſa licentia ejuſdem Sacræ Congregationis, ſub pœna privationis Officii, Privilegii, & Facultatis ipſo facto incurrenda non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus &c.

Ex Regeſto prædicto fol. 16. à tergo, & fol. 19. ubi habetur exempl. Auth.

Præfecti Miſsionum, etiam completo tempore, Miſsionariis ad ſuas Provincias redeundi, inconſultâ S. Congregatione, facultatem dare non poſſunt.

In Congregatione Generali de Propagan. Fide habita die 2. Martii 1665.

SAcra Congregatio dixit non licere Præfectis licentiam Miſſionariis concedere redeundi, etiam completo tempore ſuarum facultatum, niſi prius Sacrâ Congregatione præmonitâ, ac expectato adventu in Miſſione aliorum Miſſionariorum per eamdem Sacram Congregationem deputandorum: habere tamen Præfectum facultatem in gravioribus ſuſpendendi Miſſionarios ab exercitio Miſſionum, & interim debere certiorare Sacram Congregationem de aſſertis delictis, & tranſmittere Proceſſum informativum cum defenſionibus Miſſionarii delinquentis.

Extract. ex Actis S. Congreg. de Propag. Fide de anno 1665. pag. 23. n. 12. & ex lib. Decr. Gener. 1665. pag. 177. n. 265.

Idem Decretum confirmatur, & ipſis quoque Miſsionariis à Miſsionibus diſcedere prohibetur.

In Congregatione Generali de Propagan. Fide habita die 13. Martii 1668.

SAc. Congregatio providere cupiens damnis ſpiritualibus, quæ ex Miſſionariorum remotione à locis Miſſionum Catholicæ Fidei graviter inſeruntur, cum eâdem Sacrâ Congregatione inconſultâ, ab eiſdem Miſſionibus per Præfectos, & Superiores removeantur, vel ipſimet Miſſionarii ad proprias Provincias, & Conventus redeant cum maximo Catholicorum præjudicio, qui Operariorum auxilio hac de cauſa ſæpius privati remanent; propterea innovando Decretum editum die 2. Februarii 1631. diſtrictè præcepit Præfectis Miſſionum, qui à Sacra Congregatione expediuntur, ut à Miſſionibus ipſis aſſignatis abſque licentia Sac. Congregationis Miſſionarios eorum Præfecturis ſubjectos nullâ cauſa removeant, vel dimit-

tant, ipſis verò Miſſionariis injunxit, ne à Miſſione diſcedant, niſi prius à S. Congregatione obtentâ licentiâ redeundi, quamvis tempus reſidendi in Miſſione juxta eorum decreta integrè compleverint, quod etiam per lapſum facultatum expirare non cenſeatur, & in hoc tempus itineris non comprehendatur. Si verò Præfectis aliquem remotione dignum viſum fuerit, teneatur prius conſulere Sacræ Congregationi de cauſa, ob quam removendus erit, reſponſumque expectare, antequam Miſſionarium removeant, aut à Miſſione ſuſpendant, vel dimittant, exceptâ cauſa publici ſcandali, quo caſu liceat eiſdem adhibito conſilio duorum Miſſionariorum ſeniorum removere: debeant tamen S. Congregationem certiorare, ut alios Operarios quamprimum ſubdelegare poſſit, ſub pœna inhabilitatis, & incapacitatis ad munia, & gradus per Sacram Congregationem, vel ejuſdem intuitu Miſſionariis dari ſolitos, aliâque arbitrariâ, & ita ſervari mandavit.

Extract. ex Actis S. Congreg. de Propaganda Fide de anno 1668. *pag* 24. *n.* 2.
Et ex lib. Decret. General. 1668. *pag.* 177. *num.* 267.

Celebratio Sanctæ Miſſæ ſuper Mare, etiam in navibus ad portum appulſis, Miſsionariis omnibus abſolutè inhibetur.

In Congregatione particulari Sac. Congregationis de Propaganda Fide habita die 29. *Januarii* 1667. *propoſitum fuit inter alia dubia ſequens.*

AN vigore ſolius facultatis celebrandi Miſſam quocumque loco decenti Miſſionariis conceſſæ poſſit licitè Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ab ipſis celebrari, ſicut à quibuſdam ipſorum, ſingulis diebus Dominicis & feſtis celebratur ſuper Mare in navibus prope littus appulſis abſque præſentia alterius Sacerdotis, qui calicem poſt conſecrationem firmum euſtodiat ad penitus evitandum effuſionis periculum, ut Doctores opinantes requirunt?

Reſcriptum. Nollo modo licere Capucinis, nec Minoribus Obſervantibus, neque quibuſcumque aliis celebrare, vel mandare, vel permittere celebrare Miſſam in navibus, quia omnino eſt prohibitum.

Extract. ex tomo primo Reſolut. Arch. Sac. Congr. de Propag. Fide pag. 451.

Miſsionariis abſque expreſſa & ſcripta Sacræ Congregationis licentia apud Magnates & alios morari prohibetur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propag. Fide habitæ die 19. *Julii* 1678.

REferente Eminentiſſimo Cardinale Otthobono, Sacra Congregatio juſtis de cauſis decrevit, quod inpoſterum nullus Miſſionarius poſſit apud Magnates, ſeu alios moram facere abſque expreſſa licentia in ſcriptis ejuſdem Sac. Congregationis, ſed cum debita diligentia ad Miſſionis officium continuò, & aſſiduè ſemper incumbere, oneravitque non ſolùm Superiores Religionum reſpectivè, ſed etiam Epiſcopos Ordinarios, alioſque Miniſtros Sanctæ Sedis, ut præſens Decretum ab omnibus ad unguem obſervari faciant.

Extract. ex Libro Decretorum Sac. Congr. de Propaganda Fide ab anno 1670. *ad* 1707. *pag.* 70. *n.* 201.

Præfectis Miſsionum quibuſcumque, cum Catholicis Nationum Orientalium ſuper jejuniis, orationibus, & cæremoniis à S. Sede approbatis diſpenſare inhibetur, Catholicis ab hujuſmodi ritûs conſuetudine recedere nec licuiſſe, nec licere declaratur, ac obſervantia, ac executio hujuſmodi Decreti Vicario Apoſtolico in Patriarchatu Conſtantinopolitano inculcatur.

REferente R. P. D. Fortiguerra, Eminentiſſimi Patres juſtis & rationabilibus cauſis moti confirmârunt, & renovâruni Decretum alias, & ſignanter ſub die 31. Januarii 1722. editum tenoris, qui ſequitur, videlicet = Referente R. P. D. Auguſtino Fabrono Secretario, Sacra Congregatio mandavit præcipi, prout præſenti Decreto præcipitur omnibus, & ſingulis Miſſionum Apoſtolicarum Præfectis & Miſſionariis, ne ullus eorum inpoſterum quavis occaſione, aut prætextu audeat diſpenſare cum Catholicis quarumcumque Nationum Orientalium ſuper Iejuniis, Orationibus, Cœremoniis, & ſimilibus à proprio earumdem Nationum ritu præſcriptis, & à Sancta Sede Apoſtolica approbatis. Præterea eadem Sacra Congrega-

tio

tio cenſuit, non licuiſſe, neque licere præfatis Catholicis ullatenus à proprii Ritûs à Sancta Romana Eccleſia, ut ſuprà, approbati conſuetudine, & obſervantia recedere = Hujuſmodi autem Decretum ſic confirmatum, & renovatum Eminentiſſimi Patres ab omnibus, & ſingulis prædictis Præfectis, & Miſſionariis omnino, & abſque ulla tergiverſatione obſervari debere mandârunt, injuncto onere R.P.D. Franciſco Hieronymo Bona Archiepiſcopo Carthaginenſi, & in Patriarchatu Conſtantinopolitano Vicario Apoſtolico, ejuſque in eo munere Succeſſoribus vigilandi, & omni, quo par eſt, ſtudio efficiendi, ut ab illius omnimoda obſervatione nemo in Miſſionibus, & locis ſuæ Juriſdictioni ſubjectis deflectere audeat.

Ex Arch. Sac. Congreg. de Propagan. Fide Lib. Decret. menſi & anni præd.

CAPITA

Quibus reſpondere debent Miſſionarii, ut de Regionibus ſibi commiſſis plenam Sac. Congregationi rationem reddant.

CIrca infraſcriptas quæſtiones duo animadvertenda ſunt: Primum ad eas, vitato omni ſupervacaneo, præcisè reſpondendum eſſe, adhibito cuique reſponſioni quæſtionis numero. Quoniam verò ſolium hoc pro cunctis Miſſionariis typis mandatum eſt, ſi quid fortè aliquis reperiat in aliqua quæſtione, quod ad ſuam Miſſionem non ſpectet, is indicare poterit numerum, deinde juxta ſcribere: *Ad talem numerum non eſt, quod reſpondeam*, tum ad cætera pergere.

Secundum, has quæſtiones à Sac. Congregatione ea tantùm de cauſa fieri, ut Regionum ſtatus ſpiritualis, & Religionis ipſi innotefcat, nullo modo autem temporalis & politicus: quippe res ejuſmodi ad eam minimè pertinent, nec eas ſcire ipſa deſiderat, neque vult omnino Miſſionarios ſuos iis implicari: quamobrem qui reſponſurus eſt, videat, & non reſpondeat ad aliud, quàm ad ea, quæ ſpirituale, divinumque miniſterium præcisè reſpiciunt.

Extenſio Miſſionis, ejuſque qualitas.

1. Quæritur, quot dierum itinere, quotve milliariis lata ſit, longave Provincia, ſeu Miſſio, quibuſque terris, ac Provinciis terminetur?

2. An ſit montana regio & aſpera, an verò plana & facilis, cui nimirum ſine magno labore ſuccurrant Miſſionarii?

3. An opima, ſterilisve ſit, & inops?

4. Utrum pace fruatur, an militia laboret, eaque hoſtili, aut domeſtica?

5. An Regio ſit negotiantibus aperta, quò Miſſionarii eam faciliùs excurrere poſſint, Chriſtianiſque ſubvenire?

6. Quanam viâ ſecuriùs viciſſim Epiſtolæ reddi poſſint?

Dominium, & Idioma.

7. Cujus Dominii ſit Regio?

8. Quæ lingua exteris uſui eſſe poſſit, ut ibi intelligantur?

Miſſionis loca, & Animæ.

9. Quæ ſint Miſſionis loca, quæ ſingularum nomina, & cujus Diœceſis illa ſint?

10. Quis præ cæteris locus magis præcipuus, & Miſſionibus utilior, in quo videlicet Miſſionarii ſuam animabus opem faciliùs præſtare poſſint?

11. Ubinam reſidere ſoleant Regionis adminiſtratores?

12. Ubi majori cum licentia, & ſecuritate exerceantur Miſſiones?

13. Quot in ſingulis locis exiſtant Chriſtianæ familiæ?

14. An Chriſtianus aliquis cæteros honore, dignitate, religioniſque ſtudio antecellat, cui res Chriſtiana poſſit pro temporis exigentia curanda committi?

15. Num etiam ullus ſit inter Infideles vir doctus, & qua ratione poſſet ad agnitionem fidei adduci, Chriſtianiſque benevolus effici?

Chriſtianæ Religionis exercitium, ritus, errores, & abuſus.

16. An, & quantùm Chriſtianæ Religionis uſus, Sacramentorum adminiſtratio, Divinique Verbi tum Fidelibus, tum etiam Infidelibus prædicatio à Principe permittatur?

17. Cujus ritûs ſint Catholici?

18. An errores aliqui in fide, abuſuſve in Religionis exercitio ab ipſis foveantur?

19. Quæ ſit horum cauſa principalis?

20. Quo ſit opus remedio, quave curâ eradicari poſſint?

21. Cujus ſectæ ſint Infideles, aut Schiſmatici ibi exiſtentes?

22. Qui ſint ipſorum errores, aut ritus?

Libri.

23. Si ullus ſit apud eos liber, quo in ejuſmodi erroribus detineantur, cujuſque ad nos nondum pervenit notitia, quovis ille ſit idiomate, omni cura habendus eſt, hucque ſaltem ejus tranſcriptum accuratè tranſmittendum erit, ut reſellatur, ejuſque poſtea conſutationis penes eos diſpergantur apographa?

24. Si quis ſit penes eos Catholicus liber, quàm magni faciant, qui verò apud nos ſit parum cognitus, curetur huc tranſmitti in miniſterium fidei profuturus?

Eccleſiæ.

25. Procuretur haberi notitia Eccleſiarum, quæ ad Catholicorum, Schiſmaticorumque uſum tam intra Urbis muros, quàm extra erectæ ſunt.

26. Si extra; quanti diſtent ab Urbe?

27. Specificetur ſingularum titulus?

28. An ſit eis animarum cura annexa, nec ne?

29. Quomodo, & à quo eædem adminiſtrentur?

30. An ſaxis, aliâve materia extructæ ſint?

31. In quo ſtatu reperiantur?

32. An ſervetur in eis Sacroſancta Euchariſtia publicè, & cum lampade, an verò privatim, quantâque cum decentia?

33. Num in eis ſerventur Olea ſacra?

34. Huc tranſmittatur ſupellectilis ſacri, ejuſque qualitatum nota, cum ſpecificatione materiæ, ex qua Calices inflati ſunt.

Eccleſiarum Bona.

35. An Eccleſiarum Adminiſtratores Ædes ipſis annexas habeant?

36. An illæ redditus habeant, & in quo conſiſtant?

37. An ſit eis prædium aliquod, & qui ſint ejus proventus?

38. An revera hodie ab Eccleſia, Catholiciſque poſſideantur, an verò à Schiſmaticis, aut ab aliis occupentur, quibuſque mediis poſsint recuperari?

39. An, qui prædium illud curat, aliquid ex eo percipiat emolumenti, quantum ſit, & in quo poſitum?

Epiſcopi, eorumque Reſidentiæ.

40. Utrum in Provincia, ſeu Miſſione, aliqua ſit Eccleſia Cathedralis, aut Epiſcopi alicujus Reſidentia, & quis ſit Epiſcopus?

41. Qualis ſit ipſius fundus, & quos inde percipiat fructus?

42. An bonis mobilibus dotata ſit menſa Epiſcopalis, qualia ſint, & in quo ſtatu poſita?

43. An revera ab Eccleſia poſſideantur, an ab aliis, & à quibus? num ſuppetat ea recuperandi locus?

44. Num ibi ſit Epiſcopale Domicilium, & quale? num etiam liceat Epiſcopo ibidem commorari?

45. Quænam ſit ejus cura & ſollicitudo, & cum quanto populorum aſſenſu officio Paſtorali fungatur? ſoleatne ibi reſidere?

46. An rebus publicis, politicis, ſtatûs, aliiſve hujuſmodi, quæ Paſtorem minimè decent, ſeſe immiſceat, & implicet?

Regulares.

47. Quinam ibi ſint Regulares, cujus Ordinis, aut Inſtituti?

48. An ſub obedientia vivant, & quis ſit Superior eorum?

49. An Conventus formatos habeant, aut Hoſpitia duntaxat?

50. Ubinam extructa ſint, cujuſque ſint qualitatis?

51. Quot Religioſi in ſingulis habitent? quot inter eos Sacerdotes? quot Laici?

52. Cum quanto decore, & munditia Eccleſiam curent?

53. Num ab officio Chori ad agrorum culturam, aliave ejuſmodi opera adducantur?

54. Utrum in communi vivant, & cum Regulari obſervantia: an verò ſeparatim, & in domibus privatis?

55. Quæ ſit eorum in genere & in particulari fama, tum apud Chriſtianos, tum apud Infideles?

56. An aliquos redditus habeant? an eleemoſynis vivant, vel aliis modis ſuſtententur?

57. Singulorum declaretur nomen, ætas, doctrina, & mores.

Regulares Miſſionarii.

58. Dicant quinam inter eos Miſſionarii ſint, eorumque nomina ſingillatim exprimantur.

59. De ſingulis referatur, à quo tempore hucuſque Miſſionibus illis inſerviant.

60. Quanto cum fructu Miſſionem exerceant, & in quæ opera præcipuè incumbant?

61. Num ex Sacramentorum adminiſtratione aliquod commodum percipiant?

62. An otioſi vivant in locis Reſidentiæ, neglectis aliis, in quibus iis, qui longè diſtant, & auxilio ſuis deſtituti, opitulari poſſent?

ſent? & à quo tempore ſic ſe gerant?

63. Utrum dicti Miſſionarii aliquem fructum licitum percipiant ex Miſſionis exercitio, quis ſit, & in quo conſiſtat?

64. Eadem referenda ſunt de Præfecto Miſſionis, maximè verò cum quanto ſtudio & prudentia Miſſionem dirigat?

65. Quantùm aliis Religioſis gratus ſit, atque etiam ſæcularibus?

Sacerdotes Sæculares.

66. Eadem reddenda eſt ratio nominis, ætatis, & Patriæ quorumlibet Sacerdotum Sæcularium, & Clericorum ibidem commorantium, declarando quoque, quibus literis ſtuduerint, & in quibus locis.

67. An patrimonialibus, Eccleſiaſticiſve bonis fruantur?

68. Quibus ſint moribus, dotibuſque inſtructi?

69. In quæ nunc opera incumbant, & antea incubuerint?

Sacerdotes Sæculares Miſſionarii.

70. Nominatim exprimendi ſunt, qui ſint Miſſionarii, & à quo tempore.

71. De omnibus ſingillatim dicatur, qua cura, quove ſtudio fungatur officio?

72. Num commiſſa ſibi loca frequenter viſitent, maximè autem, quæ remotiora ſunt?

73. Quanto cum fervore, ac vigilantia rebus fidei, & ad animarum ſalutem ſpectantibus operam navent?

74. Cum quanta prudentia, & moderatione erga omnes ſe gerant, & præcipuè erga Infideles, quantùmque ſint eis accepti?

75. An rebus politicis toties, & tam ſeverè à Sacra Congregatione prohibitis implicentur, licèt ſub prætextu boni?

76. Utrum in eorum functionibus partia litatis nota aliqua effulgeat, lucrive cupiditas; num etiam ex eis aliquid commodi licitè percipiant?

Sacerdotes abſentes.

77. Si fortè extra Miſſionem aut Provinciam reperiantur alii Sacerdotes ex partibus illis oriundi, referenda ſunt eorum nomen, ætas, doteſque, ſicut de cæteris dictum eſt; locus etiam, in quo reſident, & opera, in quæ incumbunt.

Juvenes idonei, & ſtudia.

78. Si in Miſſione, aut Provincia exiſtant Juvenes aliqui Clerici, aut ſæculares moribus inſignes, qui ingenium, ſpiritumque verè Eccleſiaſticum præſeferant, quique ad Sacerdotium, & ad animarum culturam idonei videantur; ſingulorum accuratè dentur nomen, ætas, patria, & conditio.

79. An ad ſtudium aliquod incubuerint?

80. An Principibus Chriſtianis, Infidelibuſve ſubditi ſint?

81. Num ibi ſit in Provincia Magiſter aliquis, qui juventutem exerceat? quas literas doceat, quibuſve ille ſit moribus, ac doctrina inſtructus? quot ſint ipſi Scholaſtici? ubinam commoretur? & quid inde percipiat emolumenti?

Moniales.

82. Si quis ſit Monialium Conventus in aliquo Miſſionis loco, declaret cujus ſit Inſtituti, cujus curæ, & miniſterio ſubſit?

83. An clauſuram Moniales obſervent, vitamque communem?

84. An votis Religionis obſtringantur, an verò ſimplicium Conſervatoriorum obligationibus?

Status præteriti temporis, & progreſſus.

85. Præbeat tandem aliqualem notitiam de ſtatu, in quo temporibus præteritis à viginti aut triginta annis circiter extiterit Catholica fides in illa Provincia, & in particularibus quibuſque locis?

86. An ab illo tempore fuerit aliquo modo progreſſa fides? num revera hoc ipſo tempore promoveatur, aſſignando occaſiones progreſſûs, aut defectionis, ſi qua fortè extiterit?

Impedimenta fidei, neceſſitas, & remedia.

87. Singillatim dicat, quæ ſint progreſſus fidei, Miſſionumque impedimenta, quibuſque remediis utendum ſit?

88. Attentè perpendat ſpirituales Chriſtianitatis illius neceſſitates, eas diſtinctè referat, mediaque proponat, quæ ad præteritorum damnorum reſtaurationem, & ad majorem progreſſûs promotionem ſuus ſibi zelus, locorumque cognitio, in mentem prudenter adduxerunt.

89. Referat quoque, num ſint Diœceſes, Miſſioneſque vicinæ, à quibus illæ pro temporis exigentia faciliùs poſſint adjuvari?

Loca vicinæ.

90. Complectendo etiamnum circumvicina loca, non ſolùm ſtatum fidei in illis, ejuſque neceſſitates referat, ſed etiam ſi locum eſſe perſpexerit, eam in vicinas partes, aliaſve inducendi, Evangeliumque prædicandi, exponat ſincerè, quibus mediis id faciliùs perfici poſſe judicet.

Exempl. typis S. Cong. de Prop. Fide an. 1740. *impreſſum in Arch. generali armario* Miſſiones.

CON-

CONSTITUTIONES ET DECRETA COMMUNIA

Pro Miſſionariis Capucinis in ſpecie emanata.

Miſſionariis Capucinis annuatim relationem de geſtis & fructu Miſsionis ad almam Urbem mitti jubetur.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 4. Maji 1626.

SAcra Congregatio mandavit per P. Procuratorem Generalem Capucinorum, Præfectis Miſſionum ſuorum Religioſorum præcipi, ut ſingulis annis ad minus, de eorum geſtis, & in converſione hæreticorum, vel infidelium, progreſſibus, relationem ad Urbem mittant.

Exemp in Arch. generali Ord. Armario Miſſiones.

In defectu Syndici Capucino Miſſionum Præfecto quoad uſum pecuniarum ſub conditionibus præſcriptis diſpenſatur, eidemque cum Sociis diſpenſandi facultas datur.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 20. Septembis 1638. coram Sanctiſſimo.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Spada Inſtantiam Miſſionariorum S. Franciſci Capucinorum, ut declaretur, quod eo ipſo, quod ſunt facti Miſſionarii, intelligatur eis conceſſus uſus pecuniæ tam in itinere, quàm in locis Miſſionum, quando non poſſunt habere copiam fidelis Syndici, juxta reſcriptum felic. mem. Honorii Papæ III ad Franciſcanos in Regno Marochii Miſſionarios.

Circa uſum Pecuniæ;

Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, diſpenſandum eſſe in caſu defectûs fidelis Syndici cum Præfectu Miſſionariorum circa pecuniæ uſum juxta petita, additis memorati reſcripti conditionibus, ſcilicet = Quando urget neceſſitas, ac invitat utilitas, doloque, ac fraude ceſſante, eorum ſinceritatem cupiditas non ſeducit = eiſdem Præfectis etiam concedendam eſſe facultatem eodem modo, & cum eiſdem conditionibus diſpenſandi cum Sociis Miſſionum eis benè viſis, non obſtantibus &c.

Eadem die Sanctiſſimus Dominus Noſter Decretum Sacræ Congregationis approbavit.

Exempl. in Arch. & Armario prædicto.

NOTA

UNiverſale quidem in ſuo verborum ſonu eſt Decretum antepoſitum, non tamen univerſale quoad uſum in omnibus Miſſionum locis, quin P. Præfectus emergente neceſſitate debeat Sacræ Congregationi de Propaganda Fide pro hujuſmodi gratia ſupplicare: Quæ & ſub conditionibus in Decreto expreſſis, ac ex Litteris Honorii III. quæ hîc annectuntur, excerptis concedi ſolet:

Litteræ Honorii ſunt tenoris ſequentis:

HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis Filiis Fratribus Prædicatoribus, Fratribuſque Minoribus in Regno Marochiano de mandato Sedis Apoſtolicæ commorantibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod cum ad mandatum Sedis Apoſtolicæ voluntariè vos diſcrimini obtuleritis ob multorum ſalutem, provido uſi conſilio interdum mu-

mutatis Habitum, barbam nutritis & comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbaræ feritatem, quæ in Chriſtianos crudeliùs debacchatur, quàm etiam ut prodeſſe pluribus, & liberiùs viſitare Chriſtianos in carceribus & locis aliis valeatis ad jungendum eis pœnitentiam, dandum ſalutis monita, & exhibendum Eccleſiaſtica Sacramenta. Cumque in terra illa gratis non poſſitis victualia invenire pro eo, quod non panis, ſed pecunia conſuevit ibidem pauperibus in ſubſidium erogari, urgens neceſſitas vos compellit recipere charitativè, ſed parcè, denarios expendere, & tantummodo propter cibum & veſtes.

Unde, cum hæc ſint contra Ordinis veſtri inſtituta, licèt videatur vos ab his excuſare inevitabilis neceſſitas, ac grandis, & evidens utilitas aliorum, quia tamen cum Job veremini omnia opera veſtra, diſtricti examen Judicis recolentes, humiliter poſtulaſtis veſtræ ſuper his per Sedem Apoſtolicam ſubveniri conſcientiæ, atque famæ. Cum igitur ex cauſa David coram Abimelech legatur habitum commutaſſe, ac Dominum ſe junxiſſe in ſpecie Peregrini Diſcipulis in Emmaus in fractione panis eis poſtmodum revelatum, qui etiam tam dictos Pueros ſuper eo, quod neceſſitate comederant panes Sanctos, quos eis contingere non licebat, quàm Apoſtolos excuſavit, dum ipſos Phariſæi arguerent, quod eſurientes alienas non totis fricantes ſpicas manibus comedebant. Nos laudabile opus veſtrum piumque propoſitum attendentes, veſtris ſupplicationibus inclinati, ſuper prædictis vobiſcum in illis Regionibus, quamdiu præſcripta vos arctat neceſſitas, & invitat utilitas, miſericorditer diſpenſamus, dummodo tamen fraus non interveniat, ſive dolus, vel ſinceritatem veſtram cupiditas non ſeducat.

Datum Laterani ſextodecimo Kalendas Aprilis Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Miſſionarios Capucinos non dumtaxat Præfectorum Socios, ſed veros eorum Subditos eſſe declaratur.

Decretum S. Congreg. General. de Propaganda Fide habitæ die 2. Octob. 1724.

CUm Sacræ huic Congregationi innotuerit, in aliquibus Miſſionibus Patrum Capucinorum perniciоſam, eamque prorſus erroneam opinionem irrepſiſſe, ſcilicet, quod Miſſionarii, eò quia tales inſtituti ſunt ab eadem Sacra Congregatione, quæ pariter Præfectos inſtituit, non ſint Subditi, ſed Socii eorumdem Præfectorum, atque ideo, cum par in parem non habeat imperium, eorum præceptis obtemperare non teneantur, Eminentiſſimi Patres, referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Pico, ad hujuſmodi abuſum, vanamque ſententiam penitus eliminandam declarârunt, quod Miſſionarii ſint verè Subditi, & tenentur obedire Superioribus localibus, etiam occaſione tranſitûs, & iſtos, ac ipſorum ſubditos Præfectis: Præfectos verò & reliquos omnes P. Procuratori Generali Ordinis, & Sacræ Congregationi.

Datum Romæ die & anno, quibus ſupra.

Extract. ex Regeſto Actorum S. Congregat. de Prop. Fide de anno 1724. pag. 313.

Decretum Congregationis Sacrorum Rituum de Officio S. Ludovici Regis & Confeſſoris à Miſſionariis Gallis in partibus Infidelium exiſtentibus ſub ritu primæ claſſis recitando, & Miſſa reſpectivè celebranda confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper ad enixas dilecti Filii Cherubini de Noves, Fratris expreſsè Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ac dilectorum Filiorum Fratrum Gallorum Miſſionariorum dicti Ordinis in partibus Infidelium in Romana Curia Procuratoris inſtantias emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet = Ordinis Capucinorum Miſſionariorum remiſſis à Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Sac. Rituum Congregationem enixis Patrum Ordinis Capucinorum Miſſionariorum inſtantiis per Patrem Fratrem Cherubinum de Noves, dicti Ordinis, ac ſupradictorum Patrum in Romana Curia Procuratorem jam exhibitis, illiſque relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio poſſe concedi cenſuit, ut Patres Capucini Galli Miſſionarii in partibus Infidelium exiſtentes, Officium S. Ludovici Regis, quod in dicto Ordine ſub ritu duplici majori per-

agi-

agitur, ſub ritu primæ claſſis in Feſto ipſius Sancti inpoſterum recitare, & Miſſam reſpectivè celebrare poſſint, & valeant. Die x. Aprilis MDCCXXIV. = A. F. Card. Zondadari Pro-Præf. = N. M. Tedeſchi Archiep. Apamen. S. R. C. Secr. = L. ✠ S.

Cum autem, ſicut pro parte dicti Cherubini Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decretum hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Cherubino gratiam facere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris VIII. Maji MDCCXXIV. Pontific. Noſtri Anno Quarto.

Exempl. impreſſ. in Arch. Generali Ordinis Armario Miſſiones.

Fidelibus Eccleſias ſeu Oratoria Miſſionariorum Miſſionum tum exterarum, tum intra Provincias exiſtentium in feſtis expreſſis accedentibus, Mulieribus verò, quibus ad eas vel ea non patet acceſſua, aliam Eccleſiam à Præfectis ſeu Cuſtodibus in partibus infidelium deſignandas viſitantibus indulgentiam plenariam cum optione eam defunctis applicandi in perpetuum largitur, & eandem indulgentiæ gratiam ad ipſos partium Infidelium Miſſionarios poſt eorum in locis Miſſionum adventum, ac in mortis articulo extendit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ credidit Divina Dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris Sanctorum in Cœlis cum Chriſto regnantium, fovendamque, & excitandam erga illos Fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Supplicationibus itaque dilecti Filii Ludovici à Taurino Procuratoris ac Commiſſarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, atque BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis, ſeu Oratoriis Miſſionariorum dicti Ordinis ubique exiſtentium tum exterarum, tum domeſticarum, & Provincialium Miſſionum ſtabilium; Mulieribus verò, quibus ad illas ſeu illa liber non patet acceſſus ſeu ingreſſus, quæ aliam Eccleſiam, ſeu Oratorium Catholicorum in partibus Infidelium à Cuſtodibus ſeu Præfectis Miſſionum deſignandam, ſeu deſignandum in Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, Impreſſionis Sacrorum Stigmatum, ac Sanctorum Franciſci Aſſiſienſis, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, Felicis à Cantalicio, Petri de Alcantara, Bernardini Senenſis, Joannis à Capiſtrano, Paſchalis Baylon, Jacobi à Marca, Franciſci Solani, Fidelis à Sigmaringa, ac Joſephi à Leoniſſa, necnon Sanctarum Claræ Aſſiſienſis, Roſæ Viterbienſis, & Catharinæ à Bononia feſtis, ac ſecunda Auguſti, & duodecima Octobris reſpectivè diebus à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem, quam etiam Chriſtifidelium defunctorum animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus. An inſuper eiſdem Miſſionariis pro tempore in partibus Infidelium ad-

adventantibus poſt eorum uniuscujuſque ad loca Miſſionum adventum, ut ipſimet divino amore ſuccenſi, in vinea Domini Sabaoth ulteriori cum fructu laborent, miniſteriumque ſuum Apoſtolicum dignè impleant; necnon in articulo mortis conſtitutis, ut curſum ſuum quietiùs in oſculo Domini conſummentplenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem etiam indulgemus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu dicti Ludovici moderni, & pro tempore exiſtentis Procuratoris Generalis præfati ſubſcriptis, ac dicti Ordinis ſigillo munitis, eadem prorſus fides ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Iulii MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Breve formatum in Archivo Gener. Ordinis Armario Miſſiones.

Miſſionariis Miſſionum ſtabilium tum extra, tum intra Provincias munus Miſsionariorum explentibus, ac medicinæ & Chirurgiæ artium peritis, etiam Presbyteris, de Superiorum ſeu Præfectorum Miſsionum licentia, prædictas artes in Sæcularis Medici vel Chirurgi defectu, in caſu neceſsitatis, & gratis exercere, ac alia neceſſaria adhibere in perpetuum indulget.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Ludovicus à Taurino Procurator, ac Commiſſarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod ſæpe accidere ſolet, ut in locis Sacrarum Miſſionum ubique exiſtentibus, & Ordini prædicto aſſignatis, reperiantur dicti Ordinis Profeſſores, qui Medicinæ, & Chirurgiæ artes callent; verùm per Conſtitutiones ejuſdem Ordinis auctoritate Apoſtolica confirmatas prohibitum, vetitumque exiſtit expreſsè, ne illius Alumni artes præ-

dictas extra memoratum Ordinem exercent; dictus verò Ludovicus Procurator, & Commiſſarius Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Ludovici deſiderio hac in re, quantùm in Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus Miſſionariis quarumcumque Miſſionum ſtabilium tam exterarum, quàm domeſticarum & Provincialium dicti Ordinis ubique exiſtentium Medicinæ, & Chirurgiæ hujuſmodi artium peritis & callentibus, etiam in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutis, tum in partibus Infidelium, tum Chriſtifidelium nunc & pro tempore exiſtentibus, & commorantibus de Superiorum, ſeu Præfectorum Miſſionum præfatarum licentia (dummodo in locis prædictis nullus adſit Medicus, vel Chirurgus ſæcularis, qui infirmis in eorum infirmitatibus medeatur) artes Medicinæ, & Chirurgiæ prædictas, juxta illarum præcepta ad commodum & utilitatem Catholicorum in partibus Infidelium & hæreticorum nunc & pro tempore exiſtentium dumtaxat, gratis tamen, & ſine ulla prorſus mercede, ac in caſu neceſſitatis tantùm exercere, ac medicamenta, & alia neceſſaria præbere, & adhibere liberè, & licitè, ac ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo, vel irregularitatis, alteriuſque pœnæ, vel cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis &c. confirmatis & innovatis. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Julii MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Breve formatum in Arch. prædicto;

Tum iisdem Miſsionariis, tum omnibus Chriſtifidelibus virilis ſexûs in Domibus & Hoſpitiis Miſsionum exercitia ſpiritualia per quinque dies continuos peragentibus, plenariam ſemel in anno indulgentiam in perpetuum largitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius Ludovicus à Taurino Procurator & Commiſſarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, exercitia ſpiritualia in quibuſvis Domibus & Hoſpitiis dicti Ordinis ubique exiſtentibus, in quibus Fratres dicti Ord. ad Sac. Miſſiones peragendas deſtinati commorari ſolent, ac Sacris Miſſionibus hujuſmodi operam dare pergunt, fieri, illiſque tam dicti Miſſionarii, quàm alii Chriſtifideles virilis ſexûs tantùm, non ſine magno animarum ſuarum fructu vacare conſueverint. Nos eorum devotionem, qui operi adeo pio & ſalubri deinceps vacaverint, cœleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis excitare volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis, tam prædictis Fratribus Miſſionariis, quàm aliis Chriſtifidelibus virilis ſexûs tantùm, qui in dictis Domibus & Hoſpitiis exercitia ſpiritualia hujuſmodi per quinque dies continuos quandocumque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel dumtaxat in anno per quemlibet eorum lucrifaciendam, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu dicti Ludovici moderni, ſeu pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Procuratoris Generalis ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Julii MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Breve formatum in Arch. prædicto.

Miſsionariis tum in Infidelium, tum in hæreticorum Regionibus degentibus, Chriſtifidelibus in articulo mortis conſtitutis Apoſtolicam Benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiendi facultas conceditur, ac gratia ad ipſos quoque Miſsionarios extenditur.

Beatiſſime Pater.

QUandoquidem ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum plures diverſarum Nationum, Provinciarumque Alumni, propagandæ Religionis Catholicæ zelo, aliiſque virtutum prærogativis commendati, ſeliguntur, qui tum in remotioribus infidelitatis caligine obrutis, tum in vicinioribus hæreſeos labe infectis partibus, Apoſtolico Miſsionariorum munere funguntur, Fr. Ludovicus à Taurino ejuſdem Ordinis Procurator & Commiſſarius Generalis humillimè ſupplicat, quatenus Sanctitas Veſtra tum Chriſtifidelibus moribundis partium ſupradictarum incolis, queis præfati Miſſionarii aſſiſtent, tum ipſis Miſſionariis, ubicumque locorum Miſſionum ſuarum exiſtentibus, in mortis articulo conſtitutis, Apoſtolicam Benedictionem de benignitate Apoſtolica impertiri dignetur, ut & uberior ſeminati Dei Verbi ſit de Benedictionibus Meſſis, & alacres ii ac ſeduli in vinea Domini Operarii, poſtquam cum pondere diei & æſtûs laborantes, ac non rarò integros, benedicente Domino, fructuum manipulos cum exultatione metentes extiterint, eo labore Evangelico jam contriti, ad extremum Miſſionum vitæque ſuæ cum ſpirituali propriarum animarum ſuarum profectu lætanter explendum, Benedictione Apoſtolica in homine interiori corroborentur, Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis in æternum benedicturi. Quam gratiam &c.

Ex audientia Sanctiſſimi die 24. Auguſti 1751.

Sanctiſſimus attentis expoſitis benignè annuendo pro gratia, conceſſit Religioſis Ca-

Capucinorum Ordinis, in Infidelium tamen, atque Hæreticorum Regionibus degentibus, inibique Miſſionarii munus explentibus, facultatem Apoſtolicam impertiendi Benedictioocm cum Iodulgentia plenaria Chriſtifidelibus, io mortis articulo conſtitutis, & in eorum tranſitu ex hac vita aſſiſtentiam præſtantibus, de licentia Ordinatiorum reſpectivè locorum, quatenus adſint, necnon ſervatâ quoad modum formâ Conſtitutionis Sanctitatis Suæ ſub datum 5. Aprilis 1747. ad hujuſmodi effectum emanatæ; Ita pariter anouit pro eadem facultate quoad ipſos Religioſos Miſſionarius in ultimo conſtitutos agone juxta petita.

Joſeph Livizzaoi Secret.

L. ✠ S.

Auteg. in Arch. prædicta.

N O T A

FOrma, quam in Conſtitutione ſub 5. Aprilis 1747. cmaoata expreſſam Reſcriptum Pontificium obſervari monet, eſt teooris ſequentis:

Modus à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicta XIV. opprabatus, pra opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis, ab his, qui facultatem habent à Sede Apoſtolica delegatam.

Benedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veriſimiliter petiſſent, vel dederint ſigna contritionis, impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis verò, impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet Infirmus, dicat: Pax huic domui &c. *ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam*: Aſperges &c.

Quod ſi Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si confeſſionem non petat, excitet illum ad elicicndum actum contritionis, de hujus Benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat, tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat, ad ultra acceptandum, quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccanda promeruit. Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat:

℣. Adjutorium noſtrum io nomine Domini. ℟. Qui fecit Cœlum, & Terram. *Antiphona*. Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater ooſter &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvum fac Servum (*vel* Ancillam tuam, *& ſic deinceps*) ℟. Deus meus ſperantem in Te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *OREMUS*. Clemeotiſsime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque ſperantem, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N. quem Tibi vera fides, & ſpes Chriſtiana commeodant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti Tui Paſſionem & Mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs ſui Te Judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem Filii Tui ab omni macula abluta, traoſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Domioum ooſtrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus Confiteor &c. *Sacerdos dicat*: Miſereatur &c. *deinde*.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſsimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; & ego facultate mibi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, & remiſsiooem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per ſacroſanctæ humanæ reparationis myſteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes præſentis & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen. Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si verò Infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

Bull. Bened. XIV. tom. 11. *fol.*289.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Omnibus Miſſionariis tum in Infidelium, tum Hæreticorum Provinciis degentibus, deficiente Confeſſarii copia, præmiſſum contritionis actum pro Indulgentiarum conſecutione ſufficere declaratur.

Beatiſſime Pater.

QUandoquidem ſel. recor. Clemens Papa XII. ſub die 22. Januarii 1733. Miſſionariis in Diœceſi Maliapurenſi commorantibus benignè indulſit = *ut iiſdem, quoties pro conſequendis Indulgentiis deſit copia Confeſſarii, ideoque actualem confeſſionem præmittere nequeant, ſufficiat contritionis actus & confeſſio in voto* = Eapropter P. Ludovicus à Taurino, Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Procurator & Commiſſarius Generalis, clementiſſimo fretus charitatis pluſquam Paternæ affectu, quo Sanctitas Veſtra Ordinem ſuum collatione tot inſignium gratiarum uſque modò proſecuta eſt, humillimè ſupplicat, ut ad omnes ac ſingulos præfati Ordinis Capucinorum Miſsionarios in Regionibus Infidelium, & Hæreticorum degentes Indultum ſupradictum extendere dignetur, ex eo potiſsimùm, quod aliàs iidem Evangelici Operarii, dum evangelizantium pedibus in Miſſiones excurrunt, & in Apoſtolico munere exercendo pro Fide Catholica occupantur, ſpirituali gratiâ lucrandi Indulgentias, ſæpius privati exiſterent. Et pro gratia &c.

Ex audientia Sanctiſſimi die 4. *Octobris* 1751.

Sanctiſsimus petitis annuendo pro gratia, Indultum, de quo in precibus, à ſan. me. Clemente XII. prout in ſupplici libello exponitur, elargitum, etiam favore Miſsionariorum Capucinorum Ordinis in Regionibus Infidelium & Hæreticorum degentium, clementiſsimè extendit.

J. Livizzani Secret.

Autog. in Arch. prædicto.

MISSIO-

MISSIONES PARTICULARES PROVINCIARUM ITALIÆ.

MISSIO REGNORUM CONGI ET ANGOLÆ *IN AFFRICA MERIDIONALI.*

IN Ætiopia inferiore, quam ob ſitum ſub zona torrida olim nonnulli inhabitabilem autumârunt, & quæ revera talis quoque ſorct, niſi ventus plerumque leniter ſpirans infeſti ealoris temperaret exceſſum, reperitur, de quo hic primò agendum eſt, Congi Regnum, inter principes ſuas Provincias Fanum S. Salvatoris, Ducatus Bambæ, Sonhi, Battæ, Marchionatum Sunii &c. juxta Bautrandum *tom. 1. geogr. v. Congum pag. mihi* 293. connumerans Planitiem oræ maritimæ ſi excipias, regio in aſperos monies, & valles, per quos & quas Elephantes, leones pardi, & regales, Tygres, ſylvatici bubali &c. teſte noſtro Fr. Joanne Franciſco Romano *in ſua relatione de Succeſſu Miſſionis Congenſis Romæ impreſſa pag.* 63. periculosè diſcurrunt, ſerpenteſque horridæ longitudinis & groſſitiei reptant, ita ut Miſſionariis ibi adventantibus ſerox horum animalium apparatus tantùm timoris incutiat, quantùm horroris prælibet aſpectus inculti, nigri, & potiſſimùm nudè incedentis populi.

Regno huic veræ fidei lumen primò circa annum 1500. ſub Joanne II. Luſitaniæ Rege à quodam Sacerdote Ulyſſiponenſe, qui nave Affricæ oras altefati Regis juſſu explorante, & ad quemdam Congi pottum firmatâ, ſorte Regiam ſeu Civitatem S. Salvatoris attigit, Regemque, Reginam, ac pediſequam aulam ſacro Latiec regeneravit, illatum fuiſſe fatus Fr. Joannes Franciſcus *loco cit. fol.* 70. ex hiſtoria & traditione Congenſi deducit. Ex quo fauſto principio aceenſum lumen in alia Provineiarum eapita pedetentim ſuit diffuſum, ita tamen, ut Arca Dei & Dagon cultum in populo inter ſe dividerent, uſque dùm zelo Dei armatus Rex Alphonſus (prout Jouet in ſua hiſtoria Religionum, in Italieam linguam tradutâ *t. 2. p. mihi* 421. *c. 2. refert*) corrogata in unum aeervum Idola igne eremari, aras belluino ſanguine natantes deſtrui, & triumphale S. Crucis trophæum in regno erigi mandavit.

Ad ſeliciter eœptum Regis opus feſtinus properavit Sacerdos, ex Sanctorum Dominici, P. Franciſci, Ignatii &c. Familiis potiſſimùm aecitus, apertumque Evangelici laboris eampum per plurium annorum ſeriem eximio cum fructu eoluit. Tepuit poſtliminiò vel ob inducta bella, vel ob politiei ſtatûs rationem, vel ob populo ingenitam ſuperſtitioſum ritum deſerendi difficultatem, vel ob ipſorum Operariorum, torrido elimati reſiſterc non valentium defectum, clariias Catholieæ lucis, donec Rex Alvarus per Oratorem ſuum Miſſionarios Capucinos à Summo Pontifice Paulo V. requiſivit.

Illieo horum nonnulli ad Apoſtolatûs iter fuêre ſelecti, eui autem continuando primò Politiea obicem poſuit, & dein noviter inchoando moras injecit ſubſecuta Pauli V. mors, donec ſub Pontificatu Gregorii XV. & Urbani VIII. opus ſuit completum, & Miſſio Capucina in Regno hoc ſtabilita, uſque ad hodiernum perdurans tempus.

Regno Angolæ, Congenſi ex parte meridionali eontermino, & olim Regi Congenſi ſubjecto, Luſitano Marte poſtmodum ſubacto, fuit & in hoc Capueinorum Miſſio inducta, ac demum ex hac & illa, una eademque Præfectura eonflata.

Plurimùm utramque Miſſionem illuſtrant tum profeſſio Fr. Franciſci, Antonii Regis Congi ſecundùm carnem Fratris Germani, qui juſſu S. Congregstionis de Propaganda Fide ad Ordinis noſtri Habitum ſuſceptus, ac Sacro Presbyteratu inſignitus uſque ad annum 1651. quo piè obiit, exemplo religioſæ vitæ ſpiritum Apoſtolici laboris univit, tum pretioſa mors, quam in ſola Miſſione Congenſi ab hujus origine uſque ad annum 1746. juxta Necrologium in Archivo Procuræ Generalis aſſervatum, 144. Fratres ſubjerunt, alii quidem in via

maris

maris submersi, alii vel à Belgis vel à Turcis in captivitatem abducti, alii barbarâ gentilium manu trucidati, alii denique sanctioris vitæ opinione clari, quemadmodum in dicto Nerologio notatum reperitur.

Vix non autem potior Missionis gloria scaturit à duplicato fructu, cujus primam partem constituit conversio ad Catholicam fidem Alphonsi Regis Angolæ cum Regina & Filiis, ac Reginæ Matambæ Annæ, aliàs *Singa* vocitatæ, quarum primum Fr. Bernardinus Hungarus, Provinciæ Romanæ Alumnus, prout in Bibliotheca scriptorum Ordinis v. *Bernardinus pag.* 45. videre est, sacri baptismatis aquis mundavit, aliam verò Fr. Antonius à Gaeta juxta infrà annotanda, Ecclesiæ Catholicæ reconciliavit. Alia & secunda fructûs portio elucet copiosè *ex relatione Successûs Missionis &c.* suprà memorata, nec non ex descriptione trium regnorum Congi, Matambæ & Angolæ, à Fr. Joan. Antonio Cavatio à Montecuculo, Provinciæ Bononiensis alumno, manu scripta, à P. Fortunato Alamandino ad politiorem stylum redacta, anno 1667 publico typo data, ac in actis Lipsiæ anni 1687. *pag.* 649. ac in ephemeride Parmensi ejusdem anni *pag.* 649. commendata. Antiquis hisce fructûs Documentis si nova addere debeam, consultum judico producere ex foro Archivi Procuræ Generalis unam alteramve epistolam, hujusmodi fructûs testem: quarum prima quidem est illa à Principe Sonhi ad P. Generalem nostrum data, ita sonans.

REVERENDISSIME P. GENERALIS.

Sors, quæ mei Antecessoribus per adoptionem in filios spirituales S. Matris Ecclesiæ, mediis RR. PP. Missionariis Apostolicis Capucinis, Filiis P. V. Rmæ obtigit, ansam mihi ceu Filio dictæ Matris, necnon Filio spirituali P. V. Rev. præbuit, uberes fructus, quos in hac vinea S. Ecclesiæ, & in hoc meo Principatu Sonhi continuò dicti PP. Missionarii colligunt, Eidem exponendi. M. R. P. Præfectus Fr. Franciscus à Pavia venit in hanc Missionem, factâque illius visitatione, se contulit ad illam Congi pariter visitandam. Circuivit per integrum biennium illas partes, tractando & urgendo restaurationem illius desolati Regni & Christianitatis, quod & ex speciali Dei gratia, & juxta vota Sancti Pontificis Innoc. XII. qui eundem ad hunc finem ablegavit, successit. Adjuvi illum, consilia dando, iter ejus securum reddendo, & pro suæ Personæ tutelâ 120. homines, qui illum ad Regiam Quibango comitari debebant, assignando; & cum defacto redierit Loandam ad me invisendum, spirituali consolatione tum me, tum populum meum replet zelando pro animarum salute, & nos ab excommunicatione, in quam ego & populus meus ob venditionem mancipiorum, hæreticis factam, incurrimus, absolvendo. Hinc æquum mihi visum est hoc perscribere Rev. Pat. Vestræ, & ab ea fuam Sanctam benedictionem efflagitare. Sonhy 4. Octobris 1701.

Filius spiritualis & Amicus
Don Antonius Barettus de Sylva
Princeps Sonhi.

Secunda à Principe Successore P. Procuratori Generali inscripta:

Adm. Rev. P. Procurator, Commissarie Generalis magnæ Religionis RR. PP. Capucinorum.

Ego D. Paulus Generosus de Sylva, post mortem Antecessoris D. Antonii Baretti de Sylva, Principis hujus Principatûs Sonhi, partes meas esse duxi Pat. S. M. R. certiorem reddere, qualiter nos omnes in quocunque statu & hora, tum P. S. M. R. ac toti Religioni, tum S. Congregationi Emin. DD. Cardinalium de Propaganda Fide grates rependere tenemur ob eximium fructum, quem in hisce terris PP. Capucini Missionarii Apostolici absq; ulla interruptione colligunt, præsertim verò P. Joan. Maria à Barletta, qui mediante nostro idiomate operatur mille prodigia, ita, ut nulla quasi Colonia reperiatur, quæ cum de terris suis dimittere velit. Affabilis ille est cum omnibus, indefessus in officio Apostolico, excurrens in omnem terram hujus Regni, infinitis laboribus & persecutionibus pressus, quin unquam conturbetur. Mala hæc patimur ob præsens bellum, quod nostram Civitatem ob Necromantiæ cultores, aliosque malignantes, qui in lege Dei Domini nostri vivere detrectant, invasit. Hospitium illius penitus & usque ad suppellectilem ac rem sacram fuit destructum, & oculis nostris propriis prædictum Patrem vidimus cum Gentilibus tonantem verbis, & absque mortis metu rem Ecclesiæ defendentem, modò amore illos alliciendo, modò timore excommunicationis eos perterrendo. Et ego, ceu Princeps Catholicus, qui pro honore Dei zelari teneor, volo, ut, si obedire renuerint, injun-

injuriis, Eccleſiæ Dei ab iis iniquè illatis, per graves, & horribiles pœnas ſatisfaciant. Ne tamen alteriùs P. S. M. R. ſim moleſtus, ſuam ſanctam benedictionem ex corde efflagito, me verum S. Eccleſiæ, ac P. V. A. R. Filium, nec non Summi Pontificis, Vicarii Chriſti obedientiſſimum Servum declarando ac profitendo. Rogo queque Sanctiſſimum Patrem, ut Miſſionarios Capucinos ad hunc meum Principatum pro cultura vineæ tantò dilatatæ, & tot animarum baptizatarum, & Sanguine Chriſti Domini redemptarum ſolatio ablegare dignetur. Hæc mea epiſtola fuit in totius populi præſentia exarata, & idipſum, quod dico ego, dicit & ille, & ego ac ille Sanctam Benedictionem precamur. Scriptum in hac mea Civitate Sonbi hac die 28. Auguſti 1708.

Don Paulus Generoſus de Sylva Magnus Princeps Sonbi Regnans.

Tertiam dedit itidem ad P. Procuratorem Generalem Senatus Regiæ Cameræ Angolæ ſub hoc tenore.

Reverendiſsime P. Procurator Generalis.

Gratitudo infinita, quam Senatus Cameræ Civitatis Loandæ nomine totius Populi, in-ehytæ Religioni Patrum Capucinorum Italorum debet, Nos ad præſentes exarandas obligat, non tantùm, ut nos Religioni pro tot charitatis officiis, quæ tam pio zelo per Miſſionem Operariorum Evangelicorum (veluti ſunt noſtri dilecti Patres ſpirituales Miſſionarii Apoſtolici Capucini Itali) in nobis cumulantur, debitores profiteamur, ſed etiam, ut P. V. Reverendiſſimæ fructum, qui peculiari ſpiritu, & incenſo zelo dictorum Patrum Miſſionariorum cum tanta Dei gloria, & animarum ſalute colligitur, referamus. Speciatim hoc in Miſſione altimè à M. R. P. Præfecto Fr. Franciſco à Pavia per duorum annorum ſpatium non interpolatum in vaſtiſſimis Regnis & Provinciis Congi, Bolà, Pombi Magni, & Sonbi facta contigit, ubi ſolitus Agoſtolicus P. Præfecti ſpiritus eo fervore adlaboravit, ut aliquot millia animarum baptizaret, magnum earum numerum Matrimonio jungeret &c. quin graviſſimum negotium reſtaurationis, & aſſiſtentiæ Regno Congi, jam per quinquaginta annos deſolato, ac cultu idolatrico & enormibus peccatis cum infinita animarum perditione polluto prębendæ omitteret. Ex quo adjuvante Dei gratia unionem, pacem & florem Religionis in Regno tam miſerè concuſſo reſtitutam, & quod majus eſt, offenſam Divinam ſublatam videre confidimus. Gloria hæc & laus poſt Deum, Religioni Capucinæ, quæ hac occaſione per unum ſuorum Filiorum in tota hac noſtra Æthiopia inferiore Africana bonum tam inſigne, & conſolationem ſpiritualem nobis procreat, debetur.

De facto nos nonnihil deſolatos conſpicimus, cum aſſiſtentiâ Patris tam dilecti, & Socii privandos nos videamus, Semel dum eum ad alios ſeptem annos, uti in hiſce partibus vulgatum erat, in officio confirmandum eſſe ſecuri credebamus, omnes deſuper geſtiebant; jam verò eum ipſe P. Præfectus Succeſſorem jam conſtitutum, & regreſſum ſuum ad partes Europæ neceſſarium eſſe nobis retulerit, diſplicentia generalis nos affligit. Hanc autem Dei voluntatem, ſicut & ipſius Patris deſiderium eſſe conſiderantes, vertimus triſtitiam noſtram in conſolationem, cum indubitatum ſit, quod in hiſce ſeptem annis notabiles anguſtias, & mortales infirmitates pertulerit, deſiderando, & procurando ſemper terminum officii, quatenus ad Europam, prout jam exequitur, redire poſſet. Rogamus Deum, ut ſua ſancta gratia in noſtræ afflictionis levamen, eum comitari dignetur, Paternitatem Veſtram Reverendiſſimam autem, ut nos in ſua conſervet gratiâ. In Regno Angolæ 4. Decembr. 1701.

Senatus Cameræ.

Fructum, quem hæ & aliæ plures in memorato Archivo originaliter aſſervatæ litteræ abundè exhibent, ut noſter Fr. Hyacinthus Bruſottus à Foro Caſſii, vulgò Vetralla, in Miſſionariis facilitaret, iis reliquit *regulas pro difficillimi Congenſium idiomatis captu ad grammaticæ regulas redactas, nec non doctrinam chriſtianam —— in 4. linguas, ſcilicet latinam, Italicam, Luſitanam & Congicam diſperſam*, Sacra Congregatione de Prop. Fide opus probante, ac ſumptus typo ſubminiſtrante.

Statum Miſſionis præſentaneum conſtituunt loca, quæ ſequuntur:

In Regno Congi 1. Civitas S. Salvatoris. 2. Incuccò. 3. Sonhum. 4. Bamba Lubatta. 5. Bamba Pambu. 6. Anguella. In hiſce locis ſtabiles, & ſoli cunctantur Miſſionarii Capucini.

In Regno Angolæ 1. Loangum (aliis Loanda) Regni Metropolis, & Præfecturæ locus. 2. Bengum. 3. Maſſanganum. 4. Cahenda.

Peti-

Petitos ex Ordine Capucinorum Miſſionarios quamprimùm illuc ablegandos Alvaro Regi renuntiat, ejuſque Fidei zelum inſigni præconio extollit.

Chariſſime in Chriſto Filio Noſtro Alvaro Regi Congi Illuſtri

PAULUS PAPA V.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN proximis Majeſtatis tuæ Litteris xx. die Octobris anni præteriti datis, & Nobis redditis à Dilecto Filio Magiſtro Joanne Baptiſta Vives, utriuſque Signaturæ Noſtræ Referendario, Oratore tuo, invenimus ad vivum expreſſam Imaginem piiſſimi Regis, & Sanctæ Chriſti Eccleſiæ, atque hujus Apoſtolicæ Beati Petri Sedis generoſiſſimi Filii, qualem nimirum ſemper Te Nobis exhibere ſolent litteræ tuæ; quo fit, ut, quoties illas legimus, ſpirituali gaudio repleamur, & ex toto corde noſtro laudemus eum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcenditzcujus immenſæ gratiæ ſummo beneficio efficitur, ut ſtabilis in ejus famulatu Majeſtas tua perſeveret; quin etiam in dies magis, ac magis in Te divinæ gloriæ, & Catholicæ Religionis in iſtis partibus propagandæ Zelus accendatur;cujus quidem Zeli certum teſtimonium ex tuis litteris, & ex verbis ipſius Oratoris tui accepimus; dum videlicet tam grata, atque ſalutaria fuiſſe Tibi ſignificas ea, quæ ad pietatem, & Cultum Dei augendum in tuo Regno libentiſſimè conceſſimus, & dum tanto affectu, & efficacia Nobis inſtas de Religioſis ex Ordine Capucinorum ad excolendum ampliſſimum iſtum Domini Agrum mittendis, in quo meſſis multa, operarii verò admodum pauci exiſtunt, quos quidem Religioſos ad Te, quamprimum venire curabimus: nec dubitamus, quin vitæ Sanctimonia, verbo doctrinæ, & aſſiduo labore magnum fructum Domino ex animarum ſalute in iſtis Regionibus referant. Cæterùm; quod attinet ad Dilectum Filium Bras, Confeſſarium tuum, de quo Nobis gratias agis, illud perſuaſum habeat volumus, Nos, quod ei contulimus, magna noſtra voluntate, tum Majeſtatis Tuæ intuitu, tum etiam ipſius merito feciſſe, nec deerimus oblatâ occaſione noſtræ in ipſum benevolentiæ alia ſigna pari affectu demonſtrare: ut enim Majeſtatem tuam in intimo corde in viſceribus Jeſu Chriſti gerimus, Tibique gratificari, quantùm cum Domino poſſumus, maximè cupidi ſumus, ita eos, quos tibi charos novimus, beneficiis proſequi ſemper parati erimus. Quod verò Majeſtas tua diligentiam Venerabilis Fratris Epiſcopi Foroſempronienſis Collectoris noſtri in Regno Portugalliæ commendat in tranſmittendis ad Te noſtris litteris, gratum ſane id fuit Nobis intelligere; Confidimus autem, quem illi in eo munere Succeſſorem dedimus, Venerabilem Fratrem Epiſcopum Albinganenſem, pari diligentia Majeſtati tuæ ſatisfacturum: nolumus autem præſenti oblata occaſione debita viciſſim laude fraudare Vives, Oratorem tuum, cujus fidem, prudentiam, ac ſollicitudinem in Majeſtatis tuæ negotiis pertractandis perſpectam habemus, etiam nomine valde Nobis gratus exiſtit, ipſum de iis rebus agentem, quæ in mandatis à Te habebat Nobis exponenda libenter, attentèque audivimus, idemque ſemper, cum uſus venerit, præſtabimus. Quod reliquum eſt Chariſſime Fili, ſiquidem Te præſentem, ut vellemus, non poſſumus, abſentem ſinceræ paternæque charitatis affectu complectimur, ac noſtra Apoſtolica benedictione toto ex animo benedicimus, Dominum enixè precantes, ut Regni tui finibus longè, latèque propagatis, omnique moleſtia ſublata, quæ ad ſui gloriam, Catholicæ Religionis exaltationem, atque animarum æternam ſalutem pertinent, facilè pro tuo deſiderio, ut exequaris, Tibi concedat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxxi. Auguſti MDCXX. Pontificatûs noſtri Anno Decimo ſexto.

Ex Archivo Vaticano, & Regeſto Brevium ad Principes Pauli V. annorum xv. & xvi. *num.* 14. *fol.* 185.

Capucinos duodecim ad viam paratos eidem Regi intimat.

Chariſſime in Chriſto Filio noſtro Alvaro Regi Congi Illuſtri

PAULUS PAPA V.

MIttimus ad Majeſtatem tuam, quos à Nobis per Litteras, & per Oratorem tuum, dilectum Filium, Joannem Baptiſtam Vives, Utriuſque Signaturæ noſtræ Referendarium, expetieras, Religioſos Viros ex arctiori regula Ordinis Franciſcani, quos Capucinos appellamus. Hi zelo divini honoris, & ſalutis animarum incenſi iſtuc profici-

ficiſcuntur, ut cum humani generis hoſte ſtrenuè confligant. Puſillus quidem grex eſt, ſed Dei virtute armatus inſtar validiſſimi exercitûs, de impietate ac vitiis in iſtis Regionibus longè, latèque, Dei adjutrice gratia, triumphabit. Non enim magnum erit, ſi ille Dominus, qui per duodecim Apoſtolos ſuos in univerſum Orbem miſſos, fugatis ubique errorum tenebris, omnia Divinæ veritatis luce complevit. Idem ipſe per duodecim, qui cum ſuo Duce in Africam veniunt, eadem in tuo Regno, & in finitimis quoque locis, ad ſui gloriam, & ad tot populorum ſalutem efficaciter operabitur. Excipiet Majeſtas tua Chriſtum ipſum in his ejus Pauperibus, qui omnibus ſe rebus ſæculi abdicârunt, ut firmiùs Domino ſuo adhærerent, eique fideliter inſervirent. Externis quidem & caducis bonis ſunt prorſus inanes, ſed veras intus geſtant ſolidaſque divitias ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei, quibus Africæ Nationes copiosè locupletare valeant. Nec ullo pacto Nobis dubitare fas eſt, quin tua ſingularis pietas, quæ Religioſos iſtos ex tam remotis partibus tanto ſtudio ad ſe accerſiit, eoſdem præſentes patrocinio aſſiduè foveat, & protegat. Sic enim fiet, ut ſui ad Majeſtatem tuam adventûs optatum ſibi fructum referant, & alii Religioſi Viri, horum exemplo incitati, & tuo zelo, & benignitate illecti, ad hujuſmodi opus Dei promovendum ex noſtris partibus alacres in has Regiones ſe conferant, Tibique ſuis orationibus, atque etiam fideli operâ non modico adjumento exiſtant. Nos certè, qui Majeſtatem tuam verè paterno affectu in intimo corde, in viſceribus Jeſu gerimus, quique tua omnia commoda, ut propria, noſtræ curæ habemus, quacumque ratione cum Deo poterimus, Tibi auxilio eſſe nunquam deerimus. Interim Dominum enixè rogamus, ut eum ſuæ ſanctæ gratiæ affluentia felicissima quæque Majeſtati Tuæ tribuat aſſiduè, cui iterum toto cum animi affectu noſtram Paternam, & Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Januarii anno MDCXXI. Pontificatûs noſtri anno Sexto decimo.

Exſcriptum ex tomo Annalium noſtrorum à P. Silveſtro Mediolani editorum par. 2. fol. 226.

Iter dictorum Miſsionariorum per ſubſecutam Pauli V. mortem præpeditum, à ſe acceleratum eſſe, eidem Regi ſignificat.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Alvaro, Regi Congi Illuſtri,

GREGORIUS PAPA XV.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAnctæ memoriæ Paulus Papa V. antequam ad æternam in Cœlis requiem, a Domino vocaretur, ut Majeſtatis tuæ maximè pio deſiderio, ac petitioni annueret, ſimulque ſaluti animarum iſtius ampliſſimi Regni tui, & vicinarum Regionum provideret, jam iſtuc deſtinaverat hujus divini operis Miniſtros, Religioſos Dei ſervos ex familia S. Franciſci, quos Capucinos appellamus. Verùm dum hi ad longam navigationem ſe præparant, & opportunum ſolvendi in Africam tempus opperiuntur, ſublatus è vivis eſt Paulus. Quare tanti momenti negotium, quod ſummopere ipſe cupierat, perfectum videre non potuit. Nos itaque, qui in ejus locum, licèt meritis valde impares, Deo auctore ſucceſſimus, quique Majeſtatem tuam paterno prorſus animi affectu in charitate Chriſti complectimur, pro ea, quâ excellis, verè Regia pietate, Catholicæ Religionis zelo, & in hanc Apoſtolicam B. Petri Sedem obſervantiâ, hujuſmodi Capucinorum adventum maturandum diligenter curavimus. Hi ergo nunc cum noſtra benedictione ad Majeſtatem tuam veniunt, quorum quidem fructum, divina adjutrice gratiâ, uberrimum futurum ſperamus. Quod verò ad Majeſtatem tuam pertinet, non dubitamus, Te iſtos Dei ſervos tam ardenter à Te expetitos benignè excepturum, & Regia tua auctoritate omni ſtudio ſemper protecturum: cum præſertim non aliam ob cauſam tam longum, ac laborioſum iter juſſu noſtro ſuſceperint, niſi ut in animarum ſalutem procurandam, omnes ſuas vires, & vitam etiam ipſam, ſi caſus venerit, libentiſſimè impendant, atque ita Dei gloriæ ſerviant, & tuo ſimul deſiderio ſatisfaciant. Certè, quidquid Majeſtas tua in Operarios cœleſtis Patrisfamilias beneficii contulerit, tanquam ſibi collatum, idem Dominus terrenis, æterniſque bonis compenſabit: quæ bona Nos Majeſtati tuæ à Domino enixè precamur: & iterum Apoſtolicam noſtram benedictionem Tibi ex animo impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XIX. Martii MDCXXI. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Ex Arch. Vaticano Regeſto Epiſt. ad Principes hujus Summi Pontificis fol. 88.

Fr. Bonaventuram ab Aleſſano cum tribus Sociis ad Regnum Congi ablegari decernitur.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater & D. N. D. Urbanus Divina Providentia Papa VIII. omnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te Fr. Bonaventuram de Aleſſano Ordinis Capucinorum cum tribus Sociis mittere decrevit, & mittit in Regnum Congi, ut cum facultatibus vobis per alias litteras concedendis, Evangelium D. N. J. Chriſti annuntietis, & gentes illas doceatis ſervare, quæcunque S. Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana præcipit, & præſertim, ut judicium univerſale futurum eiſdem conteſtemini. Vos itaque rei magnitudinem, & Apoſtolici muneris vobis commiſſi gravitatem ſeriò perpendentes, in primis cavete, ne ad hæreticorum, ſchiſmaticorum & infidelium conciones, aut ritus quoslibet quovis prætextu vel cauſa accedatis. Deinde omnem adhibete curam, ut miniſterium veſtrum dignè ac fideliter, etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa, ſi opus fuerit, impleatis, ut immarceſcibilem coronam à Patre luminum recipere mereamini.

Datum Romæ ex Sac. Congregatione de Propaganda fide die 25. Junii 1640. Pontificatûs ejuſdem Sñi in Chriſto Patris anno decimo ſeptimo.

Ex actis S. Cong. de Prop. Fide anni 1640. pag. 125. num 52.

Eundem Fr. Alexandrum cum Sociis Miſſionariis Alvaro Regi Congi commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio, Alvaro, Regi Congi illuſtri.

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRæclaro pietatis exemplo, & inſigni zelo, quo animum ad Divini nominis gloriam promovendam maximè incenſum oſtendit Majeſtas tua, paternam benevolentiam noſtram ſibi plurimùm obſtrinxit, & ingentem apud veros Romanæ Eccleſiæ Filios, ſolidæ virtutis comparavit gloriam; idcirco aſſidua pro tua incolumitate Deo vota nuncupamus, qui dat ſalutem Regibus, atque ab illo enixè petimus, ut Te immortali ſuo præſidio tueatur, & conatibus, quos ad propagandam catholicam Fidem continenter adhibes, propitium atque ſecundantem ſe præbeat. Nunc autem, ut reipſa teſtatum ſit, quantùm de Majeſtatis tuæ atque univerſi iſtius regni commodis ſolliciti ſimus, iſtuc mittimus Dilectum Filium Religioſum Bonaventuram de Alexano. *Reſiduum Pontificiæ hujus Epiſtolæ, ſicut & ſuccinctam de vita & Apoſtolico P. Bonaventuræ zelo notam vide tom. 3. Bullarii pag. 131.*

Commendationem præfatam repetit.

Chariſſimo in Chriſto Filio, Alvaro, Regi Congi illuſtri.

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CHriſtianæ Religionis ſtudio incenſus Majeſtatis Tuæ animus, ejuſque ſervandæ ac provehendæ inditus illi eximius ê Cœlo ardor, omnino faciunt, ut ſubjectis tuæ Ditioni populis impenſâ curâ proſpicias, eorumque æternæ ſaluti opportuna parari præſidia, piis æquè ac Regiis votis exoptes. Et pari Nos erga Majeſtatem Tuam charitate ſuccendi æquum eſt, qui pro eo, in quo Nos Spiritus Sanctus poſuit, Eccleſiæ univerſæ regimine, hanc in Te mentem amantiſſimè complectimur, eique enixè juvandæ Pontificias cogitationes atque operam vehementer adhibemus. Mittimus propterea in Regnum iſtud Dilectum filium Religioſum Virum, Bonaventuram de Aleſſano, ex Ordine Capucinorum, qui ſuis cum ſociis planè intento ad Divinum cultum animo, curandæ ſeſe animarum ſaluti penitus devovit, doctrinaque ac virtutibus fultus, longiſſimi itineris incerta diſcrimina, quæ certos tamen labores, atque ærumnas habent, magno ſibi in lucro ponit, ut homines Chriſto lucrifaciat. Hunc benignè Majeſtas tua, ut excipiat, eique in ſuo munere tum Divini Verbi prædicandi, tum Sacramentorum miniſteria exercendi Regia authoritate, ac benevo-

len-

lentia præſidio ſit, omni ſtudio poſtulamus. Proinde verò fore confidimus, ut tuo ille cum iiſdem ſociis patrocinio tectus, nulla à quoquam impedimenta ſubeat; imò & reliqui Regio exemplo edocti, ſpem illi ſuam opportunè conferant, ad ſpiritualia ejuſmodi opera præſtanda, quæ ut idem alacriùs, & uberiore cum fructu peragat, multiplices Nos illi ſacras facultates conceſſimus, non mediocri futuras animarum adjumento, & ſolatio. Hæc tam efficaciter, ut à Nobis expetuntur, tua, Chariſſime Fili, pietas, atque humanitas conficiet, ut, qui probè noris, certam Regnorum ſecuritatem in Religione eſſe poſitam, eorumque felicitatem augeri cum ipſo Divini cultûs incremento. Deferimus porro Majeſtati Tuæ paratiſſimam Paternam noſtram voluntatem, Tibique ſaluta omnia à Domino precati, Apoſtolicam benedictionem largiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mar. Maj. ſub annulo Piſcat. die x. Novembris MDCXXXV. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Ex Arch. Secret. Brevium ad Principes *menſe & anno præd. fol.* 188.

Actus obedientiæ, quam pro parte D. Garziæ Alphonſi II. Regis Congi FF. Angelus Valentinus & Joannes Franciſcus Romanus, Capucini, ab Altefato Rege Oratores ad Innocentium PP. X. miſſi præſtiterunt, ac apographum ſermonis ſeu orationis à P. Procuratore generali Ordinis hac occaſione habitæ.

SAbbato die 9. Maji 1648. habita fuit Congregatio de Prop. Fide coram Sanctiſſimo Domino Noſtro in Palatio Quirinali preſentibus DD. Cardinalibus, ſuper ea deputatis, Mantellettis, & Mozzettis indutis; abſolutâ Congregatione Sanctitas Sua accepit ſtolam per manus Domini Cardinalis Sforziæ antiquioris Diaconi præſentis, & ſedens, ut prius, ſub Baldachino in Camera contigua Capellæ ſecretæ à latere Atrio magno reſpondenti, cum interventu prædictorum Dominorum Cardinalium, duorum antiquiorum Protbonotariorum Apoſtolicorum cum Rochettis & Mantellettis, & plurium ex Familiaribus Suæ Sanctitatis in habitu Quotidiano admiſit ad audientiam RR. PP. Fratres Angelum Valentinum, & Joannem Franciſcum Romanum, Religioſos Ordinis Capucini Prædicatores, inſignes Oratores miſſos ad præſtandam obedientiam Suæ Sanctitati, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ Rumanæ à Sereniſſimo Domino Don Garzia Alphonſo II. Rege Congi in extremis Æthiopiæ partibus, in quas prædicti Patres Oratores nonnullis ab hinc annis miſſi fuerunt ad Fidem Catholicam propagandam ab eadem Congregatione. Ordo autem hujus admiſſionis fuit infraſcriptus, prout mihi retulit Dominus Bellus, noſtri Officii Decanus, meus Socius, ipſe enim, & Dominus Phœbeus ſimiliter Socius ſolummodo interfuerunt; Abſolutâ, ut dixi, Congregatione prædicta, quæ ad hunc effectum habita fuit coram Sua Sanctitate, Pontifex accepit ſtolam, & ſedentibus DD. Cardinalibus, aliis verò ſtantibus, introducti fuerunt à præfatis meis Sociis Oratores prædicti in habitu ſuæ Religionis in Cameram ſupradictam Congregationis, qui tertiò ante Suam Sanctitatem debitis diſtantiis genu ad terram flexerunt, & genuflexi unus poſt alium pedem Pontificium oſculatus eſt, & genuflexi adhuc permanentes, dignior ea eis obtulit Suæ Sanctitati litteras credentiales, & reverentiales, alteram apertam, alteram verò ſigillo munitam, quas Papa accipiens dedit ſuo Præfecto Cubiculi, actum concomitando cum verbis obſequio plenis; poſt hæc aſſurgentes venerunt extra ſubſellia Dominorum Cardinalium, ipſos Dominos Cardinales ſalutando, ibique è conſpectu Pontificis unà cum R. P. Fratre Simpliciano Vicecomite Mediolanenſi, ejuſdem Ordinis Procuratore Generali, qui orationem erat habiturus, genuflexerunt, & ſic genuflexis permanentibus, dictus R. P. Frater Simplicianus orationem infra inſerendam habuit, & nomine prædicti Regis Congi Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio, divina Providentia Papæ X. ac S. Sedi Apoſtolicæ & Catholicæ Romanæ debitam obedientiam, & obſequium præſtitit & exhibuit; expletâ oratione Dominus Phœbeus Socius meus verſus ad Prothonotarios, dixit: DD. Prothonotarii erunt rogati de hujuſmodi actu obedientiæ præſtitæ Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio X. per Oratores Regis Congi, &, quandocumque requiſiti fuerint, unum vel plura ſuper eo documentum ſ. ſeu Documenta conficere valeatis; Tunc Dominus Prothonotarius Homodeus antiquior ex præſentibus ſui Ordinis verſus ad circumſtantes dixit elara & intelligibili voce, *Vobis Teſtibus*: & illico prædicti duo Religioſi Oratores, & alter, qui orationem fecit, aſſurgentes, redierunt ad Papam, & pedem iterum ſunt oſculati, prout fecit etiam, qui oravit poſt eos, & ſuppliciter inſtiterunt apud Suam Sanctitatem, ut dignaretur eos admittere ad audientiam privatam ante eo-

rum diſceſſum ab Urbe, expoſituri neceſſitatem illius Regni, & præcipuè illam, ſaltem trium Epiſcoporum ad exercendum Pontificalia; quare Sanctitas Sua mandavit meis ſocüs, ut de Ordine ſuo dicerent Præfecto Cubiculi, ut eos admitteret, quoties poſcerent audientiam, & amotâ ſtolâ per manus ejuſdem Cardinalis Sfortiæ receſſit, producto ſigno Crucis ſupra Cardinales & Oratores genuflexos, qui deinde aſſurgentes gratias rependerunt DD. Cardinalibus, & abierunt, redeuntes ad Monaſterium Capucinorum, ubi hoſpitati ſunt, & hoſpitantur. Omnia prædicta ſcripſi ad relationem dicti Domini Belli noſtri Decani, mei ſocii, qui præſens fuit cum Domino Phæbeo, ego enim, nec alius ex nobis interfuit. Oſtio autem habita hac occaſione à prædicto Patre Simpliciano fuit tenoris ſequentis &c.

Beatiſſime Pater. Idem ille Deus Gorzias Alphonſus ſecundus Regni Congi in extremis Æthiopiæ partibus Rex, ad quem Chriſtianæ fidei arcanis imbuendum, & illius gentis, non quidem Æthiopicam pellem mutandam, ſed animarum ſordes ſacri fontis lavacro tergendas, menteſque Verbi Dei magiſterio ac prædicatione informandas miſſi jampridem fuerunt Fratres puſillæ veſtræque Beatitudinis clientulæ S. Franciſci Capucinorum Familiæ, ad hanc S. Sedem, tanquam ad Sacrorum Principem, ac tutius veritatis Magiſtram Legatos remittit Patres Fratres Angelum Valentinum, & Joannem Franciſcum Romanum, ejuſdem Ordinis Concionatores, ut poſt humillimæ Beatiſſimorum oſcula pedum, nonnulla, ea, quæ decet, reverentia, ejuſdem nomine ſuppliciter exponant. Rex ille verè pius Apoſtolicas litteras ſic excepit, ut, ſi eaſdem è Cælo ſubmiſſas, non in terris conſcriptas exiſtimáſſit, majori veneratione excipere minimè potuiſſet. Miſſionarios Capucinos incredibili profuſus lætitia, quaſi cœlitus ſuſcepit, unumquemque eorum in genua provolutus devotiſſimè amplexans, manus etiam exoſculans, nullumque erga ipſos humanitatis genus, aut initio prætermiſit, aut in præſentiarum decurſu temporis omittit. In Catholicam fidem, & Pontificiam Majeſtatem, amoris, obſequii, & venerationis ejuſdem flammas concepit, ut ad obedientiæ & ſubjectionis perſolvendum tributum cum ſuis epiſtolis Oratores deſtinaverit. Te verò Jeſu Chriſti Vicarium, Petrique meritiſſimum ſucceſſorem indubitanter agnoſcens, atque ideo Paternam tuam charitatem, ac pietatem enixè implorans, ut ſanctiſſimum, & ſaluberrimum opus, quod religioſiſſimè incepit, pro viribus glorioſiſſimè proſequatur, novos Miniſtros ſubmittat; Meſſis enim multa eſt, operarii autem pauci, ad colligendam animorum pretioſiſſimam Segetem illarum Regionum, quæ Chriſto exalbeſcunt; Tres verò potiſſimum Epiſcopos conſtituat, qui è manerii ſui ſpeculo in illius gregis jam ad Dominum collecti curam incumbant, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ formam præſcribãt verbis, exemplis, myſteriiſque Cœleſtibus ovet Chriſto genitas paſcant. Apoſtolica Eccleſiarum omnium ſollicitudo, quam Romani Pontificis eſſe propriam nemo non novit, & in pectore Beatitudinis Veſtræ præcellentem admirantur univerſi, nulla patitur ratione, quin Congborum Regis juſtiſſimis poſtulationibus non ſit tantò generoſius reſponſura, quantò illius vota ſunt ſpei, charitatis, & fidei plcniora &c.

Nomina autem prædictorum Cardinalium præſentium ſunt, videlicet, Emi Dñi Franciſcus Barberinus, & Bernardinus Spada Epiſcopi, Aloyſius Capponius, Federicus Cornelius, Martius Ginnettus, Franciſcus Maria Brancaccius, Jacobus Panzirolus, Aloyſius Caraffa Presbiteri, & Federicus Sfortia Diaconus: Teſtes fuêre Rev. Dominus Hieronymus Panuccius, Referendarius, Lactantius de Lactantiis Præfectus Cubiculi, & Quintius de Bubalis, Pincerna Suæ Sanctitatis, ambo Baſilicæ Vaticanæ Canonici; De hujuſmodi autem actu, ut prædixi, rogatus fuit Rev. Dominus Homodeus Prothonotarius Apoſtolicus, & Prælatus ejuſdem Congregationis de Prop. Fide: interfuit etiam Dominus Ingolus Secretarius Congregationis prædictæ: His abſolutis Papa remanſit cum Cardinalibus Spada, Capponio, & Panzirolo, peracturus Congregationem ſuper rebus Regni Hiberniæ &c.

Exempl. auth. in Arch. generali Ord. Armario Miſſio Congi.

NOTA

MEmorat hic actus, porrectas fuiſſe Suæ Sanctitati à digniore PP. Oratorum litteras credentiales, & reverentiales, quas hic jungere ipſa actûs perfectio exigere videtur: litteræ credentiales fuerunt tenoris ſequentis:

Hiſce

Hiſce meis credentialibus litteris & Scriptura à me ſubſcripta, & ſigillo meo Regio, munita, conſtituo & declaro Oratores meos ad Sanctitatem veſtram, RR. Patres Fr. Angelum à Valentia, & Fr. Joan. Franciſcum à Roma, Concionatores Capucinos, & hujus Regni Congi Miſſionarios Apoſtolicos, iiſque omnem meam poteſtatem & facultatem loquendi, proponendi, & materias cum Sanctitate Veſtra, bonum & utilitatem hujus Coronæ Congenſis congenſi concernentes tractandi haud aliter, ac ſi ego perſonaliter, vel in propria mea Regia Perſona id agerem, attribuo; hinc & ipſis plena in omnibus adhibeatur fides, & omne id, quod ipſi tractabunt & determinabunt cum Sanctitate Veſtra, ego ceu bene factum, firmum, & validum habeo. Congi 5. Oct. 1646.

Sanctitatis Veſtræ.

Filius Obedientiſſimus
Rex Don Garzias.

Reverentiales econtra ſonabant, ut ſequitur:

Præſto Sanctitati Veſtræ toto mentis affectu obedientiam, ceu Filius S. Rom. Eccleſiæ, ſimulque grates reddo debitas pro ſollicitudine, qua Miniſtros Evangelicos mihi pro hoc Regno Congi miſtere intendit. Supplico Sanctitati Veſtræ, ut ii, quos deinceps ablegabit, ſint Fratres S. Franciſci, Capucini nuncupati, cum ego & totum meum regnum illos æſtimet, ceu veros Dei ſervos, & pariter, ut ſint in amplo numero, cum regnum ſit vaſtum, & in eo nonniſi 16. Sacerdotes reperiantur, ob quam penuriam populus in ſpiritualibus non parum patitur. Rogo itidem Sanct. Veſtram, ut cum Miniſtris Evangelii etiam Epiſcopos ad hoc regnum mittere dignetur, quatenus alios Epiſcopos conſecrare, Sacerdoteſque ordinare poſſint, & ita Religio Catholica in regno firmius ſtabiliatur, & perduret. Tandem obſecro, ut gratias illas, quas pro univerſali hujus regni commodo impetrandas oretenus meis Oratoribus commiſi, & quas ſcriptotenus ideo, ne fim tædio, non exprimo, impertiri non gravetur Sanctitas Veſtra, cujus Perſonam, & dignitatem ſupremam Dominus noſter pro bono Chriſtianitatis conſervet. Congi 5. Oct. 1646.

Filius Obedientiſſ. Sanct. V.
Rex Don Garzias.

Excript. utrumque ex rel. impreſ. Miſſ. Cong. Fr. Joan. Franc. Rom. fol. 50. & 51.

Prædictos Fratres, Regios Oratores, à ſe benignè exceptos nuntiat.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Garziæ, Regi Congi

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNiverſos æquè Chriſtiani Orbis populos in ſinu paternæ charitatis ex Apoſtolatûs noſtri munere geſtantes, peculiarem iis Chriſti ovibus, quæ ſub aliis Cœli plagis à Nobis tam procul diſſitæ degunt, ſollicitudinem impendimus, ut, quas ab amante Paſtore terrarum, ac marium longinquitas diſtrahit, ejus lateri affidua curarum & amoris proximitas jungat. Nobis ergo de Majeſtate tua, & Congi Regno, quod Te ex aliis noſtris litteris jamdiu cognoviſſe credimus, benevolentiſſimè cogitantibus, ac Religionis apud vos cauſæ paternè proſpicientibus, optato advenit devotum obſequii tui in Nos, & hanc Sanctam Sedem officium; quod locupleti litterarum teſtimonio, & dilectorum Filiorum, Fratris Angeli de Valentia, & Fratris Joannis Franciſci de Roma, Ordinis Capucinorum legatione commendatum, Apoſtolica benignitate libenter excepimus, complexi peramanter Oratores tuos, ex quibus piis tuis votis, & Eccleſiarum iſtius Regni ſpiritualibus indigentiis intellectis ſedulam operam daturi ſumus, ut commodis veſtris, prout in Domino expedire viſum fuerit, prore, & tempore conſulatur. Interim eximia pietate tua in populis iſtis à contagione tam Infidelium, quàm Hæreticorum diligenter tuendis, animarum veſtrarum ſalutem ſitientes ſummopere gaviſi ſumus; Teque, ut magiſque in dies enitaris, hortamur. Sicut enim nullum aliud eſt ſub Cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, quàm Chriſti Jeſu, ita hujus Nominis gloriam falsò uſurpant, qui ſe ab Ovili Chriſti ſeparant, & ab ejus Paſtoris cuſtodia, cui Chriſtus Dominus Oves ipſe ſuas paſcendas commiſit. Omnibus igitur animi tui viribus,

Chariſ-

Chariſſime in Chriſto Filii noſter, elabora, tum in conſervanda, tum etiam in partibus iſtis propaganda vera Chriſti Fide, in qua ſola eſt ſalus, totoque pectore in eam curam incumbe, ut juſtitiam, pietatem, ac cæteras Chriſtianas virtutes, quibus Te à luminum Patre donatum magna cum lætitia accepimus, aſsiduò colas, & adauctas jugiter velis, Tibique planè perſuaſum ſit, res tuas, & Regni tui Nobis cordi perpetuò fore. His ab Omnipotente Regum Rege Majeſtati tuæ, Regiiſque cum Conjuge, tum liberis, fauſta omnia, & lætitiæ ſuæ veræ plena peroptamus; quibus Apoſtolicam benedictionem ad ſalutem animarum, & corporum amantiſsimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xx. Maji MD CXXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. ad Principes *anno & menſe præd. pag.* 11.

EPISTOLA

Sac. Congaeg. de Propaganda Fide

A' Fr. Joanne Franciſco à Roma Miſſionario Coronam Regiam, à Summo Pontifice benedictam cum litteris ſibi præſentandam eſſe, Regi Garziæ nuntiatur.

A P. Ioanne Franciſco à Roma, hujus Sac. Congregationis de Propaganda Fide Miſſionario, Majeſtati Veſtræ Regia Corona, quam dictus Pater cum ſuo Socio Fr. Angelo à Valentia hîc confici curavit, præſentabitur, quæ ut acceptior habeatur, mediante Sac. Congregatione à Sanctiſsimo Domino Noſtro Innocentio X. benedictionem dictæ Coronæ cum ceremoniis Eccleſiæ ſolitis obtinuit.

Viſum eſt mihi conſultum, ut Majeſtati Veſtræ hoc teſtimonium perhiberem, quatenus prædictæ Benedictionis maneat certa, & circa alia negotia hîc pro Majeſtate Veſtra tractata, ad alias litteras & Breve Apoſtolicum, quod dicti Patres ſecum portant, & ad vivam horum vocem me remittens, Majeſtatis Veſtræ manus exoſculor &c.

Romæ 3. Octob. 1648.

Autog. in Arch. S. Congreg. tomo Epiſtol. menſis & anni præd. pag. 106.

Alios Miſſionarios ſub Fr. Hyacintho à Foro Caſsii, ſeu Vetralla, Præfecto, ablegandos, Agentem ceu rerum Congi Curatorem in Curia Romana conſtitutum, ac Diploma petiti Jubilæi reddendum eſſe eidem Regi ſignificat.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Garziæ, Regi Congi

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MAjeſtatem Tuam, Congique Regnum non tam longè ſejungit à Nobis tanta terrarum, mariumque diſtantia, ut non arctius uniat cum ardens Chriſti charitas, tum eximia pietas, & Religionis veræ ſtudium, quo ſingulariter excellens paternam voluntatem noſtram jampridem Tibi devinxiſti. Porro autem novum hoc obſervantiæ in hanc Sanctam Sedem teſtimonium, quod litterarum ſerie, & expoſitione dilecti Filii Bonaventuræ de Surrento Capucini nuper detuliſti, perlibenti animo accepimus, Teque, Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum in ejus Perſona benevolenter complexi ſumus. Quia verò pios ac fructuoſos labores, quos in Vinea iſta Domini, dilecti Filii ex Ordine Capucinorum, ſtrenuè impendunt, tanti meritò facis, Nos Tibi, & Populis iſtis rem gratam, & ſalutarem præſtare cupientes, alios ex eodem Inſtituto probatæ virtutis, ac zeli Operarios, ſub Hyacintho à Vetralla Præfecto, iſthuc delegandos in præſens eſſe duximus, nova ſubinde ſpiritualis boni, ac profectûs adjumenta hujuſmodi pro re, ac tempore ſuffecturi: ſicut eadem benevolentia impulſi officia cuncta, apud quos opus fuit, interponere curavimus, ut iſthuc optata pace, ac tranquillitate, Tuque, Subditique tui auxiliante Deo perfrui poſſitis. Præterea cum Fr. Bonaventura nomine Tuo poſtulaverit, ut Agentem conſtituere vellemus, qui Tuis, Congique negotiis in hac Curia promovendis ſedulò incumbat, id muneris Magiſtro Hieronymo Lanovio, probitate, religione, & amplis officiorum adminiſtrationibus claro Viro demandavimus. Demum expetitos Sanctiſſimi Jubilæi theſauros benignè largiti ſumus, quomadmodum ex Diplomate cernes; quod cum his litteris idem dilectus Filius Bonaventura Tibi reddet; Ipſi autem, ex quo cuncta particulariùs cognoſcere poteris, plenam fidem habere velit Majeſtas Tua, cui ſanè, ac Regiæ Domui, totique Congi Regno Apoſtolicam Benedictionem omni paterni cordis affectu largimur. Da-

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Januarii MDCLI. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

Autog. in Arch. præd. monſ. & ann. præd. fol. 29.

Miſſionarios Congi munia Miſſionis ad quinque leucas intra juriſdictionem Parochorum, ſine horum expreſſa licentia exercere non poſſe ſancitur.

In Congregatione Generali de Propagan. Fide habita die 6. Maji 1653.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Pallotto Litteras Fratris Antonii de Rervell Capucini Miſſionarii, ſcribentis ejus Collegas non obſervare diſpoſitionem Privilegiorum circa licentiam petendam ab Ordinariis locorum pro exercitio facultatum, & adminiſtrationis Sacramentorum.

Sacra Congregatio reſpondit, jam decreviſſe in Regno Congi non poſſe munia Miſſionis exerceri ad quinque leucas intra Juriſdictionem Parochorum dicti Regni abſque eorum expreſſa licentia, ſecus verò in locis extra diſtrictum dictarum quinque leucarum, in quibus auctoritate ejuſdem Sacræ Congregationis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ quilibet Miſſionarius cum obedientia Præfecti poterit dicta munia liberè exercere &c.

Extract. ex Actis S. Congreg. de Propagan. Fide de anno 1653. pag. 65. n. 9.

Fr. Antonium Romanum cum pluribus Ordinis Sociis ad continuandam Congenſis Vineæ culturam miſſum, Regi refert, ac incenſo illius zelo benedicit.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Garziæ, Regi Congi

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NEſcit charitas Chriſti marium fines, limitesve terrarum, imò elatus ſuper aquas ſpiritus Domini, cujus palpebræ interrogant filios hominum, poſuitNos ſpeculatores Domui ſuæ in lucem gentium, ut ſit ſalus ejus uſque ad extremum terræ, atque ideo urget acriùs ſollicitudinem noſtram, ut ad diſſitas quantumvis Orbis plagas vigilis curæ oculos, manuſque tendentes, & Sanctæ Fidei propagationi, & Fidelium quoque omnium indigentiis conſulamus. Cum igitur, quæ Catholicæ Religionis ſemina jecit iſthic jampridem, dextera Omnipotentis, maximum quoque Apoſtolici operis cultum exigant, quò verbo virtutis Dei fœcundè nutriantur ad fructum vitæ, novis itidem Operariis augendum in Regno iſto duximus Agrum Domini, ne vel teneri adhuc, & faciles rami inimici hominis vi, ac fraude in obliqua cogantur, vel ad rorem gratiæ ſuperabundantis vixdum erumpentes fegetum culmi urantur hyeme intempeſtiva, aut iniqui ſyderis afflatu corrupti labores, & ſpem villici fallant, ac ſterili eventu fraudent meſſem Dei ſanctam. Hæc verò, ne hactenus Provinciæ iſti metuerimus, opportunè fecit ſumma pietas, ac Religio tua, quæ ſacrorum hominum documenta ſuo exemplo antevertens, Regiâ virtute viam fecit inſtitutioni populorum, atque eximio in rem Catholicam ſtudio, ſic fovit Agricolas, bonum ſemen ſeminantes, ut manûs tuæ ope exurgens videamus iſtic germen Domini in magnificentia, & fructum terræ ſublimem, ac planè deſerta in ubertatem verſa advenæ comedant. Quæ cum Pontificiam mentem provocent ad ſtudia operæ alacrioris, mittimus Fratrem Antonium Romanum cum pluribus Ordinis Capucinorum Sociis, probatæ integritatis, ac famæ Viris, qui iſtic Apoſtolici muneris noſtri conatibus adlaborent, eos autem à Te & humaniſſimè habendos, & pro viribus juvandos etiam confidimus, ut, quod eorum cuſtodia ſeptum, ac ſacris rigatum ſudoribus fuerit, plenâ Spiritûs Sancti virtute creſcat in augmentum Dei. Percepimus ſiquidem cum ingenti Apoſtolicæ lætitiæ jucunditate Te Domûs Domini decorem Regiæ Majeſtati præferentem, in eo totum verſari, ut Sanctæ Fidei incremento, ac ſecuritati proſpicias. Quod magnum enimverò ſedulitatis noſtræ ſolatium Divinæ Bonitati referimus, cui, cum flagrantiſſimis precibus inſiſterimus, ut providentiæ noſtræ pennas daret ſicut Columbæ, quò iſtuc ad rem Chriſtianam publicam aſſerendam, tuendamque convolaret, placuit zelum noſtrum impleri pietate, ac ſolertia tua. Hæc ſanè, Chariſſime Fili noſter, meritorum tuorum acceſſione tenerrimi erga Te ſenſus excitantur benevolentiæ noſtræ, ut, quidquid ad Regni, aut Domûs tuæ rationes ſpectet, vehementi paternæ voluntatis amore complectamur. Sed majora Te manent ſupernæ mu-

munera largitatis à Domino, qui permanentes in Spe, ac Fide Evangelii, ereptos de poteſtate tenebrarum transfert in Regnum Filiorum dilectionis ſuæ. Quinimo, ſi pergas eidem obſequi conſtanter, ac illâ, qua Regem decet, probitate, retribuet Altiſſimus theſauros abſconditos, & quam tuo capiti impoſuit galeam ſalutis, in Regno omnium ſæculorum multiplici gloriæ coronâ cumulabit. Quod ut fiat, precibus quidem noſtris à Domino flagitabimus, imò & futurum Tibi in verbo ejus, cujus verba æternùm manent, jam nunc etiam pollicemur. Interim Majeſtati Tuæ & Conjugi, Regiæ pietatis Conſorti, Liberiſque ad Parentum imitationem egregiè adoleſcentibus, ac Regno iſti univerſo, quod paternè diligimus, Apoſtolicam benictionem amantiſſimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Novembris MDCLIII. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Autog. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *menſ. & anno præd. fol. 30. à tergo.*

Tria præſertim vitia in Regno impunè graſſari, dolenter ſe comperiſſe, Miſſionariiſque ad ea evellenda omnem nervum impendere mandâſſe, eidem Regi ſignificat, ac, ut illorum extirpationi, ſuæ auctoritatis opem accomodet, hortatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Garziæ, Regi Congi, & univerſis Chriſtifidelibus ejus Regni

ALEXANDER PAPA VII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, Nobiles Viri, dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi longis Terrarum, Oceanique ſpatiis à Regionibus iſtis abſumus, tamen vigilibus curis paternæ charitatis, quâ Majeſtatem Tuam, & Vos univerſos in Domino complectimur, rebus veſtris aſſiduè præſto ſumus. De his igitur, quæ ad æternam animarum veſtrarum ſalutem pertinent, perſæpe cogitantibus, & inquirentibus Nobis, nti multa, quæ iſtic à Vobis rectè, & piè fiunt, magnam utique lætitiam afferunt, ita nonnulla, quæ Principe tenebrarum ſuadente ſecus geruntur, ſummopere non diſplicere non poſſunt. Verùm quò magis inimicus homo in omnibus, etiam ſeracioribus, & cultioribus Agri Dominici partibus, zizania ſuperſeminare nunquam deſinit, eò ſanè promptiùs, ac accuratiùs ipſi noxis his germinibus evellendis ſollicitudinem, & operam conferre debemus. Tria porrò, eaque graviſſima peccata non ſatis apud Vos emendatione debita corrigi, ſed impunè potius uſurpari, mœrentes planè comperimus. Primum Necromanticarum fallaciarum, & incantationum abuſus; Alterum apud homines Plebejos prava furtorum, & rapinarum conſuetudo; Tertium in pauperes, & humiles Perſonas plurium Nobilium Virorum vexationes, & oppreſſiones. Quæ ſanè cuncta, quantòque Deus abominetur, deteſtetur, & ulciſcatur, luculentis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, & Sanctorum Patrum ſententiis oſtendere ſuperſedemus, quod & hæc Vobis non ignota eſſe credamus, & Miſſionariis noſtris omnibus, & ſingulis, ut, ubi oportet, latè, & diſtinctè cum interminatione quoque Divini Iudicii commemorent, ſedulò mandaverimus. Eorum his de rebus admonitionibus, & exhortationibus, atque adeo noſtris Apoſtolicis, & ipſius Dei præceptis Vos fidem, & obedientiam pro eorum obſervatione, & animarum veſtrarum ſalute præſtituros eſſe ſperamus, idque à Vobis etiam, atque etiam petimus; Teque in primis, Chariſſime Fili Rex, ut auctoritatis Tuæ opem omnem correctioni, & extirpationi talium exceſſuum accomodes, quantùm poſſumus, vehementer hortamur, & monemus; hoc enim profectò civili quoque publici regiminis, & quietis bono conſules; nam his tam enormibus delictis in quavis inſtituta rectè Republica prohibitis, & ſeverè vindicatis, communis animorum Societas abrumpitur, Populorum Fides labefactatur, &, quod Caput eſt, juſti, ſummique Iudicis ira non ſine ſubverſione, & translatione Regnorum accendi ſolet, ut omnium temporum exemplis, & experientia comprobatur. Quare pro Viribus enitere, & elabora, ut adeo pernicioſa maleſacta, benedicente Domino, è Regno Tuo prorſus climinentur; quò diu ſaluſtè in Terris, & perpetuò in cœleſti gloria regnes. Quod, ut ipſe, & Vos univerſi feliciter conſequamini, Majeſtati Tuæ, Populiſque cunctis iſtis Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur.

Datum Caſtri Gandulphi ſub Annulo Piſcatoris die V. Octobris MDCLX. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Extract. ex Arch. Sac. Congr. de Propagan. Fide Tomo I. *Brevium pag.* 1.

Ad

Ad urgendam Propagandæ Fidei gloriã, Annam, Reginam Singam dictam, accitis in operam FF. Miſſionariis animat, opem Cœli ei ſemper affuturam ſperare jubet, ac diplomata Indulgentiarum petita ei tranſmittit.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Annæ, Reginæ Singæ

ALEXANDER PAPA VII.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtra ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MAgna profectò lætitia Majeſtatis Tuæ Litteræ Nos affecerunt: nam, præterquamquod Te ſoſpitem, & incolumem eſſe, & Chriſtianis, Regiiſque virtutibus in dies magis inclareſcere præferebant, ex eis novellam iſtam Chriſtianitatis plantationem ingenti ſtudio, zeloque Religionis tuo recentibus aſſiduè ſtibus increſcere, & augeri perlibenter ſanè cognovimus. Age igitur, Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra, non minus generoſam, quàm piam Sanctæ Fidei propagandæ gloriam iſtam, accitis in operam PP. Miſſionariis Capucinis Tibi tam dilectis, & à Nobis ad opem Tibi continuò præſtandam iterum iterumque ſtimulatis urge, indeque decoris incomparabilis Coronam qua perpetuò in cœlis, diuque in terris potiaris, Tibi fortiter aſſere. Aderit operi à ſe inſpirato benignè Dominus, ut uberi recollectâ meſſe, ſibi ad rationes computandas redeunti, magno cum ſœnore multiplicata pietatis, Regiæque fortunæ talenta repræſentare queas. Porro Nos devotioni filiali tam illuſtribus notis in litteris tuis expreſſæ, ſingulari paternæ voluntatis affectu reſpondemus, adeo ut, quos longa diſſitarum Regionum ſpatia ſeparant, Chriſti Charitas animarum nexu planè jungat. Hujuſmodi benevolentiæ (quæ rebus tuis uſque præſto erit) pignus interim accipe tum Indulgentias Diplomatibus adjunctis contentas, tum Apoſtolicam Benedictionem, quam hiſce Majeſtati, Domuique Tuæ, necnon iſtius Regni Fidelibus univerſis amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Februarii MDCLXV. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Extract. ex Arch. Sac. Congr. de Propagan. Fide Tom. 1. Brevium pag. 5.

NOTA

MEmorata Regina Singa, aliàs in lingua *abunda* Nginga, ex ortu Æthiopiſſa, in juventute Sacri Baptiſmatis aquâ abluta, turpi regreſſu, in Solio Regni collocata, idololatriæ cultum aſſumpſerat, ac vitioſæ vitæ licentia Catholici nominis gloriam fœdaverat, uſque dum Luſitanis armis è Regnis Congi & Angolæ pulſa, Regnum Matambæ invaſit, & à Miſſionario Fr. Antonio à Gaeta, ex Ducum *Laudatorum* Familia, & in Sæculo Equite Melitenſi &c. ad ſemitam mandatorum Dei reducta, & Eccleſiæ fuit reconciliata. Converſionem hanc deſcribit, integro lib. in 4. Neapoli 1669. impreſſo, noſter Fr. Franciſcus Maria à Neapoli, eamque P. Foreſtus in vita Alexandri VII., Auguſtinus Paradiſi *tom.* v. *collect.* Notitiarum Italicè editarum *part.* 2. *fol.* 1. & alii plures commemorant. Regina, Stolâ primâ Catholicæ Fidei inſignita, ſuaſu Miſſionariorum Oratorem, qui tum Summo Pontifici Alexandro VII. homagium ſuæ obedientiæ ac reverentiæ præſtaret, tum Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro Miſſionariorum ſubſidio grates rependeret, Romam ablegavit. Cum autem illi Angolæ proſecutio itineris fuiſſet diſſuaſa, juſſu Reginæ P. Præfecto Miſſionis, ad iter Romanum jam accincto, Litteræ Regiæ fuerunt conſignatæ, quarum prima Summo Pontifici inſcripta ſonuit, ut ſequitur:

BEATISSIME PATER NOSTER.

Mittimus Romam noſtrum Oratorem oſculaturum nomine noſtro pedes, & homagium præſtiturum Sanctitati Veſtræ, quam recognoſcimus ceu Patrem, Paſtorem, & Caput univerſale Eccleſiæ Dei, & Vicarium, in terra Vices, & locum Filii ſui Jeſu Chriſti gerentem; à Nobis de præterito, & antequam Chriſtianam legem amplecteremur, pro Deo non habiti, quantumvis in juventute Baptiſmus Nobis fuerit collatus. Referimus grates tum Almo Deo, quod noſtri recordari dignatus ſit indulgendo tempus ad pœnitentiam pro peccatis noſtris peragendam, tum Sanctitati Veſtræ, quod ad Nos ablegare voluerit Sacerdotem Capucinum, ad Sanctum Evangelium cum tanto ſalutis animarum noſtrarum zelo nobis annuntiandum. Quo mediante, Idolatriam & falſorum Deorum cultum deſeruimus, & ad agnitionem veri Dei, & veritatis Sanctæ Fidei pervenimus. Notum pariter facimus, quod Eccleſiam in noſtra Ci-

vitate jam conſtruxerimus, omneſque noſtræ Aulæ Proceres lavacrum ſacræ regenerationis acceperint. Dignetur Sanctitas Veſtra Nobis, ceu Filiæ obedientiſſimæ, Sanctam Benedictionem impartiri, pro qua flexo poplite ſupplicamus.

Regina Domna Anna.

Secunda ad Eminentiſſimos Dominos Cardinales data, erat tenoris ſubſequentis:

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini mei Cardinales.

Zelus noſtræ ſpiritualis ſalutis, quem Emin. Veſtræ ablegando ad Nos Patrem Fr. Antonium à Gaeta, Sacerdotem Capucinum ad prædicandum nobis Sanctum Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti probârunt, Nos ad reddendas EE. Veſtris infinitas grates obligat, cum operâ dicti Patris à fraude, & erroribus Idolatriæ nos abduxerint, & duxerint ad agnitionem veri Dei, cujus pietatem & miſericordiam erga nos, qua noſtras culpas condonavit, neſque ſuæ ſanctæ gratiæ dignas reddidit, recognoſcimus & comperimus abundantiſſimam. Velit & idem Deus nos in ea uſque ad mortem conſervare, & facere, ut debito, quod ceu veræ Chriſtiana contraximus, correſpondeamus. Si EE. VV. alios Religioſos Capucinos, ad colendam Vineam in noſtro Regno noviter plantatam, & à Chriſto productam, ablegare dignentur, eos benignè recipiemus, idque ceu favorem ſpecialem reputabimus. Deus EE. Veſtris concedat plures vitæ annos pro beneficio noſtro, & omnium fidelium Chriſtianorum.

Ex Regno noſtro Matambæ.

Regina Domna Anna.

Extracta utraque hæc Epiſt. ex libro Converſionis hujus Reginæ prædicto fol. 340. & 341.

Miſit eadem Regina ad eundem Summum Pontificem, & alias Litteras, quarum Breve ſuprapoſitum fuit reſponſivum, & quarum complexus erat ſequens:

BEATISSIME PATER.

Ego D. Anna de Souſa, miſericordia Dei Regina Singa, Filia obedientiſſima Sanctæ Eccleſiæ, ad Sanctitatis Veſtræ pedes proſtrata, majores, quas debeo & poſſum, rependo grates, pro peculiari benevolentia & gratia, per litteras Paſtorales elapſo Martii menſe à me receptas, mihi conceſſa, ad quas reſponſorie ſignifico, quod in bocce tam anguſto folio plenè non poſſim exaggerare ingentem ſatisfactionem & gaudium, quod in anima mea, meis Magnatibus, & ſubditis ad lectionem dictæ Sanctitatis Veſtræ Epiſtolæ exuberavit, cum in ea illum amorem, & peculiarem attentionem, quam ceu Pater univerſalis fovet pro ſalute animarum noſtrarum, conſpexerimus. Porro hæ, ceu oves abſque Paſtore, tanto tempore in tenebris infidelitatis errârunt, cum iis lux vera de Cœlo defecerit, à nobis defactio ex infinita miſericordia Dei recepta per Patres Miſſionarios Capucinos à Sanctitate Veſtra ad nos ablegatos. Explent bi maxima attentione, & ſancto zelo ipſorum debitum, nihil omittendo eorum, quæ cultum Dei, & animarum profectum concernunt, cum numerus in hac mea Civitate Quilombo, illiuſque diſtrictu uſque ad præſens tempus baptizatorum 8000. excedat, infantibus non comprehenſis, & ultra 600. Matrimonia ab iis fuerint conjuncta.

Sicut autem in materia Religionis totum in unius dici anguſtiis non poteſt confici, ita lentè procedi neceſſum eſt. Si tamen Deus vitam meam elonget, hanc novam Coloniam in bono ſtatu conſtitutam relinquere confido, & econtra, ſi Dominus vitæ & mortis me vocet ad ſe, eam impenſiſſimè, & cum toto cordis mei energia illam ei, ad quem devolvetur, commendabo.

Per multos dies feſtivitas & lætitia, quam in hac mea Civitate Quilombo Sanctitatis Veſtræ Epiſtola cauſavit, fuit protracta, & ego publicè profeſſionem Fidei in Eccleſia, & manibus Patris Fr. Joannis Antonii à Montecuculo Capucini, & hujus Miſſionis Superioris renovavi.

Illud, Beatiſſime Pater, quod à Sanctitate Veſtra demiſſiſſimè flagito, in eo conſiſtit, ut hocce meum Regnum non deſerat, utpote theſauris ſpiritualibus Eccleſiæ multò indigum, quatenus divinæ gratiæ affluxu ditetur. Eapropter cum fiducia ceu Filia in Chriſto Sanctitatis Veſtræ, ut Patri ſpirituali ſupplico pro concedendis duabus Indulgentiis, unâ quidem in feſtivo die S. Annæ pro Eccleſia à me in Aula mea conſtructa, & dictæ Sanctæ dedicata, & aliâ pro Eccleſia Majore, Sanctiſſimo Crucifixo nancupata, in tertio die Maji, & in ſolemnitate B. V. Mariæ

Mariæ 15. Auguſti. Hæ ſunt gratiæ & favores, quos à Sanctitate Veſtra pro ſalute animæ meæ, & profectu totius mei Regni, ac pro remiſſione peccatorum meorum lachrymabunda, & contrita peto, & noviter ad Sanctitatis Veſtræ pedes proſtrata Sanctam Benedictionem exſpecto.

Quilombo S. Mariæ de Matamba 27. Auguſti 1662.

Obedientiſſima Filia
Regina Domna Anna.

Apogr. hujus Epiſt. in Arch. Gen. Proc. Arm. Miſſio *Congi & Angolæ.*

Alphonſo, Regi Loangi ſeu Angolæ, converſionem illius, Reginæ, ac Filiorum ad Fidem Catholicam ingenti gaudio à ſe perceptam &c. & alia latè & diſtinctè, tum à FF. Capucinis, tum à Litteris Sac. Congregationis ab eodem Rege percipienda nuntiat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Alphonſo, Loangi in Affrica Regi

ALEXANDER PAPA VII.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LItteræ Majeſtatis Tuæ die 2. Septembris anni 1663. datæ, ingenti profectò lætitia Nos affecerunt, etenim ſignificabant afflatum Te Spiritûs Sancti lumine, veteribus erroribus abjectis, Chriſtianæ Fidei veritatem agnoviſſe, & Baptiſmate ſalutari ablutum eſſe, ac proinde Sanctam hanc Apoſtolicam Sedem, & Perſonam noſtram, tanquam Dei Vices in terris gerentem humiliter venerari. Quare Nos Te, Chariſſime Fili, lectiſſimam etiam Coniugem, & Filios, præcipuo paternæ charitatis affectu complectimur, & ipſi miſericordiarum Patri Deo gratias immenſas agimus, quas Te pariter agere, ac habere par eſt, eique preces ex animo porrigere, ut, qui Tibi rectè incipiendi gratiam adeo benignè conceſſit, etiam perficiendi, perſeverandi, ac denique benè conſumandi felicitatem pro ſua clementia largiatur. Quæ cuncta ſi Regiæ providentiæ bonis operibus incumbens, & Populorum ſubjectorum incolumitati, ac potiſſimum æternæ ſaluti penitus intentus orationis inſtantiâ flagitaveris, Te procul dubio conſecuturum eſſe Salvatoris Noſtri promiſſionibus, confiſi Tibi planè pollicemur. Sed hæc omnia, cæteraque ad animæ tuæ, tuorumque bonum, & profectum pertinentia, latè, & diſtinctè magis ex dilectorum Filiorum Patrum Capucinorum, Tui ſtudioſiſſimorum voce cognoſces. Præterea Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Litteris opportunè juvaberis, iodequc novum robur, & gaudium in Domino comparare ſanè poteris. Nos Apoſtolicam Benedictionem ad omnia, quâ ſpiritualium, quâ temporalium bonorum incrementa Majeſtati, Domuique Tuæ, ac inſuper aliis Chriſtifidelibus Tibi ſubjectis amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Marism Majorem ſub Annulo Piſcatoris ſub die XXI. Auguſti MDCLXVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Extract. ex Arch. Sac. Congr. de Propagan. Fide Tomo 1. *Brevium pag.* 46.

A' Fr. Joanne Antonio de Montecuculò, conſtituto Miſſionis Præfecto, Pontificiæ charitatis ſenſa patefacienda Regi Congi prænuntiat, ac eundem Fr. Antonium Regio patrocinio commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Garziæ, Regi Congi

CLEMENS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MAgnâ quamvis locorum diſtantiâ disjungamur à Majeſtate Tua, præſentes animo tamen Tibi ſumus, Regiorumque decorum præſtantiam ſedulò contemplamur: inter hæc autem Principem ſibi cum vindicet locum eximius Orthodoxæ Religionis amplificandæ zelus, muneris idcirco eſſe noſtri duximus, quibus ſuprema tanti operis procuratio a Spiritu Sancto demandata

fuit, de paterna charitate noſtra eaixè Te certiorem reddere, validoſque perſpectæ pietati Tuæ ad nova uſque promerita comparanda ſtimulos admovere: Dilecto quocirca Filio Joanni Antonio de Montecuculo Capucino, Evangelicis Operariis ob Chriſtianarum virtutum excellentiam iſtis in Regionibus à Nobis præpoſito, accuratè injunximus, ut propenſos erga Te cordis noſtri ſenſus pluribus coram ediſſerat, atque in obeundis commiſſæ ſibi Provinciæ partibus, illuſtre Tibi de Catholica Fide benemerendi præbeat argumentum. Ad humanitatis itaque Tuæ magnitudinem ſpectaverit, Virum, ad divinam gloriam propagandam accedentem, noſtraque commendatione inſignitum, libenter excipere, Religioſiſque ipſius, ac Sociorum conatibus Regio patrocinio præſto eſſe, perfecti ſic decoris coronam univerſâ Eccleſia plaudente Capiti Tui ſuperimpoſiturus. Certaturum autem Te egregiis piæ ſuffragationis documentis, ut hanc ſolidæ gloriæ poſſeſſionem aſſequaris, profectò non dubitantes, Majeſtati interim Tuæ proſpera cuncta impensè precamur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II. Martii MDCLXXIII. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Autogr. in Secret. Brevium ad Principes, *fol. 293. à terg. menſ. & ann. prædict.*

Garziæ, Regi Congi, Fr. Paulum Franciſcum à Portu Mauritii cum duodecim Sociis ad dictum Regnum proficiſcentem commendat, ac impenſum hucuſque Miſſionariis Regium patrocinium extollit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſiro, Garziæ, Regi Congi

INNOCENTIUS PAPA XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CElſorum decorum ſama, quibus Majeſtas Tua inſignitur, non iiſdem, quibus Congi Regnum finibus circumſcribitur, ſed exteras quoque Regiones peragrat, meritoſque ubique nomini Tuo plauſus excitat: Nobis verò præſertim eorumdem præſtantia innoteſcit, qui ſupremum ad Eccleſiæ regimen, nullis noſtris præcedentibus meritis, ſed ſola ordinatione Divinæ Providentiæ nuper evecti ſumus. Proficiſcente quocirca iſtuc ad animarum ſalutem procurandam, divinumque cultum enixis ſtudiis promovendum unà cum duodecim Sociis, dilecto Filio Fratre Paulo Franciſco à Portu Mauritii Capucino, quem ob ſpectatas virtutes, præclarumque præcipuè Orthodoxæ Fidei amplificandæ zelum, prædictis ſuis Sociis præfecimus, prætermittere nullo modo potuimus, quin de paternæ erga Majeſtatem Tuam charitatis noſtræ magnitudine, hiſce Te certiorem redderemus, eaſque perſpectæ pietati Tuæ laudes perſolveremus, quarum ob impenſum eximiè hucuſque Evangelicis Operariis Regium patrocinium Tibi debitores ſumus; Etſi autem ſupervacaneum ducimus ad idem quoque inpoſterum præſtandum, in præſentia Te inflammare, ea nihilominus eſt de commiſſo Nobis Grege ſolicitudo noſtra, ut muneris noſtri partibus deeſſe Nos reputaremus, ubi à præfato Fratre Paulo Franciſco, ejuſdemque Sociis iterum, iterumque Majeſtati Tuæ commendandis abſtineremus. Validiores verò hinc ad eoſdem peculiari humanitate fovendos, ſtimulos Te ſumpturum profectò non dubitantes, Tibi, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, à bonorum omnium Authore Deo proſpera cuncta ex animo precamur, atque Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Ianuarii MDCLXXVII. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Extract. ex Tom. 2. Brevium Archivi Sac. Congreg. de Propag. Fide pag. 62.

Eundem Patrem Mauritium cum Sociis Principi Sonhi pariter commendat.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Sonhi

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX dilecto Filio, Fratre Paulo Franciſco à Portu Mauritii, Capucino, qui ad divinam gloriam magis, magiſque amplificandam, unà cum duodecim Sociis, quibus ob ſpectatas virtutes præpoſitus à Nobis eſt, longinquas iſtas in Regiones proficiſcitur, diſertè cognoveris, quæ ſit erga Nobilitatem Tuam paterna charitas noſtra ob validum patrocinium, quod Evangelicis Operariis magno

gno cum Orthodoxæ Fidei incremento præſtare conſueviſti. Hujuſce autem propenſæ erga Te voluntas præclara, ubi facultas aderit, profectò Tibi non deerunt argumenta; quicquid enim rationibus tuis conducere poſſe reputabimus, cordi utique erimus habituri, curabimuſque præſertim per noſtrum in Portugallia Nuntium, ut Angolæ Gubernator tecum amicabiliter agat, nullamque Principatui tuo moleſtiam inferat, uti ex Litteris Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, Tibi jam innotuiſſe pro certò habemus. Ad nova verò viciſſim Te conſuetæ pietatis documenta eximiè provocatum jure merito Nobis pollicentes, Nobilitati Tuæ prædictum Paulum Franciſcum, Socioſque ejuſdem iterum, iterumque commendamus, atque Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Ianuarii MDCLXXVI I. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Extract. ex Tom. 2. Brevium Arch. præd. pag. 61.

Petrum, Regem Congi, ob zelum, quo Fidem Catholicam, ac Miſſionarios in ſua ditione fovet, laude proſequitur, eique per Fr. Franciſcum Ticinenſem Regium Diadema, ac precatoriam Coronam, Indulgentiis ditatam, dono mittit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro, Congi Regi Illuſtri

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

POntificem noſtram benevolentiam ſingulari quodammodo ſtudio ſibi conciliant Reges, & Principes illi, qui, etſi marium, ac terrarum ſpatio à Nobis longè, latèque diviſi, Sanctæ tamen Romanæ Eccleſiæ charitatis vinculo, & Fidei unitate conjuncti, ut Deo miſericordiarum Patri, & bonorum omnium Auctori grati ſint propter inſigne beneficium Evangelicæ lucis, quam à Majoribus acceptam cuſtodire meruerunt, eâ imbui populos, atque Nationes, quibus dominantur, eos per viam æternæ ſalutis deduci gaudent, & curant, ac proinde Sacros Dei Miniſtros, Chriſtianæ veritatis præcones, morum Inſtitutores, diſciplinæ Magiſtros, Miſſionarios Apoſtolicos, benignè excipiunt, favoribus proſequuntur, auctoritate ſuâ fovent, ac juvant. Majeſtati itaque Tuæ, quam hoc animo eſſe audivimus, uberes paterni noſtri amoris ſignificationes deferri volumus per dilectum Filium Religioſum Virum, Franciſcum Ticinenſem, ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Miſſionum iſtarum Præfecturâ pridem functum, ac iſtuc modo revertentem, qui Nobis præter Regiæ Tuæ ſtirpis decora, tuaſque ipſius præſtantes dotes, hoc ipſum tuum in Chriſti Fidem, & Romanam Eccleſiam cultum, ac obſequium, & filialem in Nos, atque Apoſtolicam Sedem obſervantiam, peculiare etiam ſtudium, ac propenſionem, quâ ſui Ordinis Profeſſores, Miſſionarios Apoſtolicos, proſequeris, prolixè Nobis expoſuit. Tu verò viciſſim ab eo ad Te redeunte, quem voluntatis, animique noſtri Interpretem apud Te conſtituimus, percipies, quàm enixè à Deo poſtulemus, ut cum ſalute, ac felicitate, ſuæ gratiæ incrementa Tibi largiatur, incendatque ſemper magis cor tuum zelo promovendæ in iſtis partibus Chriſtianæ Fidei, ut per hæc ſtudia tuum apud eum meritum cumules, amplamque mercedem Tibi pares, quâ, poſt emenſum hujus vitæ ſpatium, perpetuò fruaris. Pignus autem qualecumque amoris noſtri eſſe Tibi cupimus Regium Diadema, quod noſtro nomine per eumdem Religioſum Virum Tibi tradi mandavimus, & cui pretium conciliavimus Pontificia noſtrâ benedictione in auſpicium bonorum omnium, quæ Tibi à Deo impensè precamur. Munus præterea Coronæ precatoriæ, quod Tibi itidem elargimur, cum appenſo Sacro Numiſmate argenteo, & gratum Tibi fore confidimus, utpote ditatum Indulgentiis, theſauris ſcilicet Eccleſiæ, cuſtodiæ, ac diſpenſationi noſtræ deſuper demandatis, prout intelliges à præfato Religioſo Viro, quem cum cæteris ejuſdem Ordinis Miſſionariis Tibi etiam, atque etiam commendatos, intuitu etiam noſtro, eſſe cupimus, iterumque Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Iulii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *pag. 78.*

Mariæ

Mariæ, Reginæ Congi, delata ſibi per eundem Fr. Franciſcum filialis devotionis teſtimonia, benigno animo excepta eſſe renuntiat, eandemque ad Apoſtolicas Miſſiones confovendas, ac Catholicæ Fidei incrementa in illis partibus promovenda hortatur.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Mariæ, Congi Reginæ Illuſtri

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſima in Chriſto filia noſtra ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRata Nobis præter modum acciderunt officia Majeſtatis Tuæ, per dilectum Filium Religioſum Virum, Franciſcum Ticinenſem, ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum tuo nomine ad Nos delata in teſtimonium ſinceræ, ac devotæ voluntatis, quam erga Nos, & Apoſtolicam Sedem profiteris. Quamvis enim compertum Nobis ſit, Chriſti Fidem à multo jam tempore in iſtud Regnum, Deo propitiante, invectam, Eodem miſerente, coli iſthic, & Regum ope adhuc magis vigere: cum tamen muneris noſtri ratio poſtulet, ut, qui Paſtorem agimus, oves agnoſcamus, ipſæque viciſſim Nos agnoſcant, incredibile dictu eſt, quanto repleamur gaudio, ubi è diſſitis Terrarum partibus, cujuſmodi iſtæ ſunt, eorum voces ad Nos deferuntur, qui ſe inter Fideles cenſeri, eſſeque de gremio Eccleſiæ, & ad Chriſti ovile pertinere gloriantur. Parati autem omnes, qui hujuſmodi ſunt, Apoſtolicâ charitate complecti, effuſiùs ſanè lætamur, ubi illi, quibus Populi multi obſequuntur, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Pontificiam noſtram auctoritatem reverentur, non quod Regum, aut Principum ſtudio, aut cultu obſtrepere, ac extollamur (infirmitatis enim, & humilitatis noſtræ conſcii, non alio, quàm Servi Servorum Dei titulo gloriamur) ſed quia præſidio, & auctoritate eorum, qui latè dominantur, crediti Nobis gregis incrementa faciliùs parari poſſe confidimus. Spem itaque, quam ex tuis officiis concepimus, quod, Te Miſſionibus Apoſtolicis favente, augendus ſit in iſtis partibus Fidelium numerus, & quod contingere poſſint majora in dies animarum lucra, tuum eſt, ò Regina, in Nobis alere, ac præſtanti tua opera favere, ut aliquando uberiora iſthic ſpiritualis lætitiæ argumenta percipiamus, Tibique eadem non levi ex parte debeamus: nec decrit Tibi occaſio, redeunte iſthuc eodem Religioſo Viro, quem pios labores Apoſtolici Miniſterii ſubire paratum Tibi enixè commendamus, & in auſpicium veræ, ac perpetuæ in Domino felicitatis Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex Archivo & folio ſuprà dicto.

De eadem re.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Annæ, Congi Reginæ Illuſtri Viduæ

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRatum fore credimus Majeſtati Tuæ à dilecto Filio Religioſo Viro, Franciſco Ticinenſi, ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, percipere audita à Nobis nedum libenter, ſed cupidè fuiſſe, quæ ille de ſtatu Chriſtianæ Fidei in iſto Regno Nobis enucleatè, ac diligenter expoſuit. Paſtoralis enim noſtræ ſollicitudinis eſt, mente, & animo, quando corporis oculis non poſſumus, totum, quantum eſt, Dominicum Ovile luſtrare. Et cum inter cætera Nobis explicata neceſſariò acciderit commemoratio tuæ pietatis ob opem, quam ipſe teſtatus eſt ſibi, cæteriſque Apoſtolicis ejuſdem Ordinis Miſſionariis à Te allatam fuiſſe, quatenus eorum labores in curandâ animarum ſalute, & propagatione Divini cultûs, & Chriſtianæ Fidei feliciùs progrederentur; exultavit ad hæc præter modum Apoſtolica noſtra charitas, quod animus tuus hoc ſancto fervore incenderetur, Deumque, omnis boni conſilii auctorem precati ſumus, ut Tibi ſpiritum tam rectum ſervet, & augeat ad hoc, ut alia, atque majora ad ipſius honorem aggredi, atque perficere poſſis. Eidem interim Religioſo Viro iſthuc reverti paranti injunximus, ut de paterna charitate, qua Te de Fide Orthodoxâ his ſtudiis probè meritam proſequimur, cum Te adierit, pluribus admoneat, & in auſpicium bonorum omnium Tibi deferat Apoſtolicam Benedictionem, quam Nos, dum has concludimus, Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur.

Da-

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex Archivo ſupradicto fol.79.

De eadem re.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Veronicæ, Reginæ Mattambæ.

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtro ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm à dilecto Filio Religioſo Viro, Franciſco Ticinenſi, ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, qui ex quibuſdam partibus Africæ, ubi diuturnam operam Apoſtolicis Miſſionibus impendit, Romam paulò ante advênit, anxie, ac ſollicitè pro demandato Nobis, licèt immeritis, Eccleſiæ univerſalis regimine exquireremus de ſtatu Chriſtianæ Religionis in iſtis Regnis, incidit non poſtremo loco commemoratio Majeſtatis Tuę, quam ille teſtatus eſt excelſo, præſtantique animo eſſe, ac favere in primis Chriſtianæ Religioni, cui in iſtis ditionibus propagandæ ope, ac auctoritate ſuâ, ubi res tulit, non ſemel affuiſſe. Quæ tua præclara voluntas cum digna peculiari laude Nobis videretur, ſpem etiam faciebat Te, Deo aſpirante, curaturam aliquandò eſſe, initam à Te per Fidem æternæ ſalutis viam, deſpectis, abjectiſque mundi illecebris, quibus mens humana facilè detinetur, alacriter proſequi, & ad veræ, ſolidæque virtutis faſtigium pervenire: caſta enim, & immaculata noſtra Religio cor purum, ac ab omni labe deterſum expoſtulat. Incenſi itaque charitate, & deſiderio tuæ ſalutis injunximus eidem Religioſo Viro, quem pietate præſtare, ac ſervere animarum zelo novimus, ut, cum primùm ei licuerit, Te adeat, ac apprecatâ Tibi noſtro nomine ſalute, atque felicitate plurimâ, Te paternis noſtris verbis hortetur, ut veſtigiis, ac exemplo Annæ, inclytæ Reginæ conſanguineæ tuæ, Chriſti Fidem ita apud Populos, quibus præes, vigere, & obſervari cures, ut eam maximè diligere, ac colere oſtendas. Occaſionem itaque advenientis iſthuc ejuſdem Religioſi Viri, à Nobis ad hoc ſpecialiter deputati, ne dimitte, tuâque maximè intereſſe cogita, ſalutaribus ipſius monitis acquieſcere. Ita fiet, ut tuis dotibus accedat præcipuum ornamentum, per quod Deo grata bonis affluas, & non interituram mercedem ab Eo, cui ſervire regnare eſt, aſſequaris. In tanti boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex Arch. & fol. ſupradictis.

De eadem re.

Dilecto Viro, Nobili Viro, Petro, Duci Bambæ

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HAuſta, ut audivimus, è Regia ſtirpe decora Nobilitatis Tuę multi quidem, ut par eſt, facimus, ſed pretium longè maximum apud Nos obtinent tua in Chriſtianam Religionem ſtudia, quæ, utpote Deo grata, veram, ſolidamque laudem promerentur, & Pontificiam noſtram charitatem Tibi prorsus conciliant. Et quoniam eorum, quæ pro Divini nominis gloria aguntur, merces ab eo expectanda eſt, qui, cum liberalis ſit Dominus, nemini congruum præmium deeſſe patitur, confidere debes, quod, quæ pro Dei causâ, id eſt, pro Sanctæ Fidei propagatione hactenus geſſiſti, quæque inpoſterum gerere paras, retributionem cum fenore ſint receptura. Perge itaque Apoſtolicos Viros, qui Sacris Miſſionibus dant operam, & animarum ſalutem in iſtis Regionibus, quâ exemplo, quâ monitis urgent, tueri, atque fovere, & dilectum Filium Religioſum Virum, Franciſcum Ticinenſem, ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum iſthuc revertentem, eodemque zelo incenſum, intuitu etiam noſtro, omnibus officiis complectere, dum Nos Deum Optimum Maximum preeamur, ut nedum de rore Cœli, & de pinguedine Terræ, ſed, quod caput eſt, de indeficienti gratiæ ſuæ fonte ditet, & augeat Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem ex intimo cordis impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Iulii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex Arch. prad. fol.83.

De

De eadem re.

Dilecto Filio, Dominico, Duci Somni.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ex Sacris Litteris certò conſtet, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt Illum: qualia conſidere debent ſe præmia recepturos, qui Deum ita honorificeant, ita adorant, ut ab aliis etiam glorificari, & coli optent, ac curent, atque in hunc ſeopum propagationem Chriſtianæ Fidei, cujus ſolius ope ritè adoratur, omni ſtudio promovere ſtagunt, quo nullum certè majus amoris erga Deum ſpecimen ab hominibus edi poteſt. Quoniam itaque à Religioſo Viro, Franciſco Ticinenſi, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum accepimus, Te eâ probitate, ac pietate eſſe, ut peculiari modo faveas Apoſtolicis Miſſionariis, qui in iſtis partibus animarum ſaluti dant operam, & de augendo Chriſtifidelium numero ſunt piè ſolliciti, gratulamur Tibi ex animo hoc ſanctum propoſitum, & quemadmodum Te tanti meriti partieipem eſſe agnoſcimus, ita Te, retento eodem inſtituto, ab æquiſſimo bonorum operum Retributore, amplam mercedem conſeculturum eſſe confidimus; quapropter à Deo enixè petimus, ut tuum pro Sancta Fide zelum ſemper magis incendat, & paterni amoris pignus, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Iulii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex eodem Arch. & folio ſupradicto.

De eodem negotio.

Dilecto Filio, Duci Battæ.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm propagatio Chriſtianæ Fidei præcipuum cordis noſtri votum, & potiſſima ſit Miniſterii noſtri cura, moniti à dilecto Filio Religioſo Viro, Franciſco Ticinenſi, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Te peculiari ſtudio faviſſe hactenus Apoſtolicis Miſſionariis, qui pio huic inſtituto in iſtis partibus dant operam, eidem Religioſo Viro iſthuc revertenti mandavimus, ut Tibi noſtro nomine debitas in Domino laudes tribuat, Teque hortetur, ut in eodem ſalutari propoſito perſeveres, fretus ſpe præmii, quod deeſſe non poteſt Dei honorem promoventibus. De paternâ interim charitate noſtrâ per illum ipſum Te certum reddi volumus, ejuſdemque pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Iulii MDCCVII, Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex eodem Arch. & folio.

Principem Sonhi laudat, quod Catholicam Fidem, & Miſſionarios Apoſtolicos in ſua Ditione benignè foveat, eumque, ut ab illicito Mancipiorum cum Hæreticis mercimonio caveat, paternè monet.

Dilecto Filio, Principi Sonhi

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm moribus, ac exemplis ſuorum Principum conformari plerumque ſatagant populi, qui eorum auctoritati parent, ex his, quæ de florente in iſtis tuis Ditionibus Chriſtianæ Religionis cultu dilectus Filius Religioſus Vir, Franciſcus Ticinenſis, Ordin. Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis ſuſè expoſuit, facilè fuiſſet Nobis conjicere, Te eidem Fidei eſſe magnopere addictum, niſi ille idem præclarum etiam teſtimonium de tuâ virtute, deque amore, quo Miſſionarios Apoſtolicos complecteris, Nobis attuliſſet. Verùm quia fervor paternæ noſtræ charitatis expoſtulat, ut de his, in quibus ſortè neſcius, aut certè incautus offendis, Te monitum faciamus, credimus Te æqui, honique conſulturum, ut pro zelo, quo incendimur, tuæ ſalutis, idem Re-

Religioſus Vir in iſtas partes redux Te noſtro nomine admoneat, ut caveas ab illicito Mancipiorum mercimonio cum Hæreticis, quorum etiam Hæreticorum conſuetudo, quantùm fieri poteſt, ſedulò vitanda eſt, nam *qui picem tangit, inquinabitur ab ea.* Interim, dum confidimus Te noſtris vocibus alacriter obſequuturum eſſe, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Iulii MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex eodem Arch. & folio. Reperiuntur, & hæ eædem Epiſtolæ tom. 1. Brevium Select. à m. Clem. XI. pag. 384.

Regem Angolanum ad baptiſmum, niſi à Captivorum baptizatorum venditione hæreticis fieri conſuetâ abſtineat, admitti non poſſe reſolvitur: & inſtructionem Eidem Regi porrigendam, Miſſionariis deſuper tranſmitti, ac in hac venditionem hujuſmodi Perſonis Catholicis, abſque debitarum circumſtantiarum concurſu exin non approbatam, adverti mandatur.

PErſcripſerat Fr. Columbanus Bononienſis, Miſſionum Congi Præfectus, Sac. Congregationi Propagationi Fidei præpoſitæ ſub 20. *Junii* 1708. *quod inter Regem Angolæ Gentilem & Filiam Principis Sohni ſtabilitum eſſet Matrimonium, acceptatâ à primo conditione ſecundam ritu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ducendi, gentil-ſmum abjurandi, fidemque Chriſti cum Sac. Baptiſmatis lavacro amplexandi. Cum autem Rex Fideles captivos Anglis & Batavis, qui illos ad ſuarum Coloniarum laborem abducerent, in magno numero annuatim vendere ſoleret, & conſectariò Ei ante Baptiſmi collationem turpis hæc negotiatio juxta Canonicas, Civileſque leges inhiberi deberet, duo exin mala oriturа providè dictus Pater timuit; primum quidem, vel quod inculcatâ Regi hujuſmodi prohibitione, à propoſito baptiſmi cum ingenti animarum jactura reſilire poſſet; ſecundum autem, & vel quod præſcriptâ inhibitione, & collato Baptiſmo Miſſionarii cum illo, haud aliter ac cum aliis illarum partium Principibus jam evenisſet, exitiali ſemper ſciſſurâ pugnandum foret, cum illum ab illicito commercio non receſſurum eſſe præviderent. Ut perplexo huic caſui opportunè obviaretur, memorata Sac. Congregatio ſub* 7. *Maji* 1709. *Epiſtolam Pr. Præfecti remiſit ad S. Inquiſitionis Romanæ Officium, quod* 29. *Maji ejuſdem anni ad eam reſcripſit* = præinſertum dubium tranſmittendum eſſe ad P. Damaſcenum Conſultorem pro voto = *qui & illud in duas partes ſciſſum ſolidè elucubravit, & Sanctiſſimo Domino Clementi XI. præſentavit, ut ſequitur:*

PRIMUM DUBIUM.

An Regi Angolano infideli licitum ſit Chriſtianos homines Hæreticis Batavis pro Mancipiis vendere? Et quatenus negativè, inſurgit ſecundum dubium poſtea examinandum.

Reſolutio.
Negativè.

Ratio Reſolutionis.

Difficile admodum erit præſens dubium ad examen revocare, & multò magis, ad illud affirmativè, vel negativè reſpondere, niſi juſti ſervitutis tituli ſecundùm Theologorum, Canoniſtarum, & Juriſperitorum ſententiam prius firmentur, & explicentur; ex hoc enim, quod juſti vel injuſti ſervitutis tituli concurrant ad venditionem in dubio expreſſam, manifeſtè deducitur juſtitia vel injuſtitia venditionis, & conſequenter, an hæc licita, vel illicita dici debeat, adeoque veniam dabit Sanctitas Veſtra, ſi poſt pauca obiter prænotanda circa Regiones in Epiſtola Præfecti Miſſionum expreſſas in titulis juſtæ ſervitutis examinandis & complicandis diutius fortè immorabor.

Suppono igitur ſermonem eſſe de Rege Angolæ, non autem de Rege Angoi, cujus meminit Epiſtola Præfecti Miſſionum; hoc nomen Angoi nec in tabulis, nec in lexicis geographicis mihi licuit invenire. Itaque dubitari non poteſt, num de Principe Sonhi *del Sogno*; an verò Sundi, *del Sundo*, fiat mentio, cum litterarum exhibitarum initio Princeps *del Sogno*, in fine verò *del Sondo* nuncupetur. Sunt autem duæ Provinciæ inter ſe diſſitæ, licèt ambæ intra terminos Regni Congi contineantur, teſte Michaële Antonio Baudron. in ſua Geographia *tom. 1. pag. mihi 293. col. 2.* ubi & Sonhi Provincia ſub titulo Comitatûs, Sundi verò ſub titulo Ducatûs commemorat.

Quod verò ad noſtram rem attinet, illud eſt, Regnum ſcilicet Congi, inter cujus ſex Provincias tam Ducatus Sundi, quam Sonhi Comitatus enumerantur, Affricæ Re-

gularem, & perſpicuis juribus repugnantem recenſeat & impugnet Solorzanus *lib.* 3. *cap.*7. *num.*10. *&* 75. Ideoque homines capti vel in pugna cum Piratis, vel in civilibus diſſenſionibus, non efficiuntur ſervi, quia cum juſta non exiſtat cauſa ad bellandum, Victores pro latronibus habentur, non pro hoſtibus. *Leg. cum Cognatum Cod. de ingen. manum*; *leg. poſt liminium* §. *à Piratis*, & alibi. Et hæc de ſervitute jure Gentium inductâ, quæ faciunt ad rem noſtram. Supereſt autem, ut pauca de ſervitute, quæ ex jure Civili ortum habet, recolamus.

Jure itaque Civili homo liber poteſt fieri ſervus vel venditione, vel ex pœna: Venditione quidem, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſe ſe venundari paſſus eſt: verba *text.* §. *ſervi autem* 4. *inſtitut. de jure Perſon.* ubi Gloſſa *verſ. major.* quinque conditiones neceſſarias eſſe affirmat ad ſervitutem ex hoc titulo inducendam, quæ ſunt: Ætas major 20. annorum: Intentio participandi de pretio: Realis pretii participatio: quod Venditor ſciat conditionem ſuam; & quando emptor illius conditionem ignorat: Quæ omnia habentur ex juribus ab eadem Gloſſ. allegatis, & propterea non video, quo fundamento nixi, vel majorem ætatem, ut 25. annorum, vel alias exquirant conditiones. Recentiores aliqui, ut Vericellus *de Apoſtol. Miſſion. quæſt.* 107. *ſect.*5. *num.*28. Fragoſius *de Regim. Reipub. Chriſtianæ part.*3. *lib.*10. *diſp.*21. §. 1. *num.*7. & Dian. *Tom.*7. *tract.*8. *reſol.*7. Cæterùm hanc venditionem licitam quandoque eſſe clarè docent S. Thomas *in* 4. *deciſ.* 36. *art.*3. S. Antoninus 3. *part. tit.*3. §.5. Sylveſter *verb. ſervitus quæſt.*3. Sotus *de Juſt. & Jur. lib.*4. *q.*2. *art.*2. & paſſim Theologi recentiores.

Suppoſito autem, venditionem hanc licitam eſſe, oritur quæſtio inter Theologos, an ſcilicet peccet mortaliter, vel ſaltem venialiter, qui non compulſus gravi neceſſitate, ſuam prodigere potius, quàm vendere libertatem dicerctur? Quam pertractant Sayrus *in Clau. Reg. lib.* 9. *cap.*6. *dub.*18., Molin. *de Juſt. & Jur. diſp.*33. *pag. mihi* 242. Fragoſ. *part.* 3. *lib.* 10 *diſp.* 21 §. 1. *num.* 2. Vericell. *q.* 107. *num.* 30. & alii; ſed fortiùs dubitant quamplures, graveſque DD., an licitè in foro conſcientiæ poſſit quis emere ſervum in perpetuum, qui egeſtate ductus paratus eſt ſe vendere? Et quamplures hujuſmodi emptionem illicitam judicant, ſolidiſſima illa ratione ductì, quia proximo gravi vel extrema neceſſitate laboranti, liberaliter unuſquiſque tenetur ex præcepto charitatis. Ita Azor. *part.*2. *lib.*2. *cap.*31. *quæſt.*2. Diana *tom.*7. *tract.*8. *reſol.*7. *num.*3. Fagundez *de Juſtit. lib.* 2. *cap.* 1. *in fine*. Vericell. *qu.* 107. *ſect.*6. *num.*35. *& ſeq.* Franciſcus Garzias *de Contract. part.*1. *cap.*1.

Hoc eodem venditionis titulo ſervi quoque fiunt Filiifamilias, qui à Patre in caſu à jure permiſſo venduntur. Hæc autem venditio à jure Cæſareo in ſolo caſu nimiæ paupertatis vel egeſtatis permittitur *leg.* 2. *Cod. de Patr. qui Fil. diſtrax.* ubi legitur: *Venditione in hoc tantùm caſu valente*, ibique Gloſſ. hanc juris permiſſionem ad ſolam cauſam famis limitat, & favore Patris duntaxat, non verò Matris valere, ac licitam eſſe cenſet. Gloſſam ſequuntur ferè omnes Cæſarei Interpretes quoad utramque limitationem, & quoad primam de ſolo caſu famis, Azor. Dinus, Accurſius, Alciatus, & alii congeſti à Covarruv. *lib.*3. *variar. cap.*14. *num.*4. Gregor. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *lib.*7., Sanchez *lib.*1. *conſ. cap.* 1. *dub.* 13. *num* 4.; Quò verò ad ſecundam, ſcilicet ad excluſionem Matris, eſt ſententia ferè communis, ut ait Pinell. *ad rubr. Cod. de bon. Patern. part.* 2. *num.*20., & DD. hanc ſententiam propugnantes recenſentur à Joanne Harpreƈt. *in Comment.* §. *Jus autem Inſtit. de Patr. Poteſt. num.*17. *& ſeq.*; licèt oppoſitam ſtabilire conetur Hubricus Hulmus *vol.*2. *diſp.*28. *theſ.* 4. *q.*20.

Attamen meliorem ac probabiliorem eſſe Theologorum ſententiam, qui docent, hæc duntaxat procedere attento jure Cæſareo, exiſtimarem; Attento ſiquidem jure naturæ non videtur poteſtas Patris limitanda ad ſolam cauſam urgentis famis, cum dari poſſit caſus urgentior, qualis eſt, ſi Pater fuerit ab hoſtibus abducendus, vel occidendus, niſi pretio ſe redimat, & hoc ex ſola filii venditione conſequi poſſet. Quò verò ad Matrem pariter docent hanc eandem poteſtatem Matri nullatenus eſſe adimendam, cum ipſam non minus, quàm Patrem tamquam ſui eſſe principium, & vitæ originem filius agnoſcere teneatur, & ex hac ratione non ſolùm erga Patrem, ſed etiam erga Matrem oritur in Filiis obligatio pietatis. Ita Molin. *de Juſtit. tract.* 2. *diſp.* 33. *concl.* 3.; Rebellus *part.*1. *lib.*1. *q.*9. & 10. Fagundez *de juſtit. lib.*2. *cap.*1. *num.*9.; Dicaſtill *lib.*2. *de juſtit. tract.*3. *diſp.*1. *num.* 191.; Franciſcus Garzias *de Contract. part.* 1. *cap.* 17.; Diana *tom.*7. *tract.*8. *reſol.* 9. *&* 10., & alii. Nec obſtat textus Exodi *cap.*21. *verſ.* 7. ubi = *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam &c.*, nam Gloſſ. interlin. ibi ait = *Ex quavis gravi cauſa licuiſſe Judæis filiam vendere*, & Cornel. à Lap. motivum hujuſmodi venditionis alienum etiam à fame cognoſcit.

Tandem noviſſimus ſervitutis titulus oritur ex ſententia Judicis ob crimen tali

pœna dignum, hominem condemnantis. Plura autem ſunt delicta, quibus jure civili talis pœna olim erat definita, quæ videri poſſunt apud Gonzal. *in cap. final. de ſervis non ordinandis num.* 4. circa medium, & Harprect. *in Comment.* §. *ſervi autem* 4. *inſtit. de Jure Perſon.*; imò & in antiquis Canonibus non ſemel hæc pœna ſtatuta reperitur, ut *in cap. de famulis tit. de ſervis non ordinandis cap. ita quorum de Judæis cap. eos qui dec.* 32. & propterea Canoniſtæ unanimiter agnoſcunt hanc titulum ſervitutis, quos colligit Barboſa *ſuper cit. cap. de famulis*, & Theologi pariter idem ſentiunt, ut videre eſt apud D. Thomam *in* 4. *diſt.* 36. *art.* 1. *ad* 3. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 5. *notab.* 3. Molin. *de Juſtit. diſp.* 33. *&c.* Dicaſtill. *de Juſt. tract.* 1. *diſp.* 1. *num.* 146., & alios apud ipſos. Inſuper ob nonnulla graviora crimina Parentum tum civili, tum etiam Canonico jure filii ſervitutis pœnâ afficiebantur, ut ex perſpicuis utriuſque Juris textibus oſtendit Vericell. *de Apoſt. Miſſion. q.* 107. *ſect.* 4. per totum; & certè id habetur expreſsè *in cap. cum multæ cauſ.* 15. *q.* 8.; ſed uſus talis pœnæ jamdiu receſſit ab Aula. Jura enim civilia fuiſſe revocata à Juſtiniano *novella* 22. *cap.* 8. notavit Gonzal. *in cap. Dilectus de ſervis non ordinandis n.* 4., & habetur *in Authen. de nupt.* §. *quod autem collat.* 4. *conſt.* 1., & huic pœnæ ſucceſſivè pœnas triremium, operis publici, aut carceris perpetui, ſucceſſiſſe advertit Harprect. *in Comment. ſuper* §. *Pœnæ ſervus inſtit. quib. mod. Jus Patr. potest ſolvi num* 14. ubi allegat concordantes, & univerſaliter hujuſmodi pœnam contraria conſuetudine eeſsâſſe affirmat Vericell. *q. nuper cit. ſect.* 3. *num.* 14.

Et hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ neceſſariò & indiſpenſabiliter prænotanda erant circa originem, ac varios titulos ſervitutis, quibus hæc juſtè inducitur; Niſi enim hucuſque recenſitæ Juris quæſtiones prius firmentur, ſuperflua omnino forent, quæcumque hac de re dicta ſubinde fuiſſent, & propterea his veluti juris quæſtionibus præſuppoſitis, dubium ipſum non tam difficulter, ſed facili potius negotio examinare, ac illius reſolutionem ſolidiſſimis, ut par eſt, argumentis, rationibus & auctoritatibus illuſtrare licebit.

Et ſanè, cum verſemur in dubio, quod nullam meo judicio habere poteſt difficultatem circa juris quæſtiones, in quibus, ut præmiſimus, vel nihil, vel parum diſcrepant DD., tota ratio reſolutionis deſumenda eſt ex facto ipſo, & illius circumſtantiis, nempe ab inquiſitione tituli, vel titulorum, quibus Rex Angolæ Baptiſmum petens, tot millium Chriſtianorum tam frequenter exercet venditionem; licèt autem ex relatione exhibitâ nulla hujus tam neceſſariæ circumſtantiæ notitia deducatur, nihilominus cum in hiſce gravioribus cauſis nulli labori aut induſtriæ parcendum ſit, eos propterea evolvere & examinare libros non omiſi, ex quorum lectione factum ipſum, & circumſtantias ſtabilire, & illuſtrare poſſem. Cum igitur agatur de moribus utriuſque Æthiopiæ, cujus pars, ut ſub initio notavimus, Angolæ Regnum exiſtit, ſatis nos inſtruere poſſunt Theologi, & Canoniſtæ Luſitani & Hiſpani tractantes non ſolùm de rebus Æthiopicis in genere, ſed etiam reſpectivè de ipſo Regno Angolæ, & ſignanter de mercatura hujus generis mancipiorum, quam Negotiatores Concives vel Comprovinciales exercere conſueverant, ſiquidem videntes non poſſe Mercatores juſtè emere, quin Venditores juſto titulo poſſideant, toti ſunt in examinandis titulis, quibus miſeri illi homines pro ſervis habeantur, & ut Mancipia pretio diſtrahantur.

Theologorum igitur & Canoniſtarum Hiſpanorum & Luſitanorum, quos alii ſubinde imitati ſunt, examinatis hac de re quæſtionibus, mirum eſt legere, quomodo omnes conſentiant in hoc, quod ut plurimùm nullus juſtus titulus exiſtat, nec præſumi valeat in venditione hujuſmodi mancipiorum pro legitimanda ſervitute tot millium hominum apud gentes, quarum feritas, ignorantia, & injuſtitia ſatis comperta eſt, quaſque Religione in Deum, & pietate erga homines deficere in dubium non revocatur, ideoque ſi unum excipiamus Fagundez, qui *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 2. nititur venditionem iſtam excuſare, cuique videtur adhærere Antonius à Spiritu Sancto *part.* 3. *tract.* 10. *diſp.* 4. *ſect.* 3. Cæteri omnes vel aptè improbant, vel ab aliis improbatam referunt, vel ſe dubitare fatentur. Ita articulo ſedulò examinato Frangoſius Luſitanus *de Regim. Reip. Eccleſ. part.* 3. *lib.* 10. *diſp.* 22 §. 1. *num.* 4. ibi = veroſimilius eſt emptionem factam in Angola eſſe injuſtam, & contra charitatem & juſtitiam = Similia habent Rebell. Luſitanus *de obligat. juſtitiæ part.* 1. *lib.* 1. *qu.* 10. *ſect.* 2., Molin. celebris in Luſitania Profeſſor *tract. diſp.* 35., Barboſa celeberrimus Canoniſta Luſitanus *de Offic. & Poteſt. Epiſcoporum part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 35.. Conſentiunt Theologi & Juriſperiti Hiſpani, Sanchez *lib.* 1. *conſ. cap.* 1. *dub.* 4. *per totum*, præcipuè *num.* 10. Navar. *in ſumm. cap.* 23. *num.* 96., Mercado *de controct. lib.* 2. *cap.* 20., Ledeſma *in* 2. 2. *q.* 118. *art.* 1. *dub.* 11., Franciſcus Garzias *de contract. part.* 1. *cap.* 17., Petrus Navar. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 1. *num.* 203., Trullench. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 10.,

num. 10., Sot. *de Juſt. & jure lib. 4. quæſt. 2. art. 2.*, Petrus de Aragon. *in 2. 2. D. Thomæ q. 62. pag. mihi 95. col. 1.*, Gonzal. *in cap cognoſcentes de conſtitut. num. 5. in notis*, quibus addi poſſunt Dian. *tom. 7. tract. 8. reſolut. 8. num. 7.*, Michaël de Palatio *de Contract. lib. 2. cap. 8.*, Vericell. *de Apoſtol. Miſſion. qu. 107. per totum*, præcipuè *ſect. 8.*, Azorius *part. 3. lib. 8. cap. 6. q. 5.*, Gabalin. *de negot. lib. 1. cap. 4. art. 3. conſect. 3.*, & in hanc partem propendet Solorzan. *de Jure Indiarum lib. 3. cap. 7. num. 108. & ſeq.*; Tandem ſic loquitur Caſtropalaus *de juſt. tract. 3 1. diſp. unic. punct. 10. num. 11.* = In communi Æthiopum emptione rarò juſtos intercedere titulos, ideoque rarò ſervituti licitè ſubjici.

Duplici autem fundamento præ cæteris tot Doctorum ſententia comprobatur. Famâ ſcilicet & præſumptionibus, graviſſimis conjecturis, & indiciis confirmata, quod nullo legitimo jure Incolæ illius Regionis ſervituti mancipentur. Et ſanè de fama nihil videtur dubitandum, cum tot, & tantæ auctoritatis teſtibus comprobetur, præcipuè ex Luſitania, & Hiſpaniis, ad quas geſtorum in Angolæ Regno, ac Æthiopiæ partibus de facili valent nuncia pervenire; tum propter breviorem diſtantiam, tum propter frequens Incolarum commercium & navigationem.

Accedit non leve ejuſdem famæ fundamentum ex relatione Epiſcoporum, qui teſtantur de improba vita eorum, qui hujuſmodi negotiationi dant operam, ut videre eſt apud Vericell. *loc. cit.*, ita ut Archiepiſcopus Bayenſis in Braſilia, cui tanquam Metropolitano ſubeſt Epiſcopus Angolanus coactus fuerit inter ſibi reſervatos caſus annumerare venditionem, vel emptionem Indorum liberorum, ut teſtatur Ludovicus Nogueira Soc. Jeſu Theologus Luſitanus in Bull. Cruciatæ Luſitanis conceſſæ *diſp. 18. ſect. 24. num. 511.*, ubi recenſito vigeſimo primo ex caſibus dicto Archiepiſcopo Bayen. reſervatis, qui eſt = *Venditio vel emptio Indorum liberorum*, ſubjungit: *hic caſus comprehendit Vendentes & Ementes Indos liberos, quod eſt peccatum graviſſimum*.

Præſumptio verò fortiſſima conſurgit ſive ex naturali illarum gentium conditione, ſive ex iis, quæ de earum rudi, ac ſæviſſima vivendi ratione retulerunt oretenus, vel epiſtolis ii, qui inter ipſos verſati diutius fuerunt, ſiquidem bella inter eos, præcipuè Æthiopes, non tam ratione & conſilio, quàm avaritiæ & vindictæ appetitione geruntur, inquit Fragoſius *diſp. 21. cit. §. 1.*, verumtamen & *num. 26.* ſubjungit = Æthiopes de juſtitia belli nihil curant, ſed totum jus eorum in armis conſiſtit, & qui majorem habent potentiam, majores prædas agunt, & majores Mancipiorum greges aggregant.

Deteriora habet Molina *diſp. 31. concluſ. 5. verſ. ſed jam ad Æthiopum bella*, ubi plura ſcribit, quæ exceperat à Viris fide dignis, & quod magis urget ab ipſiſmet Mercatoribus, qui hujus generis mercimonium exercebant, & præ aliis ad rem noſtram ſic habet = *De bellis Æthiopum, quibus ordinariè capiunt mancipia præſumendum eſſe arbitror juxta ea, quæ Mercatores ipſi nulla tormentorum vi coacti, dum interrogantur, reſpondent, potius illa eſſe latrocinia, quàm bella* = & eadem pluribus relatis confirmant Sanchez *cap. cit. dub. 4. n. 2.*, Vericellus *qu. cit. num. 46. & ſeq.*, qui & alios ſervitutis titulos percurrunt, & ſimul oſtendunt, de ſingulis præſumptionem eſſe, quod nullum ſibi inter Barbaros vindicent locum, & præſertim Æthiopes, qui in pœnis præcipuè pro delictis infligendis, & juſtitiam & charitatem, imò & humanitatis limites excedunt, nam vel ſunt duplo majores ipſo delicto, vel causâ vindictæ potius, quàm juſtæ punitionis infligunt, ita ut aliquoties ob Gallinæ furtum ad perpetuam damnent ſervitutem: vel ob crimen ab uno alicujus familiæ perpetratum totam ſive deſcendentium, ſive collateralium progeniem iniquæ ſervituti ſubjiciunt; Parentes ipſi levi qualibet irâ moti, nec ulla gravi neceſſitate compulſi proprios filios vendunt; adeoque nullum video effugium, quo Angolani Regis praxis poſſit à manifeſta injuſtitia excuſari, quinimò morali certitudine concludendum potius videtur, tot miſerabilium hominum Greges illicitâ prorſus venditione diſtrahi.

Et quatenus quis reſponderet, quod non ſumus in claris & certis, ſed in re omnino dubia, quæ Famæ & Præſumptionibus dumtaxat innititur, & cui de conſequenti certa reſolutio adaptari non poteſt, replicare poſſumus ſine ulla hæſitatione dubium ipſum ſufficere ad cogendum Angolanum Regem in foro conſcientiæ, ut à præfata Baptizatorum hominum venditione abſtineat: Omnia namque jura clamant, quod in dubio ſavendum ſit libertati *leg. libertas leg. quoties dubia ff. de regul. juris*, & *in cap. licèt de Conjug. ſervor. cap. finali de ſentent.*, & *re judic.*, & in terminis præſentis dubii latè tradit Solorzanus *de Jur. Indiarum lib. 3. cap. 7. num. 64. & 65. 68. & 69.*, ita ut neque poſſeſſio juvet, quia comperti juris eſt naturalem extare *Conſtitut.*, qua omnes homines liberi naſcuntur *§. Jus autem Inſtit. de Jur. Natur. gent. & Civ.*, & propterea ſervitus dicitur contra naturam *§. 1. Inſtit.*

de

de jure Perſon., & hac de cauſa ſolum dubium ſufficere ad improbandam Mancipiorum Æthiopum mercaturam ſatis eſſe demonſtrant Sanchez *loc. cit. dub. 4. n. 7. & ſeq.*, Fragoſius *diſp. 22. cit. num. 190.*, Rebell. *lib. 1. q. x. ſect. 1. in finem*, ubi concludit, quod nec longi temporis poſſeſſione, nec conſuetudine valet præſcriptio contra libertatem.

Quæ omnia optimè confirmantur exemplis & mandatis Regum Hiſpaniarum, qui certiores facti de ſervitute, in qua detinebantur ſive Indi, ſive Mauri, etiam non baptizati, & impii Mahometis falſam Religionem ſectantes, dubiamque eſſe agnoſcerent præfatæ ſervitutis juſtitiam, omnes indiſcriminatim nativæ libertati reſtitui præceperunt, quos eorum aſſerti Domini à ſe juſto titulo poſſideri non evincerent. Harum legum tenorem refert, & illarum juſtitiam optimè propugnat Solorzanus *cap. 7. cit. num. 67 & 113.* poſt Molinam *de juſt. diſp. 35. in princip.*, & Bartholomæum de Laſcaſas Epiſcopum Chiapon. *tract. de Indis*, qui effecti ſunt ſervi eâ potiſſimum ratione, quia dubium erat, An ſervi illi juſtè fuiſſent acquiſiti, & aliud exemplum adducunt de Filiis parvulis Granatenſium rebellium, qui libertati fuerunt reſtituti propter opinionum varietatem.

Sed omiſſis Hiſpaniarum Regum mandatis, examinandum reſtat, an unquam hæc Sancta Romana Sedes quidquam hac de re decreverit, quod negativam Reſolutionem ſanctiſſimo Sanctitatis Veſtræ judicio propoſitam quodammodo comprobare ac firmare valeat? licèt autem adverſa valetudo mihi non permiſerit vel omnem vel meliorem adhibere diligentiam, eam tamen non omiſi, quæ mihi ſufficiens viſa fuit ad comprobandam præſentem reſolutionem.

Paulus III. per litteras Apoſtolicas in forma Brevis expeditas ſub die 23. Maji 1537. & directas Domino Cardinali Tavere, Archiepiſcopo Toletano, poſtquam narravit Carolum V. Imperatorem & Hiſpaniarum Regem edictum promulgaſſe contra eos, qui Indos in ſervitutem redigebant, in mandatis dedit dicto Domino Cardinali, ut interdiceret quibuſcumque perſonis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſubique & Succeſſoribus reſervatæ, ne Indos quomodolibet in ſervitutem redigere præſumerent. Exemplar autem, ſive copia dicti Brevis extracta eſt ex ſuo originali exiſtente in Secretaria Brevium, prout retulit Dom. Secretario de Propaganda Fide, & Mihi Dominus Btevium Secretarius.

Clemens VIII. ſuis Litteris pariter in forma Brevis expeditis, eadem vel ſimilia præcipit, ut refert Solorzanus *de Jure Indiarum cap. 7 cit. num. 55.*, a quo quem, ſi lubet, examinari poterunt, cum eas in forma authentica examinare ſuperfluum omnino exiſtimaverim, propter alias Urbani VIII. mox referendas.

Urbanus VIII. per ſuas litteras in forma Brevis expeditas ſub die 22. Aprilis 1639., & directas Collectori ſpoliorum in Regno Portugalliæ, inhærendo iis, quæ Paulus III. mandaverat, eaque extendendo, præfato Collectori committit, ut per comminationem excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ac Apoſtolicæ Sedi reſervatæ inhibeat = *Ne de cætero Indos prædictos in ſervitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, aut quoquo modo libertate privare, necnon prædicta agentibus conſilium, aut auxilium præſtare, aut id licitum prædicare, ſeu docere, ac aliàs quomodolibet præmiſſis cooperari audeant aut præſumant.*

Sed in terminis præciſis pro præſenti reſolutione extant Decreta, & Reſponſa hujus Supremi Tribunalis, quæ tandem perquiſitis hinc inde actis ad manus devenerunt, ſueruntque extracta ex antiquo Volumine exiſtente in Archivo hujus ſupremæ Inquiſ., cui titulus eſt = *Volumen qualificationum* vol. 48., in quo fol. 49. ſequentia perhibentur.

P. Æmidius Portellus, Præfectus Miſſionis Tartariæ nonnulla Dubia huic Supremo Tribunali reſolvenda propoſuit, iiſque examinatis in particulari Congregatione habita ſub die 17. Septembris 1630. fuit reſponſum, ut infra &c.

Secundum. An Fideles Feciolenſes poſſint emere Chriſtianos à Tartaris captos, eoſque in ſervitute retinere?

Sacra Congregatio cenſuit poſſe emere, ſed non poſſe, uti Mancipia, apud ſe retinere, ſed quaſi pignoris loco, donec per operum ſuorum præſtationem pretium ſolvant, ſeu reſtituant.

Quartum. An Fidelibus liceat hujuſmodi captivos, eorumque Filios vendere Infidelibus?

Sacra Congregatio cenſuit, non licere, tum, quia Fideles non ſunt Domini eorum, tum quia iniquiſſima eſt hujuſmodi venditio, per quam Chriſtiani fiunt Mancipia Infidelium.

Quintum. An ſaltem liceat Fidelibus eoſdem captivos, eorumque Filios vendere aliis Fidelibus?

Sacra Congregatio cenſuit, non licere, quia prædicti Captivi non ſunt in Dominio Fidelium, ſed veluti obſides, donec aliquo modo reſtituatur, vel compenſetur pretium.

Ex

Ex his autem reſolutionibus duo manifeſtiſſimè deducuntur. Primum, quod jure merito præſumitur injuſtitia in venditione Captivorum per Barbaros, licèt belli titulo, qualis reſpectivè erat in dubiis mox relatis acquiſitorum: ſecundum, quantùm Eccleſia abhorreat à ſervitute Chriſtianorum exercenda ſub dominio Infidelium, vel quorumcunque Chriſtianæ & Catholicæ fidei hoſtium.

Inſurgit autem ex hoc aliud ſolidiſſimum fundamentum pro negativa præſentis dubii reſolutione comprobanda, quatenus enim non tam claré agnoſceretur injuſtitia venditionis in dubio expreſſæ, ex alia gravi circumſtantia illicita prorſus erit affirmanda, quia ſcilicet Chriſtiani ac Catholici homines Hæreticis venduntur, ſiquidem Chriſtianos Catholicoſque ſive Paganis, ſive Judæis, ſive Hæreticis pro mancipiis vendere ſemper improbavit, vetuitque Eccleſia, cui hac de re legibus latis Imperatores auxilium præſtiterunt.

Incipiendo autem à Judæis, certum eſt, quod Chriſtiana mancipia nequeant poſſidere, &, ſi quod habent, citò vendere cogantur, ut expreſsè decernitur *in cap. multor. cap. finali de Judæis cap. 2. de conſtitut. cap. 29. de reſcript.*, cum aliis apud Gonzal. *in cit. cap. Multor. de Judæis n. 3. in com.*, quibus addi poteſt *Can 9. Concilii Cabylonen.* ſub Vitaliano celeb. an. Chriſti 663., & id ipſum Cæſareo jure ſtatuitur *in l. unic. cod. de Chriſtiani mancip.*, & *in l. final. cod. de Epiſc & Cleric.*

Eadem prohibitio militat quoque reſpectu Paganorum, & cujuſcumque alterius ſectæ Infidelium *ad text. in cap Judæi de Judæis*, quod deſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi *Can. 27., & facit can. 19.* Concilii Ratisbonen. ſub Zacharia Papa celebrati anno 742. ibi -- *Mancipia Chriſtiana Paganis non tradantur.*

Et optimè ad rem noſtram faciunt, quæ ex Anaſtaſio recenſet Baronius *tom 9. ad an. Chriſti 752.* ſub initio de Zaccharia Papa, ibi: *Porro eodem in tempore contigit plures Venetiorum, Venetiæ Provinciæ ſcilicet hanc Romanam veniſſe in Urbem Negotiatores, & mercimonii nundinas peragentes, multitudinem mancipiorum virilis ſcilicet, & feminei generis emere viſi ſunt, quas ad Paganas Gentes in Africam nitebantur abducere, quo cognito, idem Sanctiſſimus Pater (Zacharias) fieri hoc prohibuit, judicans, quod juſtum non eſt, ut Chriſtiani ablati Baptiſmo Paganis Gentibus deſervirent, datoque eiſdem Veneticis pretio, quod in eorum emptionem dediſſe probatum fuit, cunctos à jugo ſervitutis redemit, atque more liberorum detinendos abſolvit.* Porro ſacris Canonibus addenda eſt Conſtitutio etiam Juſtiniani Imperatoris, quę habetur *in l. finali Cod. de Epiſc. & Cleric.*, in qua prohibitio Servorum jam pridem emanata reſpectu Judæorum, nedum ad Paganos, ſed ad quoſvis Hæreticos extenditur, prohibeturque, ne Chriſtiana Mancipia Hæreticis tradantur, &, ſi quæ ſunt in eorum poteſtate, libertati reſtituantur. *Leg. Manichæos Cod. de Hæretic.* Hanque concluſionem ſolidè tuentur Sanchez *lib. 1. conſ. cap. 1. dub. 5.* per totum: Fragoſius *de Regim. Reip. Eccleſ. part. 3. diſp. 21. §. 1. num. 17.*, & alii &c.

Quod autem prædictæ leges juri divino innitantur, concludit S. Thom. 2. 2. *q. 10. art. 10. &c.* ibi enim propoſito dubio: An permitti debeat fidelem degere ſub dominio Infidelis? ſic reſpondet: Nullo modo permitti debet; cederet enim in ſcandalum & periculum fidei; de facili enim illi, qui ſubjiciuntur, immutari poſſunt ab iis, quibus ſubſunt, & ſimiliter Infideles condemnant fidem, ſi fidelium defectus cognoſcunt: Et hanc rationem attigit quoque Concilium Maldenſe *can. 73.* Judæis, inquit, Chriſtianæ legis nolumus ſervire perſonas, ne occaſione Domini Sacramenta venerandę Religionis immutent: & diſertiùs idem motivum expendit*ur in cap ad hoc de Judæis* ubi: Quoniam ipſi de facili ob continuam converſationem & aſſiduam familiaritatem, inſtigante humani generis inimico ad ſuam ſuperſtitionem ſimplicium animos inclinarent.

Hæc autem mala non minus ab Hæreticis, quàm à Judæis timere contingit, & utinam non frequentiùs experiremur, ideoque neceſſariò conſequitur, ut præfatam venditionem hominum Chriſtianorum catholicorumque factam, faciendamque à Rege Augolano Hæreticis Batavis illicitam prorſus pronunciemus, ſaltem, ſi nulla alia ſuppeteret ratio, propter periculum, in quod miſeri illi Æthiopes, & maximè ſimpliciores, deficiendi ſcilicet à fide catholica, præter contemptum, cui Catholica ipſa Religio exponeretur, conjiciuntur.

Quatenus igitur ad hocce dubium negativè reſpondendum eſſe ſapientiſſimo judicio Sanct. Veſtræ videretur, de conſequenti examinandum eſt.

SECUNDUM DUBIUM.

An præfato Regi Angolano, niſi firmiter, ac ſincerè proponat à prædicta venditione deinceps abſtinere, licèat adminiſtrare Baptiſmum?

Reſolutio.

Negativè.

Ratio

Ratio Reſolutionis.

Firmatâ enim priori reſolutione, quod Chriſtianorum Mancipiorum venditio à culpa lethali nequit excuſari, neceſſe omnino eſt deducere quemcumque, qui animum non habet abſtinendi ab hujuſmodi venditione, non poſſe licitè baptizari; ſiquidem hominem, qui peccandi retinet libertatem, ad lavacrum regenerationis admitti non debere, jus ipſum divinum urget, ſemperque prohibuit Eccleſia.

Rem hanc, cæteroquin certam & indubitatam directiſſimè in ſcripturis, & Eccleſiæ traditione demonſtrant duo Eccleſiæ lumina, SS. ſcilicet Auguſtinus, & Thomas de Aquino: Primus enim *in lib. de Fide & operibus* ex profeſsò refellens perniciosam, ut ait, quorundam opinionem *cap.* 6. inquit: *videamus, utrum ad peretpiendum Baptiſmum ita admittendi ſint homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne ſanctum canibus detur?* & *cap.* 12. ſic argumentatur: *Si ita quiſque veniat ad Sancti lavacri petitionem, ut profiteatur ſe ab Idolorum ſacrificiis non receſſa rum, quæro, utrum eum faciendum catechumenum conſentant, procul dubio fieri non debere clamabunt. Cum ergo ad Baptiſmum Idolis ſervientes non admittimus, & Fornicatores admittendos putamus? cum de his & cæteris malis: Apoſtolus dicat: & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis:* Idem argumentum proſequitur *cap.* 18. inquiens: *Meretrices & Hiſtriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores, niſi ſolutis, aut diſruptis talibus vinculis ad Chriſtiana Sacramenta non permittuntur accedere, qui utique omnes admitterentur, niſi antiquum ac robuſtum morem Sancta Eccleſia retineret, ex illa ſcilicet liquidiſſima veritate venientem, qua certum habetur, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt: & niſi egerint ab his mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad Baptiſmum non ſinuntur:* Et idem tradit *In lib. de Adult. Conjug.* ad Pollentium *cap.* 28., & alibi paſſim.

Conſentit S. Thomas, qui 3. *part. q.* 58. *art.* 4. per totum efficaciter evincit, Peccatori habenti propoſitum perſiſtendi in peccato, Baptiſmum eſſe denegandum; & hoc probat triplici argumento deducto tum ex natura, tum ex fine, & demum ex ſignificatione tanti Sacramenti.

Primo inquit, quia per Baptiſmum Homines Chriſto incorporantur, ſecundùm illud Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non poteſt eſſe Chriſto conjunctus, ſecundùm illud 2. Cor. 6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate?*

Secundo, quia in operibus Chriſti & Eccleſiæ nihil debet fieri fruſtra: fruſtra autem eſt, quod non pertingit ad finem, ad quem eſt ordinatum: Nullus autem habens voluntatem peccandi, ſimul poteſt à peccato mundari; ad quod ordinatur Baptiſmus.

Tertio, quia in Sacramentalibus ſignis non debet eſſe aliqua falſitas: Eſt autem ſignum falſum, cui res ſignificata non reſpondet; ex hoc autem, quod aliquis lavandum ſe præbet per Baptiſmum, ſignificatur, quod ſe diſponat ad interiorem ablutionem, quod non contingit de eo, qui habet propoſitum perſeverandi in peccato, & his verbis concludit: *Unde manifeſtum eſt, quod talibus Sacramentum Baptiſmi non eſt conferendum &c.*

Sed poſt Concil. Trident. de hac re dubitare amplius non licet, cum expreſsè decernat *ſeſſ.* 6. *de Juſtificat. cap.* 5. In adultis ad Baptiſmum recipiendum præmittendam eſſe diſpoſitionem illam, cujus meminit *cap.* 6. ſcilicet: ut moveantur adverſus peccata per aliquod odium & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet. Quodnam verò ſit hoc pœnitentiæ genus, apertè inſinuat *cap.* 14. ubi diſtinguit Pœnitentiam, quam vocat Baptiſmalem, ab ea, quæ competit Chriſtiano poſt lapſum, ac illam ſupponit continere ceſſationem à peccatis, eorumque deteſtationem &c.

Eandem Doctrinam aptiùs explicat, & cõfirmat cathechiſmus ejuſdem S. Synodi juſſu editus ſub titulo de Sacramento Baptiſmi ante medium *pag. mihi* 181. ubi de Adultis Baptiſmum petentibus ſic loquitur: *deinde ut quemlibet admiſſorum ſcelerum, & malæ actæ vitæ pœniteat, atque ut inpoſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuat, opus eſt.* Aliter enim, qui ita Baptiſmum peteret, ut tamen peccandi conſuetudinem nollet emendare, omnino repellendus eſt.

His autem auctoritatibus & rationibus alia ſubnectere ſupervacaneum omnino videtur, cum tota Theologorum ſchola in illud aſſertum conſpiret: Homini ſcilicet adulto Baptiſmum petenti injungendum eſſe, ut ſaltem eliciat de peccatis præteritis attritionem illam, quæ juxta Tridentini doctrinam *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. voluntatem peccandi prorſus excludat. Videantur S. Thomas *loc. cit.* S. Bonaventura *in* 4. *ſent. dist.* 4. *in proem. dub.* 1., Scotus *in* 4. *dist.* 4. *part.* 7., Cardinalis de Laurea *de Baptis. diſp.* 14. per multos articulos, Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 24. *ſect.* 2., & alii tum antiqui, tum recentiores Theologi; Quod magis compro-

ba-

batur ex variis reſolutionibus, & inſtructionibus, tam hujus Supremæ, quàm Sac. Congregationis de Propaganda Fide reſpectivè, quas infrà, prout de more, ſapientiſſimo veſtro judicio diſtinctè proponam.

Die 12. *Maji* 1645.

In Congregatione Dominorum Qualificatorum habita ſuper dubiis Sinenſium declaratum fuit = Sinenſes Uſurarios in ſtatu uſurario permanentes bsptizari non poſſe.

Vericell. de Apoſtol. Miſſion. §. 103. refert, quod Sac. Congregationi de Propaganda Fide propoſitum fuit dubium = An baptizandus, qui ſit obnoxius reſtitutioni, ſit monendus ante Baptiſmum de ſua obligatione? Et eadem Congregatio, conſultis Theologis ab ea deputatis, reſpondit = omnino proponi debere baptizandis obligationem reſtitutionis exequendam, ſi fieri poteſt, ante Baptiſmum, neque eam monitionem reſervari poſſe poſt datum Baptiſmum, ſic oſtendente Chriſti Domini inſtitutione, & Eccleſiæ antiquo ritu: & oppoſitum fieri, inferret injuriam Sanctitati Eccleſiæ, ac Divinis Sacramentis.

Anno 1669. editæ fuerunt typis Sseræ Congregationis de Propaganda Fide inſtructiones ad munera Apoſtolica ritè obeunda, quæ compoſitæ fuerunt ab Epiſcopis Hieropolitano, & Beritenſi, Vicariis reſpectivè Apoſtolicis Tunchini & Cochinchinæ, quas juſſu prædictæ Congregationis examinavit, & veluti Apoſtolico ſpiritu conſcriptas, & omnibus Miſſionariis valde neceſſarias approbavit D. Joannes Bona, poſtea S. R. E. Cardinalis ſub die 19. Februarii 1669., & in his multa recenſentur, quæ ab Evangelicis Miniſtris, antequam Catbecumenos ad Baptiſmum admittant, præmitti debent, & præ aliis *cap.* 7. *art.* 3., ea, quæ ad rem noſtram faciunt, ſuſiùs recenſentur, quæ ibi examinari poterunt.

Feria 5. *die* 1. *Maji* 1703.

Inter dubia propoſita ab Epiſcopo Quebecenſi, quæ coram Sanctiſſimo Dom. Noſtro examinata fuerunt, ſeptimum in ordine erat tenoris, qui ſequitur:

Quæritur, Utrum Miſſionarius ita teneatur baptizandum Adultum ad contritionis, vel attritionis actum impellere, ut omiſſo contritionis, vel attritionis actu illum baptizare non poſſit?

Sanctiſſimus decrevit, Miſſionarium teneri inducere baptizandum Adultum ad actum contritionis, vel attritionis eliciendum; & pro hujus dubii reſolutione multa adnotata & recenſita fuerunt, quæ in ſcripturis tunc datis, &, ſi lubet, reaſſumendis, videri & examinari poſſunt.

Ex hucuſque igitur relatis ſatis apparet, quod, niſi Rex Angolæ venditionem hominum Chriſtianorum, quam illicitam, ac injuſtam plenè demonſtravimus, ſincero, ac contrito animo deteſtetur, atque ab ea ſtatuat toto corde inpoſterum abſtinere, nequeat ad Baptiſmi Sacramentum licitè admitti, ne videlicet, ut ſcribit S. Auguſtinus *in lib. de Fide & Operibus cap.* 6. *in fine*, perverſitate mirabili prius ei dicatur, *Induc hominem novum*, & cum indutus fuerit, poſtea dicatur, *exue veterem*, cum Apoſtolus ſanum ordinem tenens, dicat, *Coloſſ.* 3. *verſ.* 9. & 10. *Exuite veterem*, & *induite novum*: & ipſe Dominus clamet *Matth.* 9. *verſ.* 16. & 17. Nemo aſſuit pannum novum veſtimento veteri, & nemo mittit vinum novum in utres veteres.

Et hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ Sanctitati Veſtræ pro hacce graviſſima materia examinanda humillimè propoſui, ut ſubinde ea, pro ſapientiſſimo, quo decorata eſt, judicio, decernere valeat, quæ in Domino videbuntur expedire. Se interim humillimè, & ſalvo ſemper meliori judicio, Sanctitatis Veſtræ ſubmittens &c.

Fr. Joan. Damaſcenus Conſ. S. O.

Feria 2. *die* 13. *Aprilis* 1711.

Domini Conſultores reſpondendo ad utrumque dubium per modum unius, fuerunt in voto, non poſſe in caſu, de quo agitur, admitti Regem Angolanum ad Baptiſmum, niſi ſeriò promittat abſtinere à venditione captivorum baptizatorum Hæreticis.

Feria 5. *die* 16. *Aprilis* 1711.

Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum, reſpondendo ad utrumque dubium per modum unius, dixit: Non poſſe, in caſu, de quo agitur, admitti Regem Angolanum ad Baptiſmum, niſi ſeriò promittat ſe velle abſtinere à venditione captivorum baptizatorum Hæreticis; necnon mandavit fieri inſtructionem tranſmittendam Miſſionariis, quibus demandetur, ut curent ſuaderi Regi Angolano, quod ſi cupit ſacrum Baptiſma ſuſcipere pro ſalute animæ ſuæ, debet omnino ſe abſtinere ab omnibus iis, quæ opponuntur Chriſtianæ Religioni, inter quæ eſt venditio Mancipiorum Chriſtianorum Hæreticis.

Mandavit inſuper Sanctitas Sua, quod in dicta inſtructione adnotetur etiam, quod non per hoc intendatur approbari, hujuſmodi

di venditionem poſſe licitè fieri Perſonis Catholicis, Mancipiorum Infidelium, niſi concurrant circumſtantiæ, quæ illam licitam reddere valeant.

Exempl. in Arch. Generali Armario Miſſio Congi.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Martii MDCCXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Decimo nono.

Autog. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *Reg. menſ. & an. præd. fol. 99.*

A' Cardinale de Cunha de Attaide rationes Eccleſiæ Congenſis, necnon Capucinos Miſſionarios ejectos, Regia Portugalliæ patrocinio commendari poſtulat.

Dilecto Filio noſtro, Nuño, S.R.E. Presbytero Cardinali de Cunha de Attaide

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PLurimùm cordi Nobis eſt, ut Religioſi Viri ex Ordine FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui dolo & fraude quorumdam Presbyterorum ſæcularium ex Apoſtolica Miſſione Regni Congi nuperrimè deturbati fuerunt, priſtinum in ſtatum reſtituantur. Hunc igitur in ſcopum ſcriptis hodierna die ad Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Joannem Portugalliæ, & Algarbiorum Regem illuſtrem aliis noſtris in ſimili forma Brevis litteris, ab eo diligenter flagitamus, ut memoratos intruſos Presbyteros ſæculares ejici mandet, & Apoſtolicos Miſſionarios Capucinos reſtitui curet quamprimùm, ſuoque Regio patrocinio caveat, ne de cætero à præfatis, vel aliis Presbyteris ſæcularibus in ea Statione amplius perturbentur. Minimè profectò dubitamus, quin Rex ipſe pro eximia pietate, ac æquitate ſua poſtulatis noſtris obſecundaturus libenter ſit, nihilominus præter modum ſolliciti, ut neceſſaria mandata Regia illuc primo quoque tempore expediantur, cupimus ea tuis officiis ſedulò promoveri: Satia enim conſtat Catholicæ Religionis rationes in illis partibus peſſum ituras eſſe, niſi hujuſmodi ſeductorum audacia citò & fortiter coerceatur, ac Apoſtolici Miſſionarii in ea, qua diu, nec ſine magno animarum fructu, divinique cultûs incremento potiti ſunt, tranquillitate conſerventur. Id itaque à perſpecto zelo tuo etiam atque etiam poſtulamus, & Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili noſter, peramanter impertimur.

Quod idem ab ipſomet Portugalliæ Rege immediatè petit.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Joanni, Portugalliæ & Algarbiorum Regi Illuſtri

CLEMENS PAPA XI.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRavi cum animi noſtri mœrore nuper accepimus, dilectos Filios Religioſos Viros Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Profeſſores, quibus Miſſio Apoſtolica in Regno Congi aſſignata eſt, inde abire coactos eſſe machinatione & dolo cujuſdam Stephani Bottheghi Presbyteri ſæcularis, qui abutens facultate ei interdum ab eiſdem Miſſionariis minus cautè tributa adminiſtrandi Sacramenta Baptiſmi, & Matrimonii, eò audaciæ poſtmodum progreſſus fuit, ut ſe Vicarium Generalem, & Magnum Regni Conſiliarium palam evulgare, atque multiplices Juriſdictionis actus ibidem exercere non dubitaverit. Ad hæc junctò ſibi alio Presbytero ſæculari, qui illuc menſe Septembri anno 1717. appuliſſe fertur, & Viſitatoris titulum falsò uſurpavit, eâ acerbitate præfatos Miſſionarios inſectatus eſt, ut ipſis exiſtimationem, & fidem apud credulam illam gentem penitus abrogaverit, eoſque tandem ab illis partibus aliò demigrare compulerit. Hæc porro, quantam bonis omnibus offenſionem, & quàm grave Orthodoxæ Religionis rationibus, animarumque ſaluti detrimentum attulerint, ſingulari Majeſtatis Tuæ prudentiæ ſatis perſpectum erit. Cupientes igitur pro Paſtoralis Officii noſtri debito ejuſmodi malis & ſcandalis congruum remedium adhiberi, ab eximia pietate, & æquitate Tua majorem in modum petimus, ut Tuis in ea Regione Adminiſtris diſtrictè præcipias, ne memoratos Presbyteros, aut quemcumque alium Sacerdotem ſæcularem, qui Miſſionarii munus in eo Regno obire præſumeret, ibidem conſiſtere patiantur, ſed eos incun-

ctan-

ſtanter ejiciant, ac omnino ab illis partibus diſcedere compellant: illuc autem revocent quamprimùm antedictos Regulares Capucinos, ad quos illa Miſſio pertinet, quique diu, & magno cum animarum lucro in ea laborârunt, ac demum ipſos, ne inpoſterum à quoquam in Apoſtolico illis injuncto Miniſterio perturbari poſſint, omni ope ac ſtudio tueantur. Quod ab egregio, & pluribus aliis præclaris documentis teſtato zelo tuo Nobis omnino pollicentes, Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Martii MDCCXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Decimonono:

In Arch. & Regeſto ſupradicto.

MISSIO BAHIÆ,

SEU SINUS OMNIUM SANCTORUM,

AC FLUMINIS SEU RIVI S. FRANCISCI IN BRASILIA.

BRaſiliâ, celebri Americæ Meridionalis parte, à Luſitanis anno 1510. juxta Buffier *in ſua geographia univerſali pag. mihi* 301. detecta, & ſuam in ditionem redactâ, Rex Indos in populationes, quas *aldeas* vocitant, diviſit, ut aptior illos, ab omni alieno commercio ſegregatos, regendi, & ad fidem ſalvificam convertendi evaderet occaſio. Pauci illo tempore reperiebantur Portugalliæ Sacerdotes, qui novas baſce colonias colere geſtiebant, in aſperis, incultis, ac nauſeantis naturæ terris, & inter gentes vix habentes, quo ſe cooperirent, vivere averſantes. Vocati ſubinde ſunt diverſorum Ordinum Regulares Miſſionarii ad novum Evangelii campum, quorum labori ſeſe univerunt & Capucini Galli, à Regina Chriſtianiſſimâ, Maria, ad inſtantias Dñi de Razilli, qui tunc in illis partibus Regis Chriſtianiſſimi res curaverat, anno 1611. ablegati. Varias hi fundârunt binc inde Miſſiones, quas & indefeſſo zelo, & glorioſo fructu fæcundârunt, enutritam in latebris populi barbariem cicurando, eumque ſacro fonte in novam creaturam per legem Evangelii formando, uſque dum ab initio hujus ſæculi bello Regem Chriſtianiſſimum inter — & Regem Portugalliæ incaleſcente, Apoſtolicam ſtivam dimittere, & à vernante agro ſecedere debuerunt. Manſit per annos Braſilia Miſſionariis Capucinis privata, effecit autem, quæ ibi viva perſtitit, fructûs à Gallo Capucino reportati memoria; ut Capucinis Italis novus ad ſulcatæ jam terræ culturam panderetur aditus, & diverſæ aſſignarentur ſtationes. Sub una tunc omnes extabant Præfectura, quæ jam in trea diviſa manet. Primatum harum obtinet ea, de qua hic agitur, Babiæ Præfectura.

Porro Bahia, ſeu Sinus omnium Sanctorum adjacet oræ Orientali Braſiliæ, & ultra mille milliaris, juxta Miſſionariorum relationes, in ea extenditur. Ab Oriente Oceano, & ab Occidente montibus & Sylvis à Barbara gente inhabitatis terminata.

Hujus Emporium conſtituit Civitas S. Salvatoris Archiepiſcopatu inſignita, in qua Capucini Miſſionarii Itali occupant reſidentiam & Eccleſiam anno 1679. à Capucinis Gallis Regio conſenſu conſtructam, ita ſonante.

Ego Princeps Regens & Gubernator Regnorum Portugalliæ & Algarbiorum.

Notum facimus omnibus præſentem hanc noſtram proviſionem inſpecturis, quod penſatis illi, quæ mihi Miniſtri Cameræ Civitatis Babiæ omnium Sanctorum de peculiari virtute, zelo, & agendi prudentia, quibus Religioſi Capucini Nationis Gallicæ converſioni Infidelium aſſiſtunt, & in qua magnum faciunt progreſſum, catbechizando, & ad S. Fidem reducendo, quin in illa Civitate Miſſionarii ibi tranſeuntes recipere poſſint, expoſuerunt: penſatiſque quoque & aliis, quæ Procurator Coronæ, cui horum omnium notitia data fuit, ac attenta fiducia, quod dicti Religioſi proſequendo ſua officia in fidei extenſione & reductione gentiliſmi in Braſilia adhuc vigentis magnum profectum ſint facturi, præterquamquod per ea, quæ ab iis jam facta ſunt, omni favore digni habeantur, libenter iis facultatem concedo conſtruendi in dicta Civitate Hoſpitium pro Miſſionariis, in quo poſſint venientes ex conſiniis recipere, adjuncta declaratione, quod in dicto Hoſpitio nunquam plures quàm ſex, uſque ad octo, Religioſi perſiſtant, & ideo pro hujus duntaxat

numeri commodo, conſtructio Hoſpitii permittitur. Hinc Capitaneo generali Statûs Braſilienſis, cui & hujus gubernium incumbit, ſicut & aliis Miniſtris & Perſonis, ad quas ſpectabit, mandamus, ut huic proviſioni ſatisfaciant, & eidem exactè ſatisfieri, ac eo, qui in hiſce exprimitur, modo, ſine ullo dubio aut hæſitatione adimpleri curent. Præſentes autem valeant ceu litteræ Patentes, non obſtante, quod in libro edictorum 2. tit. 40. contrarium diſponatur &c. Ulyſſiponæ 25. Auguſti 1679.

Cum poſtmodum, uti ſuprà dictum, Capucinos Gallos, exceptis Britannis, Ulyſſiponæ firmatis, ex Braſilia, aliiſque regni locis diſcedere oporteret, & Regina, tunc clavum Luſitani regni moderante, Capucinis Italis poſſeſsio hujus Eccleſiæ, & Hoſpitii fuit tradita per litteras auguſtales D. Rodericio à Coſta, ſtatûs Braſilienſis Gubernatori, ita inſcriptas:

Domne Roderice à Coſta. Ego magnæ Britanniæ Regina, Portugalliæ Infans, nos tum præſentibus ſaluto. Factâ conſideratione ad id, quod mihi à Conſilio Miſſionum fuit expoſitum, videlicet, quod tum cultui Dei, tum commodis meis plurimùm conduceret, ſi in iſta Civitate Patribus Capucinis Italiæ Hoſpitium ad modum illius, quod in hac Regia iis datum eſt, concederetur, quatenus Religioſi illi, qui ad Miſſiones Angolæ & S. Thomæ ablegabuntur, & inde illuc redibunt, quando navium commodum vel pro dictis Miſſionibus, vel pro regreſſu ad hoc Regnum non habebunt, vel etiam illi, qui vel in Miſſionibus, vel in via infirmantur, aut, uti ſæpius jam accidit, ob regionis clima in Miſſionibus inhabiles reddantur, pro cura & remediis ad id divertere poſſint; Eamque ibi Hoſpitium B. Mariæ Pietatis nuncupatum, à Capucinis Gallis relictum, defacto non incolatur, ratum habeo & concedo, ut illi toto illo tempore, quo prædictis Miſſionibus Angolæ, & S. Thomæ aſſiſtent, & iis de Miſſionariis competentibus proſpiciant, in illo collocentur, adjectis tamen clauſulis & conditionibus, ut in hoc Hoſpitio alii Religioſi morari nequeant, quàm neceſſarii, quatenus cuntibus ad Miſſiones, & inde redeuntibus facilius provideatur. Inter neceſſarios erunt, unus, qui aget Procuratorem, alius Superiorem, duo Concionatores, quorum uterque in dictis Miſſionibus jam fuerit, & inſuper duo laici pro Hoſpitii famulatu. In hoc autem prætacti Miſſionarii Angolæ & S. Thomæ longiùs non cunctabuntur, quàm pro tempore, quo vel naves pro diſceſſu non affuerint, vel quo eruntinfirmi. Hinc Vobis & veſtris Succeſſoribus vigilem ad hæc omnia obſervanda attentionem inculco, voloque, ut, an ita obſerventur, mihi ratio reddatur: meo enim attentio, & inſenſu hoc eſt, ut nihil alteretur, & ut hocce medio memoratis Miſſionibus Angolæ & S. Thomæ nihil deficiat, & dicti Religioſi Capucini ex nulla, quæcunque illa ſit, cauſa, in iſta Civitate, vel alio iſtius regni ſtatu aliis Miſſionibus ſe immiſcent, cum multi ibi exſtent Religioſi ſupplentes, nec etiam ullam in ſe ſuſcipiant abſque ſpeciali noſtro ordine. Curate, ut hoc mandatum non ſolùm in Protocollo Secretariæ iſtius Gubernii, ſed etiam in illo Conſilii Miſſionum hujus ſtatûs regiſtretur, & inſuper id in primo Conſilio publicabitis, quatenus omnibus innoteſcat, & id executioni mandetur, quod deſuper convenit. Scriptum Ulyſſiponæ 26. Febr. 1705.

Regina Regens.

Fundârunt inde Capucinos in hac Miſsione mutuo concurſu charitas & fides, illa, ut Miſſionarii advenæ aut infirmi ſuum ibi reciperent præſidium; hæc verò, ut pro illius dilatatione Miſſionarii ſtrenuè ſui Apoſtolatûs officio ſumgerentur, & vigili oculo *Aldearum* ſuarum ſeu populationum curam gererent, haſque novâ ſemper prædâ adaugerent. Cum enim in vicinis Sylvis ac Deſertorum latebris plures adhuc infideles Indi delitescant, brutorum more viventes, ſpoliis venationis, fructibus agreſtibus, ac etiam ipſa humana carne veſcentes, incedentes nudi, arcu, pharetra & ſagittis, quarum cuſpides venenoſis herbarum ſuccis inficiunt, muniti, Europæorum rei ac vitæ inhiantes, vitæ tum civilis tum moralis inſciî, ac tria potiſſimùm colentes, ſeu potiùs verentes Numina, videlicet *Tupan* ceu Cœli Deum, *Paraya* Deum terræ, ac *Torna* aquæ Deum, quorum iram placare autumant, dum retibus diſcoloribus, arborum foliis, aviumque pennis contecti, ac armis ſuis cincti, adinſtar belluarum ululantes, laſcivos cum fœminis ludos & choreas ducunt, præcipuam operam PP. Miſſionarii ad id impendunt, ut infelices hoſce Indos in ſuas *Aldeas* congregent, captivent in obſequium, de brutalis vitæ ratione abducant, prima fidei rudimenta inſtillent, pedetentim ad baptiſmum diſponant, ac denique ab inſano ſuperſtitionum, ſortilegiorum, divinationum ac incantationum

num errore, in quem etiam poſt ſuſceptas ſacræ regenerationis aquas nativo pruritu ſeruntur, coërceant.

Perſonuit Capucinorum Italorum zelus in Regia Luſitaniæ Aula ea laude, ut illius falci latiorem laboris & meſſis terram decerneret, mandando, ut Miſſiones, quas RR. PP. Thereſiani, tunc ad Rivum S. Franciſci occupabant, Capucinæ S. Franciſci Proli, ad culturam traderentur, ac Hoſpitio ſeu Præfecturæ Babiæ unirentur.

Regium, quod deſuper confectum eſt, diploma, ſonuit, ut ſequitur:

Domne Garzia de Avila Pereyra. Ego Rex vobis precor plurimam ſalutem. Attentâ expoſitione, mihi de modico fructu à Religioſis Miſſionariis S. Thereſiæ in diſtrictu Rivi ſeu Fluminis collecto factâ, tum ob mutationem Paſtorum, quæ interceſſit, tum quod in Thereſianis illæ prærogativæ non reperiantur, quæ fuiſſent in Capucinis Gallis, illis Miſſionibus olim aſſiſtentibus, quibus juſſu meo Religioſi S. Thereſiæ ſuccedebant, nam præterquam, quod Capucini prædicti fuerint veri Miſſionarii, ab omni humano lucro mundi, & unicè gloriæ Dei, & animarum profectui attenderint, Camera noſtra nullas proinde facere debuit expenſas, ſicuti facere debet cum Thereſianis, cuilibet earum Miſſionario triginta mille Reis *annuatim erogando: quod committendo tales Miſſiones Fluminis S. Franciſci Religioſis Capucinis Italis, in Civitate Babiæ cum Hoſpitio reſidentibus, eandemque regulam Capucinorum Gallorum profitentibus, eodem animarum ſalutis zelo decoratis, & victu divinæ Providentiæ contentis evitatur. Sique etiam illos aliqua re neceſſariâ indigere contingeret, Vos iis de tali providere obligatis, quin Camera noſtra Regia alicui diſpendio ſubjacere debeat: Attentis quoque veſtris rationibus, & ipſis Religioſis Thereſianis, quorum Inſtitutum ab illo Miſſionariorum multùm differt, cum potiùs in Choro, & contemplatione Dei, quàm in communicatione externa, & Miſſionum exercitio occupentur, dum econtra propriùs Religioſorum Capucinorum Italorum charakter eſt, prout experientia... tum ex zelo, quo Miſſiones peragunt, tum ab exemplo vitæ, quod prębent, tum ex temporalium bonorum contemptu, quo ſe diſtinguunt, monſtravit, ſtatui, ut Miſſionibus diſtrictûs Fluminis S. Franciſci, quas hucuſque Religioſi S. Thereſiæ occupârunt, Capucini Itali aſſiſtant. Quem in finem Superiorem Capucinorum Italorum in hac noſtra Regia informari feci, ut cum Religioſis neceſſariis, Miſſionibus dictis aſſiſtat, & Gubernatori Generali illius ſtatûs, ac Proviſori Majori regiarum expenſarum fuit intimatum, ut ſumptus, alias cum Miſſionariis S. Thereſiæ fieri ſolitos, ſuſpendant, cum Vos Capucinis Italis veſtris expenſis aſſiſtere obligaveritis. Quod vobis perſcribo, quatenus reſolutio in hac materia à me capta vobis innoteſcat. Ulyſſipone* 10. *Decembris* 1709.

Exempl. hujus, & aliarum hîc infertarum Epiſtolarum in Lingua Luſitana in Archivo Generali Ord. Armario Miſſiones Braſiliæ.

Cuilibet *Aldearum* præeſt P. Miſſionarius, qui juxta regium Decretum in ſpiritualibus Parochum, in re Domeſtica Patrem, ac in civili regimine Gubernatorem & Judicem agit.

Ipſæ demum *Aldeæ* ſunt luculenti Apoſtolici fructûs teſtes, cum nonniſi populum acquiſitionis & prædam ſanctam complectantur. Eſtque fructus hujuſmodi eò gloriosior cenſendus, quò ferocior eſt gentis natura, quò durior eam è latebris abducendi labor, & quò major illius linguam capiendi occurrit difficultas.

Ex quibus omnibus ſtatum hujus Miſſionis ex locis Babiæ, & Fluminis S. P. Franciſci conflatæ præſentem ita formo, adjuncto, quo quælibet populatio utitur, idiomate.

IN CIVITATE S. SALVATORIS

Reſidentia ſeu locus Præfecturæ Aldeæ.

Patacuba, idiomatis Karapato.
S. Petrus, idiomatis Romonez.
Rodella, ubi ſupremus Gubernator Indorum reſidet, idiomatis Porcaz.
Axarà, ejuſdem idiomatis.
Vargè, idiomatis ejuſdem, & Parcarutas.

Pambù,

Pambù, idiomatis Kafirs.
Cavallo, ejuſdem.
Trapoa, ejuſdem.
Varacapa, ejuſdem.
Rivus *dos Contas*, idiomatis Grems.

Et tandem *Aldea* Cairù noviſſimè juſſu Excellentiſſimi Domini Comitis Andreæ de Galveas, Braſiliæ Pro-Regis, opera P. Anſelmi ab Andorno Miſſionarii Pedemontani erecta.

Fr. Michael Angelus à Neapoli primus Miſsionis Præfectus inſtituitur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ 29. Febr. 1712.

REferente R. P. D. Sylvio de Cavaleriis Secretario, Sac. Congreg. Præfectum Miſſionum prope Fluvium S. Franciſci in America Meridionali ad ſeptennium declaravit P. Michaelem Angelum à Neapoli, Ordinis Capucinorum, cum authoritate ea, quæ ad Miſſionis regimen pertinent, ad præſcriptum Decretorum Sac. Congregationis, & facultatum eidem conceſſarum exercendi, & non aliàs, nec alio modo. Dat. Romæ ex Ædibus dictæ Sac. Congregationis die & anno, quibus ſupra.

Exemp. in Arch. gen. Armario Miſſiones Braſiliæ.

Nullum Miſſionarium Congi, vel Inſulæ S. Thomæ, non expleto ſuæ Miſſionis termino, aut infirmitate non cogente, ad exercitium Miſſionum Rivi S. Franciſci admitti, P. Præfecto mandatur.

CUm Miſſiones Rivi S. Franciſci, climatis ſint multùm mitioris, & benigniores, quàm aliarum, quæ à Religioſis ſui Ordinis Congi, & in Inſula S. Thomæ coluntur, & proin juſtè ſupponi poſſit, quod deinceps omnes Religioſi ad Miſſiones iſtarum partium, & non ad illas Congi, & S. Thomæ, ubi aliàs amplior Sacrorum Operariorum numerus neceſſarius eſt, ablegari ſint petituri, aut ſaltem plures Miſſionarii ſuarum Miſſionum pertæſi, omnes vias ſint tentaturi, quatenus ad obſequium iſtius populi cum præjudicio aliorum, quos derelinquent, transferantur, ad obviandum opportunè omni abuſui mandâtur, ne ullus Religioſus ad harum novarum Miſſionum exercitium admittatur, qui ſuæ Miſſionis tempus Congi, vel in Inſula S. Thomæ non adimpleverit, vel ex cauſa infirmitatis ad diſceſſum non fuerit coactus.

Romæ ex Ædibus Propag. 14. Martii 1712.

Exempl. in Arch. Generali Armario Miſſiones Braſiliæ.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Accedentibus Doctrinam Chriſtianam in Civitate Bahiæ indulgentiæ conceduntur.

Beatiſſime Pater.

FR. Romualdus à Burgo S. Donnini, Præfectus Miſſionum Bahiæ in Braſiliis, Sanctitati Veſtræ reverenter exponit, quod inter alia exercitia, quibus ipſe, & ipſius Miſſionarii occupantur, unum quoque eſt Catechiſmus, quem duo Miſſionariorum omnibus Dominicis in eadem Civitate Bahiæ omnium Sanctorum, cum magno confluxu Perſonarum omnis ordinis, & ampliſſimo animarum fructu in forma Dialogi inſtituunt; Hinc ad alliciendos fideles ad profecutionem inſtructionis, ad tantum ſpiritualem eorum fructum redundantis, Sanctitatis Veſtræ Orator demiſſiſſimè ſupplicat, pro gratia, ut cuilibet concurrenti Indulgentiam temporaneam ſeu partialem, & cuilibet frequentanti in una dictarum Dominicarum, ad ſuam electionem, quâ confeſſus & communicatus fuerit, Indulgentiam plenariam concedere dignetur.

Ex audientia Sanctiſſimi 4. Martii 1746.

Sanctiſſimus benignè annuendo pro gratia, conceſſit Indulgentiam centum dierum, lucrandam per Chriſtifideles qualibet vice, quâ Catechiſmo, de quo agitur in pre-

precibus, adſtiterint, eidemque Catechiſmo frequenter aſſiſtentibus plenariam Indulgentiam una vice in ſingulos annos conceſſit, eo die, quo ſacramentaliter confeſſi, ac Sacra Communione refecti fuerint.

Joſeph Livizzanus Secret.

Exempl. in Archivo prædicto.

MISSIO PERNAMBUCI.

INter primarias Dynaſtias, ſeu Præfecturas, quas *Capitaneatus* vocant, & in quas Braſilia dividitur, numeratur & Pernambucenſis, æquè in ſua extenſione vaga, ac fertilitate terræ beata. In hac quoque Præfectura à Capucinis Gallis prima Evangelii ſemina jacta fuiſſe comprobant litteræ Regiæ, quarum primis 1646. exaratis, Rex Joannes IV. illorum zelum plurimùm commendavit, & Epiſcopo iis in omnibus & per omnia gratificari commiſit, aliis verò & ſecundis anno 1652. datis, eos, non obſtante factâ aliàs contra Extraneos prohibitione, Pernambuci ſtabiliri decrevit. Fructum, quem primi hi Coloni in horrea Domini intulerunt, juratum complectitur teſtimonium ſequens:

Antonius Bezerra, Vicarius proprietarius Eccleſiæ S. Petri Civitatis Olindæ, & Commendatarius Eccleſiæ Cathedralis dictæ Civitatis, notum facio, qualiter PP. Capucini Galli, Fr. Joſias, & Fr. Boniſimus cum aliis ejuſdem Ordinis Religioſis ad Capitaneatum Pernambuci eo tempore, quo Batavi armorum vi illum ſubjugaverant, pervenerint, & in eo ad fidem Jeſu Chriſti non ſolùm indigenas Luſitanos, verùm etiam alienigenas diverſæ Nationis, Batavo militi commixtos vel perduxerint, vel in ea confirmaverint, hinc inde maximâ vigilantiâ & curâ ad diverſa loca curſitantes ad Sacramenta ibi adminiſtranda, & ubique ſe probos & ſollicitos Religioſos exhibentes, quin ulla unquam de iis turpis lucri macula fuerit viſa aut audita. In vicinia Olindæ parvum Conventum ex eleemoſyna à Romano-Catholicis hujus Capitaneatûs amore Dei iis erogata conſtrui curârunt: tempore quoque præſentis belli contra Batavos ubique militi pedeſtri aſſiterunt, eumque ad tenacem hujus ſtatûs defenſionem animârunt, vix non omni quoque conflictui præſentes. Tempore, quod reſiduum erat, in loco, ubi Gubernator Henricus Dias morabatur, reſidebant, ad Sacramenta magno Fidei zelo adminiſtranda ſemper parati, & exemplum ſacratiorit vitæ tum Sæcularibus, tum Eccleſiaſticis ubique præbentes, hinc omnis gratiæ, quo Regiæ ſuæ Majeſtati illos proſequi complacuerit, ſese dignos effecerunt, quem in finem præſens atteſtatum ſignavi, per Sanctæ Dei Evangelia, & Sacros Ordines, quibus ſum inſignitus, jurans, quod prædicta omnia, ſint ipſa rei veritas.

Olindæ 16. Junii 1649.

Quod & ipſum in ſequentibus annis Gubernator Pernambuci renovavit litteris ſuis ad Regem Portugalliæ ita expeditis:

REX. Zelus, quo Capucini Galli Regiæ Veſtræ Majeſtati inſerviunt, charitas, quâ Xenodochiis aſſiſtunt, & ſollicitudo, quâ, ubi cum inimico pugnandum eſt, adſunt, me devinxerunt ad ſignificandum, quod in quacumque occaſione, & quocumque modo non ſolùm ſe ſollicitos, verùm etiam peculiari zelo tum pro Dei cultu, tum pro Majeſtatis Veſtræ ſervitio accenſos exhibeant. Luculentiùs hoc probârunt in hujus Dominii reſtauratione, præſentes ſemper in periculis &c. & ſe non ſolùm pios Religioſos, ſed & inſignes Heroes manifeſtantes, aliis exemplo ſuo incitantes, & in periculis primi. Eapropter ad notitiam Majeſtati Veſtræ deſuper dandam me obligatum cenſui, quatenus illos iis gratiis & honoribus, quibus ita benemeritos diſtinguere ſolet, cumulare dignetur. Deus &c.

Ex Fortalitio S. Luciæ 20. Julii 1654.

Franciſcus de Figueiroa.

Gloriam tam felicis principii, necnon ſubſequi, & converſione Gentilium adaucti progreſsûs cum ipſo jam memorato Patrum Gallorum diſceſſu diſtraxit enatum ad hujus ſæculi initium Galliam inter—& Portugalliam bellum; quo terminatô, relictum Pernambuci in loco Reciffé Hoſpitium Rex Capucinis Italis conſignari juſſit per ſequens Edictum:

Gubernatori Capitaneatûs Pernambuci. Ego Rex vobis precor multam ſalutem. Frater Hieronymus à Genua Superior & Procurator Miſſionariorum Capucinorum Italorum à me ſup-

ſupplex, & pro gratia requiſivit, quatenus ipſi Hoſpitium in Reciffe à Capucinis Galliſ olim occupatum conſignari mandarem. Ex quo enim hi ab illo fuerunt ſmoti, Capucini Itali ſine aſylo, quo prius cuntes & redeuntes à Miſſionibus ſuis Angolæ, & in Civitate S. Thomæ exiſtentibus gaudebant, manſerunt, ita quidem, ut ad Ædes Sæcularium æquè cum horum incommodo, ac majore ipſorum Religioſorum obſervantiæ & profeſſionis præjudicio divertere cogantur. Cumque hi Religioſi ob eorum auſteram, & exemplarem vitam, ac ardentem in Miſſionibus zelum pro Dei cultu & animarum fructu, omni favore digni exiſtant, poſſeſſionem prædicti Hoſpitii iis concedi mea voluntas eſt, quod & executioni dari vobis injungo.

Ulyſſiponæ 18. Martii 1709.

REX.

Inductis ibi Miſſionariis Italis, jam non amplius velitandum eſt cum Hæreticis, cum Capitaneatus ab hujuſmodi lue purgatus reperiatur. Ad efferos Infideles in procœmio Superioris Miſſionis deſcriptos, & Catholicos curas ſuas convertere debent: ad illos, ut ſervitutem Idolorum libertate Chriſtianæ vitæ permutent, & receptas Baptiſmi aquas, tabo ſuperſtitioſæ iniquitatis non amplius coinquinent: ad hos verò, ut Catholici nominis dignitatem degenere actione non obfuſcent, & ſuæ virtutis exemplo Neophytam prolem ædificantes, in gratum Deo & hominibus ſpectaculum ſe efforment. Labore hoc ad præſens uſque producto totius Pernambucenſis populi amorem ſibi conciliârunt, conſque partialem, ut line iis vivere ſe quaſi non poſſe autumarent. Teſtis eſt dolor ab omnibus conceptus, dum Miſſionarii diſceſſum è Perbambuco olim parârunt, à Superioribus ſuis indictum, & quem abundanter probant litteræ, quibus nomine Loci Reciffe enuntiatum diſceſſum à Senatu Cameræ impediri, ita petitum fuit.

Infraſcripti hujus Loci Incolæ pro commodo & utilitate reſidui populi ejuſdem Loci Dominationibus Veſtris, ceu Corpori hujus Reipublicæ, exponunt eximium fructum, qui Divinæ Majeſtati, ac humanæ exhiberi poteſt, ſi omni meliore, quo fieri poteſt, modo, diſceſſus, quem ab hocce loco Religioſi Capucini Itali, in Conventu B. Virginis de Penha di Francia in via S. Antonii hujus & ejuſdem Loci habitantes meditantur, impediatur. Res indubitata manet, quod à tempore, quo prædicti Religioſi memoratum Conventum incolere cœperunt, viſus ſit ampliſſimus fructus in populo, collectus tum eorum doctrinâ, tum fervido ac efficaci zelo, quo incumbunt Miſſionibus, adminiſtrando diu noctuque Sacramenta, celebrando Miſſas, excipiendo confeſſiones, horâ quidem competente, uti & confeſſiones pauperum fœminarum, quæ ob veſtium defectum Eccleſias publicas accedere non poſſunt. Venerationi præterea dignos ſe reddunt exemplo vitæ, & proborum morum, quod meritò corda ad compunctionem illorum diſcuſſus inducat. Modica eſt temporis intercapedo, quod ſtupuerint omnes ea, quæ in ſua Miſſione P. Fr. Carolus in Capitaneatu Rivi Januarii uſque ad illam Siaræ (quod extenſionem 350. & ultra milliariorum conficit) operatus eſt cum manifeſtis prodigiis tum in ſylvis, tum in deſertis, tum in plateis locorum, per quæ tranſiit, & ultimò in Civitate Olindæ, Emporio hujus Provinciæ, & tandem actualiter in hac Villa, reconciliando amicitiam inter perſonas diſtinctas, inter Maritos & uxores, ſeparando ab inveterato concubinatu, & denique inculcando, quod ad animarum ſaluti conducit. Hinc Domin. Veſtras enixè rogamus, ut ſuæ Regiæ Majeſtati hæſce rationes exponere velint, quatenus permanentiam horum Dei Servorum in hoc Conventu, ex quo ad Miſſiones, quæ ipſos tangunt, excurrunt, ordinare & ſtabilire dignetur. Rogantur pariter D. Emmanuel Rollim de Moura, Gubernator & Capitaneus generalis, & ejuſdem Dominus Locum-tenens, ſicut & Illuſtriſſ. Capitulum, ut dictos Religioſos ad permanentiam in hoc loco, ſaltem uſque dum reſolutio ſuæ Regiæ Majeſtatis pateat, perſuadeant, & eidem Majeſtati motiva recurſûs exponant. Hinc de bonitate & clementia ſuæ Majeſtatis confiſi ſperamus, quod auditis hiſce rationibus, ac aliis, quas prudentia Dom. Veſtrarum Eidem ſuggeret, ſubditis ſuis, proficuam hanc gratiam ſit conceſſura, ô Superioribus præfatorum Religioſorum licentiam ad hoc neceſſariam procurari jubendo. Ex Villa S. Antonii in Reciffe 8. Dec. 1723.

Emmanuel Lopes Santiago cum aliis 58. proprio nomine ſubſcripti.

Ejuſdem tenoris & clamoris litteras dedit hæc eadem Civitas immediatè ad Regem Portugalliæ ſub 25. Dec. 1723. dum prius D. Gubernator, Emanuel Rollim de Moura, omnem operam pro impediendo PP. Miſſionariorum propoſito apud Regiam Majeſtatem à ſe impendendo ſub 13. Decembris 1723. eidem Civitati adpromiſit. Fortiùs egerunt Dignitates & Canonici Olindæ, cum ſub excommunicationis majoris pœna Navarchis, ne Miſſionarios in naves ſuas reciperent, Monitorio ſub 21. Decembr. dicti anni relaxato, inhibuerunt.

Ex-

Exaudivit gemitum populi Deus, ac omni contrarietatis lapide per opportuna Sacræ Congregationis conſilia ſublato, permanſit Miſſio in ſuo ſtatu, qui in præſentia eſt ſequens:

LOCUS PRÆFECTURÆ.

Reciffe, à Civitate Olindæ parum diſtans.

ALIA LOCA MISSIONUM.

Ararippe, Bregio, Caziris novus, Mepibù, Taypu, Piancò, Rivus *de Peixe* &c.

Præfecturæ Pernambucci Miſſionem Ararippe incorporari & uniri mandatur.

Deretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 5. Sept. 1735.

ATtento, quod Miſſio Fratrum Capucinorum in diſtrictu, nuncupato *Ararippe*, in Braſilia, valde diſtat à Miſſionibus Fluminia S. Franciſci ejuſdem Ordinis, quibus nuper aggregata fuerat; quam ob cauſam à Patre pro tempore Præfecto ejuſdem Fluminis S. Franciſci, nequit commode regi, ac viſitari; Emi Patres, referente Emo Dño D. Card. Barberino, prævià diſmembratione prædictæ Miſſionis à Præfectura dictarum Miſſionum Fluminis S. Franciſci, eam uniendam, & incorporandam eſſe cenſuerunt, prout reipſa eam uniêrunt, & incorporârunt Miſſionibus Præfecturæ Pernambucci; ita ut in poſterum earum pro tempore Præfecto in omnibus, & per omnia ſubjaceat.

Datum Romæ es Ædibus ejuſdem Sac. Congregationis die, & anno, quibus ſupra.

Extract. ex lib. Decret. Sac. Congr. anni 1733. fol. 68.

Nonnulla dubia circa Epiſcoporum, & Miſſionariorum jura &c. reſolvuntur, & P. Præfecto reſolutiones communicari jubetur.

INter Miſſionarios Miſſionis Pernambucci in Braſilia orta ſunt dubia ſequentia:

Primò. An vivente & reſidente Epiſcopo, Præfectus Miſſionariorum Capucinorum, ſive de ejus licentia, quiſvis alius Miſſionarius poſſit licitè & validè diſpenſare ante factum in impedimentis matrimonii, ad normam privilegiorum non tantùm Indos Miſſionum, ſed etiam Cives, cujuſcunque gradûs & conditionis cum debita ſolemnitate?

Secundò. An ſaltem poſſint eodem modo, vel abſente Epiſcopo, vel Sede vacante?

Tertiò. An Præfectus unius Miſſionis poſſit concedere facultates, vel in toto, vel in parte Miſſionariis alterius Miſſionis, dum ratione itineris, vel alia quavis ratione tranſeunt, vel aliquo tempore morantur in Miſſione ipſiuſmet Præfecti, ſaltem ſuppoſito uſu, non obſtante reſtrictione, quæ legitur in fine privilegiorum?

Quartò. An ſuppoſitus uſus, vel aliquis alius poſſit præſcribere contra Decreta Sac. Congregationis?

Quintò. An ſuppoſitâ licentiâ Præfecti poſſit Miſſionarius propriæ Miſſionis uti facultatibus, nedum durante ſpatio ſeptem annorum, uti concedunt Decreta Sac. Congregationis, ſed etiam completo ſeptennio, etiamſi habeant obedientiam redeundi in Italiam, & nolint vel nequeant?

Cum autem talia dubia non ſint facilis reſolutionis, humillime ſupplicatur EE. VV. pro declaratione.

Datum Pernambucci die 15. Aprilis 1730.

Dubia hæc à S. Congregatione de Propag. fide pro opportuna reſolutione fuerunt remiſſa ad S. Officium, quod coram Sanctiſſimo habitum articulatim ad illa reſpondit, iuſſitque, ut Emin. Dominus Cardinalis Petra, prædictæ S. Congregationis Secretarius, per modum inſtructionis deciſionem per litteras, quarum apographum in Archivo Generali aſſervatur, P. Præfecto communicaret. Reſolutiones fuerunt ſequentes:

Ad dubium primum, clara eſt diſpoſitio articuli 4. facultatum, quæ à S. Sede Apoſtolica P. Præfecto conceduntur, propriis Religioſis Miſſionariis communicabiles quoad diſpenſationes Matrimoniales, quibus in foro interno conſcientiæ indefinitè, non autem in utroque foro, ubi ſunt Epiſcopi, uti poſſunt = *hæ vero Matrimoniales diſpenſationes, videlicet quarta, quinta, ſexta, & ſeptima non*

concedantur &c. in utroque foro, ubi erunt Epiſcopi, ſed in foro conſcientiæ tantùm = Inde, cum quæſitum tendat ad hoc, an Miſſionarii, vivente & reſidente Epiſcopo cum debita ſolemnitate diſpenſare poſſint, indubitatum eſt, quod tali facultate cum ſolemnitate, id eſt, in foro publico uti nequeant, utpotè Miſſionariis inhibitâ, & ſolis Epiſcopis reſervatâ, qui tamen eam delegare poſſunt. Nec facultates diſpenſationum Matrimonialium, prout ex earum formula apparet, ad ſolos Indos reſtringuntur, ſed omnes indiſtinctè cujuſcunque conditionis complectuntur, quantumvis eum clauſula graduum, & ea preſſione Matrimoniorum contractorum, ſeu contrahendorum limitentur.

Ad Dubium ſecundum: In facultatibus, quæ iſtarum partium Epiſcopis conceduntur, exprimitur, quod eas (exceptis iis, quæ characterem Epiſcopalem requirunt) Sacerdotibus idoneis, præſertim tempore mortis communicare valeant = *prædictas facultates communicandi (non tamen illas, quæ requirunt ordinem Epiſcopalem, vel non ſine ſacrorum oleorum uſu exercentur) Sacerdotibus idoneis, qui in eorum Diœceſibus laborabunt, & præſertim tempore ſui obitûs, ut Sede vacante ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta (quod quamprimùm fieri debebit) per Delegatum, vel per unum ex eis alio modo provideat* = Interim ex ſuppoſito, quod Epiſcopus ſit abſens ea Diœceſi, & quod ſuos ſubſtitutos in perſona Vicarii Generalis, aut aliorum Sacerdotum pro uſu prædictarum facultatum, in foro externo reliquerit, in hocce caſu uſus illarum in hoc foro eſt probibitus. Si verò Epiſcopus fuerit vitâ functus, Capitulum tunc in uſu dictarum facultatum non ſuccedit, ſed ille, vel illi, quibus Prælatus tempore ſui obitûs vi patentatis, quam dicta formula ipſi dabat, eas communicaverit, & conſequenter Miſſionarii, iis in foro externo uti non poſſunt, cum S. Sedis mens ſit, ut in Diœceſi adſit, qui in caſu vacantis Epiſcopatûs poſſit ſupplere, prout ea enunciata deducitur formula. Nihilominus, quando Epiſcopus è vitâ deceſſit, quin priùs alicui facultates conceſſerit, P. Præfectus in hujuſmodi caſu S. Sedem certiorem reddere, & ab ea providas & opportunas diſpoſitiones expectare debet.

Circa tertium, & quartum Dubium: P. Præfectus unius Miſſionis facultates Miſſionariis alterius Miſſionis communicare non poteſt, cum hoc in formula facultatum, quæ Præfectis conceduntur, clarè probibeatur, quin prætenſa conſuetudo in contrarium ullatenus poſſit ſuffragari: verba dictæ formulæ ſunt ſequentia = communicandi has facultates in totum, vel in parte Fratribus ſuæ Miſſionis, quos S. Congregatio de Propaganda fide deſtinaverit & approbaverit, & non aliis =

Tandem ad Dubium quintum, an Miſſionarii terminato tempore in eorum patentialibus, vel Decreto præfixo in exercitio Miſſionis, cum Præfecti licentiâ continuare poſſint? Debet circa hoc diſpoſitio Decreti ab hac S. Congregatione 12. Febr. 1704. editi obſervari, quod declarat = *Miſſionarios, donec confirmationem Miſſionis, ſeu licentiam diſcedendi à Miſſione obtinuerint, facultates ſuas exercere poſſe, ut antea, etiamſi tempus eorum lapſum fuerit* = Cum autem in præſenti Dubio ſupponatur, quod Miſſionarii licentiam diſcedendi jam obtinuerint, & ex motivo rationabili diſcedere non poſſint, vel ex propria voluntate illam excqui renuant, in primo caſu, in uſu ſuarum facultatum cum Præfecti permiſsione continuare poſſunt; in ſecundo verò & ulterioris moræ voluntariæ contra licentiam à S. Congregatione obtentam, quæ eodem tempore regreſſum ad Provincias Europæ injungit, hujuſmodi mora eſt delictum abſque cauſa neceſſaria: hinc Religioſi non ampliùs ceu Miſſionarii cum exercitio facultatum reputari poſſunt.

Romæ 31. Aug. 1737.

Excmpl. in Areh. gen. Ord. Armario. Miſſiones Braſiliæ.

MISSIO RIVI
SEU FLUMINIS JANUARII.

SEdit & ad hunc rivum ſeu flumen laborioſus Provinciæ Britanniæ Capucinus jam anno 1659. & quemadmodum fluvius caundante ſua aqua patulos campos percurrit, lambit, aridoſque illorum hiatus impinguat, ita & dictus Capucinus Apoſtolico excurſu aquas ſalientes in vitam æternam ibi effudit, & cæleſtis doctrinæ rore ita fæcundavit, ut viſo mutiplici-

plici fructu illum ibi firmari non tam proficuum, quàm neceſſarium judicaretur. Rei ſpo-dixis eſt Monumentum in Archivo noſtro generali ſſervatum, & ita exſcriptum:

Doctor Emmanuel de Suza d' Almeda Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Prælatus Adminiſtrator hujus Civitatis S. Sebaſtiani Rivi Januarii, aliorumque ſuæ juriſdictionis Capitaneatuum &c. omnibus præſentem hanc noſtram proviſionem viſuris vel audituris, ſalus & pax perpetua in Chriſto noſtro Salvatore, qui eſt omnium ſalus & præſidium.

Notum facimus, quod in his partibus Apoſtolicam R. P. Fr. Joannis Baptiſtæ Religioſi Capucini, Provinciæ Britanniæ, Miſſionarii Apoſtolici, operam ſummopere neceſſariam cenſuerimus, cum juxta Apoſtolica facultatum ſuarum Documenta, amplâ facultate munitus exiſtat diſpenſandi in diverſis caſibus, tum internum, tum externum forum concernentibus, in quibus aliàs & alius in hiſce partibus non habetur recurſus, quàm ad Sedem Apoſtolicam, ita tardus & difficilis (uti omnibus innoteſcit) quod non ſemel diutius in interto vagari, ac in Salvatoris noſtri Dei offenſa hæreri contingat. Malo huic prætactus P. Fr. Joann. Baptiſta in pauco dierum intervallo haud parum conſuluit, juxta ſuarum facultatum tenorem diſpenſando, & (prout nobis per proceſſus nobis exhibitos conſtat) abſolvendo. Hinc attendentes tum ad charitatem, quâ confeſſiones excipit, Verbum Dei annuntiat, & Hoſpitalibus inſervit, tum ad ſpem, quæ ampliorem fructum pro Dei cultu ab illo producendum nobis pollicetur, tum ad amorem, quo eum omnes hujus Civitatis Incolæ proſequuntur, ſimulque reminiſcentes, quod dictus Pater abhinc diſcedere cogitet, allegando, quod abſque ſuæ Religionis ſaciis exercitium Miſſionis, ad quam Superiores illum elegiſſent, continuare nequiret, conſultum duximus ei licentiam concedendi, prout & eam illi per præſentem noſtram proviſionem concedimus, apud Eccleſiam B. V. Immaculatæ, in colle huic Civitati adjacente ſitam, Hoſpitium, ſimile illi, quod Capucini Pernambuci incolunt, conſtruendi, ad quod ille, ac inſuper duo vel tres alii ſui Ordinis Socii ſecedere, & in eo defacto reſidere poſſint. Interim uſque dum Superiores ſuos deſuper informaverit, eidem permittimus, quantum poſſumus, & in quantum noſtra ſe extendit juriſdictio, at dictum Eremitorium B. Virginis ſub titulo Conceptionis in Eccleſiam ſui Hoſpitii aptare, & in hac portas aperire, omniaque alia, quæ ibi neceſſaria videbuntur, facere poſſit. Quem in finem monemus & exhortamur in Domino omnes hujus Civitatis & Diœceſeos Vicarios, ut præfato Patri aſſiſtant, eidem omnem favorem exhibeant, ac alios quoque finitimos ad præſtandam eleemoſynam diſponant. Supplicamus inſuper Domino Gubernatori generali hujus Civitatis, ac ejus Senatui, ut nomine Suæ Majeſtatis fabricam in dicto loco permittant, cum opus hoc ſit neceſſarium, & ex eo amplius pro Dei gloria fructus naſciturus prævideatur.

Datum in Civitate S. Sebaſtiani Rivi Januarii 9. Junii 1659.

Fabricâ feliciter terminatâ, inductiſque Evangelicis Operariis, noviter ſpecioſa Deſerti & Rivi horum ſudore pinguescere cæperunt: non ſolùm enim depoſitum fidei sb iis repertum, diligenti cura cuſtodire ſtuduerunt, ſed & omnem operam in eo collocârunt, ut Infideles, præcognitos quidem snte mundi conſtitutionem, manifeſtstos sutem noviſsimis temporibus, ad regism Cœli viam perducerent. Hinc jam integrum Indorum cœtum ſeu *Aldeam* in agro *Guaitecazes* 1687. erexerunt, quos omnes juxta Regias Litteras ad Epiſcopum ſub 27. Januarii dicti anni dstas, ab illis ſolis lavacro regenerstionis ablutos fuiſſe paret.

In memorato poſtmodum Gallorum ex Braſilia retroceſſu, ſui juris fecit Epiſcopus relictum Hoſpitium; quod autem ordine Regio ſuit reſtitntum Cspucinis Italis, qui in Meſſem Gallorum introierunt, eamque labore continuant eò majore, quò plures in dies deteguntur Infideles, tum ipsâ ſui nominis varietate, tum idiomatis confuſione, tum humanæ carnis psbulo pluſquam barbari; quò plures snnustim onorsriæ diverſarum Nstionum ibi appellunt naves; quò copioſor mancipiorum in auriſodinis, fabrics tsbacei, & Zuechsri &c. durè laborantium reperitur numerus; & quò latior excurrit Miſſionis terminus, ex divortio plurium Comsrcharum in unam coaleſcens Præfecturam, ac quò paucior ibi eſſe ſolet Miſſionariorum numerus.

Manſit diutiùs Miſſio hæc ſub Præfectura Pernambuci, cum autem locorum diſtantia arduum redderet illius gubernium, ab hac ſciſſa, conſtituit Præfecturam independentem & fixam.

In Civitate Rivi Januarii, olim S. Sebaſtiani dicta.

RESCRIPTIS

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Duos Miſſionarios Capucinos ex Rivo Januarii ad Gentiles populationes *Muanes & Quapes* ſe conferre, & Miſſionem Rivi Januarii in Præfecturam independentem erigi ſtatuitur.

PAter Antonius à Perufio Capucinus jam à quatuordecim annis bonus & utilis Miſſionarius in America cum litteris ſub 2. Junii anni elapſi ex Rivo Januarii datis, varios illius Miſſionis caſus perſcribit, quatenus Eminentiæ Veſtræ id, quod magis expedire, & neceſſarium judicaverint, deſuper reſolvere dignentur, quemadmodum & Procurator Generalis ſupplicat.

Primò. Exponit dictus Pater in primis, quod in illa Americæ parte, in qua Miniſterium ſuum de facto exercet, duæ Gentilium Nationes, *Muanes & Quapes* dictæ, verſus Rivum magnum ſitæ, & ad Sanctæ Fidei amplexum ſat dociles & diſpoſitæ reperiantur, ad quarum culturam eò libentiùs ſe contuliſſet, cum cognitionem & uſum illarum linguæ habeat ſufficientem, ni de tranſgreſſione limitum ſuæ Miſſionis dubitaret. Eſt autem adhuc promptus illuc ſe transferre, quoties ab EE. VV. id ei permittatur. Circa quod P. Procurator Generalis plenè Eminentiarum Veſtrarum zelo & deliberationi ſe remittit.

Illuſtriſſimus Dominus Secretarius tamen pro lumine & notitia hujus, ac ſequentis inſtantiæ EE. Veſtris ſuggerit, ex hujus Archivi documentis deduci, quod dictus P. Antonius à Perufio, ſicut & P. Hieronymus à Monte Reale ad Miſſionem S. Thomæ anno 1720. ablegati in itinere à tempeſtate ad Rivum Januarii fuerint pulſi, ubi Vicarius Generalis, & Capitulum, Sede vacante, eos ſubſiſtere voluit, tum ut Catholicis ibi aſſiſterent, tum ut Hoſpitium tempore præterito à Capucinis Gallis occupatum incolerent. Approbavit anno 1722. Sacra Congregatio illorum permanentiam, anno 1732. expeditione aliorum duorum Religioſorum ejuſdem Ordinis ſub P. Præfecti Rivi S. Franciſci dependentiâ adauctam.

Quo præmiſſo, Procurator Generalis Capucinorum anteceſſor eodem anno 1733. ſupplicavit declarari, an memorati Patres Antonius, & Hieronymus, ob rationes modò adductas, curâ prædictæ populationis ſylveſtris *Muanes* debeant occupari, addendo, quod ſe ad id paratos exhibuerint, & eò jam feceſſiſſent, ni Epiſcopus ex motivo eos non avellendi ab aliis locis, illorum aſſiſtentiâ indigis, illos ibi firmâſſet. Ad quod Sac. Congregatio reſolvit, alios duos Patres in horũ ſubſidium ablegari, prout & factum, & jam ſuprà relatum, & eſt = *Cum perveneriut duo præfati Religioſi, dicti Patres Antonius, & Hieronymus ſive ſimul, ſive alter cum uno ex Religioſis, qui mittuntur, incumbant inſtructioni & converſioni Populorum, de quibus agitur* = Ubi tamen notandum eſt, quod tunc de populo *Muanes* dumtaxat ageretur, dum hîc alii, *Quapes* appellati, adjunguntur. Ad quod à Sac. Congregatione fuit

RESCRIPTUM.

In Congregatione habita die 18. Decembris 1736. fuit reſolutum.

Ad Primum. Pro executione reſolutionis captæ de anno 1733. ac inſuper mittantur alii duo ad effectum inſtruendi tam Populos Fluminis Januarii, quàm nuncupatos *Muanes & Quapes*.

Secundò. Exponit, quod Miſſio Rivi Januarii ſit vaſta, & tres Capitaneatus, qui in ſubſtantia componunt tres magnas Provincias ſub tribus diverſis Gubernatoribus, videlicet Rivum Januarii, *le Mine*, & S. Paulum, præter Capitaneatum, vel Provinciam Spiritûs Sancti, contineat. Cumque Miſſio ultra 150. milliaria Italiæ à Bahia, ubi Præfectus reſidet, diſtet, ita ut recurſus ad hunc, occurrente caſu, ſit difficillimus, & per viam terræ impoſſibilis, dictus Pater expedire judicat, ut erigatur Præfectura independens, quemadmodum fuit tempore, quo Capucini Galli dictam Miſſionem adminiſtrârunt. Quod & P. Procurator Generalis non ſolùm conveniens, ſed & neceſſarium judicat, præſertim ſi Miſſioni duæ Nationes in priore puncto memoratæ uniantur, cum diſtantia Præfecti, & phyſica impotentia eidem in caſibus aſſiſtendi, illamque viſitandi ſit indubitata. Debetque hîc in memoriam revocari, quod ex hoc ipſo motivo Sacra Congregatio ſub 5. Septembris 1735. Miſſionem Arerippe Præfecturæ Pernambuci univerit. Ad quod fuit

RESCRIPTUM.

In Congregatione habita die 12. Februarii 1737 fuit reſolutum.

Ad ſecundum. Pro erectione novæ Præfecturæ.

Extract. ex Actis Sac. Congregat. de anno 1737. pag. 67. num. 9.

MISSIO

MISSIO INSULÆ,
ET CIVITATIS S. THOMÆ
IN AFFRICA.

HÆc Capucinorum Italorum Miſſio in Inſula Sancti Thomæ ſub linea æquinoctiali in Affricano Guineæ mari ſita, quam Luſitani, teſte Joan. Alb. Fabricio *in ſalutar. luce Evangelii fol. mihi* 701. anno 1405. circa Divi Thomæ feſtum (quod & ipſi nomen, quod gerit, indidiſſe nonnullis videtur) detexerunt, occupârunt, à Belgis autem anno 1640 & 1641. ipſis ereptam poſt ea recuperârunt, ac defacto quietâ poſſeſſione tenent, juxta ea, quæ huic procœmio inſeruntur, Documenta, fundationis ſuæ exordium ad annum 1685. reducit. Quantumvis enim eâ tempeſtate Religio Romano-Catholica ibi jam currente ſæculo XIV. juxta P. Mamachium *tom. 2. de orig. antiq. pag. mihi* 325. invecta floreret, ea tamen Divinæ Legis deſitatio, ac Operariorum inopia viguit, ut, dum Incolæ Capucinos ex Miſſione Angolæ ad finitima Regna Benini, & Overii ad Mauros in fide verâ inſtituendos acciri, ex Litteris Portugalliæ Regis animadverterent, eos quoque & in ipſa illorum Civitate & Inſula firmari, unito voto concluderent. Quem in finem non ſolùm Epiſcopus cum Reverendiſſimo Capitulo Eccleſiam Divi Antonii ad ſe ſpectantem eis in gratuitum donum ceſſit, verùm etiam Gubernator cum Camera Regia Hoſpitium in ejuſdem Eccleſiæ ſitu conſtruendi licentiam conceſſit, quemadmodum ſequens & inclytum Monumentum utrumque exprimit.

Nos D. Bernardus Juzaite, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus hujus Inſulæ & Civitatis S. Thomæ, Conſiliarius Suæ Majeſtatis &c. cum aſſiſtentia & præſentiu noſtri Reverendi Capituli notum facimus, qualiter R. P. F. Franciſcus á Monte leone Capucinus, Apoſtolicus Suæ Sanctitatis Miſſionarius, Nobis epiſtolam Regis noſtri Domini exhibuit tenoris ſequentis:

Reverende Epiſcope, Amice, ego Princeps vos ex corde ſaluto. P. Fr. Joannes Romanus, Capucinus Italus, Præfectus Miſſionis Angolæ, mihi deſolationem magnam & derelictionem, in qua Chriſtianitas oræ mineralis reperitur, expoſuit, & proin zelo & amore Dei motus, aliquos ſuorum Sociorum ad Regna Benini & Overii ablegare decrevit, quatenus ibi omnes Æthiopes, ſeu Mauros ſpirituali cibo paſcant. Eapropter vobis impensè recommendamus, imò mandamus, quatenus dato caſu, quo aliquis iſtorum Religioſorum ſe ad illam terram acquiſitionis transferret, ad dictam oram, & regna Benin & Overii pro Miſſionibus ibi faciendis perrecturus, non ſolùm illum non impediatis, ſed econtra omnem aſſiſtentiam & favorem præſtetis, quatenus cultus Dei cum illarum animarum converſione ibi plantari poſſit. Et hoc idem Gubernatori iſtius Inſulæ commendo.

Ulyſſipone 20. Martii 1683.

Hinc conſiderantes tum numerum Populi, qui in hac noſtra Civitate reperitur, tum defectum Miniſtrorum Evangelicorum, qui ibi ad tantam ovium copiam paſcendam extat, imò conſiderantes, quod in hac regione nec unicus Concionator, nec unicus Religioſus, qui doctrinâ Chriſtianâ populum inſtruat, moribundis aſſiſtat, & odia á Nobis in hac eadem Civitate detecta reconciliet, reperiatur, & nobis perſuadentes, majus obſequium á Nobis Deo & Regi, Domino noſtro, præſtari non poſſe, quàm ſi & ad hanc Civitatem, & inter illius populum Religioſos, qui aſſiſtere, & ſupplere ſupradicta poſſent, inducceremus. Hinc attentâ famâ, & notitiâ virtutis, inceſſantis laboris, ac indefeſſi zeli, quo in quacunque loco Capucini Itali ſaluti animarum incumbunt, attentoque zelo honoris Dei, ac deſiderio ſalutis noſtrarum ovium, P. Præfecto Angolæ, Fr. Joanni Romano Capucino, illius Conventûs Superiori, ſcribere, ac amore Dei inſtare decrevimus, quatenus ſuos Religioſos ad hanc Civitatem, in qua Hoſpitium pro iis forſan indum eſſet, ablegaret, conſiſi de profectu, quem in animarum ſalute producere poſſent, & moti quoque ex eo, quod hæc Civitas ſit portus, vulgò ſcala pro receſſu ad regna Benini, Overii, & Ardæ, prout Rex, Dominus noſter, R. P. Præfecto, Fr. Joanni Romano, cum adiacente Epiſtola commendat. Porro Pater hic ſpiritu & zelo, quo erga animas ſalvandas flagrat, compulſus, illico ad hanc Civitatem deſtinavit Fr. Franciſcum á Monte Leone, in qua & in præſentiarum cunctatur, notabilem fructum animarum prædicatione Verbi Dei, & concurſu ſuo generali ad ea

omnia,

omnia, quæ ad cultum Dei ſpectant, procurando. Cumque ille Nobis pro licentia, Hoſpitium in eadem Civitate pro aſylo aliorum Religioſorum, quos R. P. Præfectus Fr. Joannes Romanus mittendos adpromittit, conſtruendi ſupplicaverit, Nos auctoritate Apoſtolica & ordinaria, tum nomine noſtro, tum omnium noſtrorum Succeſſorum, cum aſſiſtentia & præſentia noſtri Reverendi Capituli, dicto R. P. Concionatori, Fr. Franciſco á Monte Leone, Miſſionario Apoſtolico, licentiam impertimur, in hac Civitate Hoſpitium in ſitu á Gubernatore & Camera ei retro glorioſi S. Antonii Eccleſiam præſcripto fabricandi. Quemadmodum autem præfata Eccleſia, noſtro eſt, & ad noſtram ſpectat Mitram, ita illam memorato R. P. Fr. Franciſco á Monte Leone, ac omnibus aliis ſui ſacroſancti Ordinis Religioſis Italis ex nunc in perpetuum donamus, ita quidem, ut illâ pacificè & liberè, abſque ulla dependentia aut ſubjectione, ceu Eccleſiâ & Conventu proprio cum exemptionibus, quibus omnes alii Regularium Conventus & Domus potiuntur, frui poſſint. Quem in finem præſentes á Nobis, & á noſtro Reverendo Capitulo ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas expediri fecimus. Datum in hac Civitate & Inſula S. Thomæ 12. Januarii 1685.

Advertatur tamen, quod Venerabile noſtrum Capitulum in dicta Eccleſia quolibet die Jovis Miſſam, & feſto glorioſi S. Antonii, & B. Virginis de exilio, prout ſolet, & ſemper ſolitum fuerat, celebrare poſſit.

Bernardus Epiſcopus S. Thomæ
cum ſubſcriptione 10. Canonicorum, &
Fr. Franciſci á Monte Leone Conc. Capucini Itali, ac Miſſionarii Apoſtolici.

Vix autem Capucini laborem ſuum in hac Inſula cœperunt, Ludovicus Rex Overii miſeri Statûs, in quo Res Catholica in ſuo amplo, & ad 600. milliaria versùs oram Littoralem extento Regno neglecta hæreret, altiùs indoleſcens, illos ibi non ſolùm per transennam Chriſtum prædicare, ſed permanenter (quod tamen hucuſque non ſuecceſſit.) ſtabiliri voluit. Voti ſui effectum ut facilitaret, tum hoſpitium cum Eccleſia in Regia ſua conſtrui mandavit, tum fabricæ expenſis ac Fratrum decori ſe conſulturum, ſequenti adpromiſit Inſtrumento.

Nos D. Ludovicus II. gratiâ Dei Rex Overii. Cum hocce noſtrum Regnum Overii, defectum Miniſtrorum Eccleſiæ ſemper habuerit, in eoque vixerimus, ſicut vos, abſque Paſtore, quin ullum unquam effectivum habuerimus animarum Curatorem, præter quemdam Patrem de annis in annos tranſeuntem: cumque etiam multi elapſi ſint anni, quin afforet, qui SS. Sacramenta Baptiſmi, Confeſſionis, & alia adminiſtraret, & ideo populus abſque armis Dei, & abſque alterius beneficii memoriâ remaneret: Cumque ad noſtram notitiam pervenerit, quod in Civitate S. Thomæ, Rev. quidem P. Capucinus Itulus, Fr. Franciſcus á Monte Leone vocatus, zelo zelans pro cultu Dei, & facieus mirabilia in illa Regione, moraretur, eidem ſcripſimus, ut pietate motus erga miſerum hoc Regnum, nos ejuſdem charitatis, quâm aliis communicaret, participes redderet, ablegando ad nos unum ſuorum Sociorum ad Sacramenta adminiſtranda, haud aliter, ac retroactis annis R. P. Fr. Angelus Maria, & alii Capucini id feciſſent, Angolâ venientes, & optimè ſe gerentes, ita, ut adhuc multa acta Seniorum noſtrorum, qui illos nobis, ob laudabilem eorum probitatem commendârunt, reperiantur. In hoc rerum ſtatu, in quo quaſi per octo annos verſamur, abſque Sacramentis, ita ut homines ſine confeſſione, & infantes ſine Baptiſmo moriantur, miſimus ceu Filium Eccleſiæ, & pro regionis beneficio ad Civitatem S. Thomæ & Patrem prædictum tres Juvenes, quatenus eos in litteris & virtute inſtrueret. Dum autem ad hoc paternum expectabamus reſponſum, comparuit ille perſonaliter in hocce Regno cum infinita noſtra conſolatione, qui, dum primo adventûs ſui die pietatis exercitia cum labore indefeſſo, & vera Cæli doctrina incepit, quin ullum prætermitteret diem, manſimus omnes quaſi extra nos, & attoniti, viſaque fuit nobis res nova, ad quam nili Patres non pervenîſſent. Suſcepimus eum, ceu donum á Cælo nobis datum, ita quidem, ut omnes timor curandæ ſalutis animarum præoccuparet. Cumque á dicto Patre, ut ita nobiſcum maneret, requiſiſſemus, regreſſum iri ſuum ad S. Thomam, ubi ſecretò diſceſſiſſet, neceſſarium eſſe repoſuit, addiditque, quod cum aliis Socios, quos Rex Portugalliæ & Roma mittere deberent, expectaret, prima occaſione, quæ ſe pro hocce Regno præſentaret, aliquos illorum ad nos deſtinare vellet, ad hoc autem Hoſpitium, in quo hi Patres, juxta alinrum Provinciarum uſum habitare poſſent, neceſſarium foret. Eapropter Nos cum conſenſu noſtri Capitanei Majoris, & Nobilium Cameræ magnæ, ac aliorum Nobilium, & Capitum populi, ſtatuimus conſtruere tale Hoſpitium pro dictis Patribus Capucinis Itulis, gratum redhibentes animum dicto Patri pro favore hucuſque nobis con-

conceſſo. Quem in finem noſtro Capitaneo majori, & Nobilibus præcipimus, ut cum memorato Patre ſitum pro fabrica Hoſpitii magis accomodum ſeligant. Cumque fatus Pater viam S. Antonii ad manum dexteram, ubi de Palatio noſtro exitur, ſelegerit, prompta voluntate dictis Patribus Capucinis Italis, in præfata S. Antonii via ad dexteram, totam planitiem pro Eccleſiæ, & Hoſpitii fabrica, ac horto neceſſariam pro hodie & ſemper damus & donamus, ita ut Eccleſia parieti frontiſpicii noſtri Palatii, & Hoſpitium magis antrorſum Eccleſiæ, oc hortus ipſimet Hoſpitio adhæreant, ducendo opus per eandem viam, ſi neceſſarium videbitur, uſque ad vlam, quæ viæ Capitanei Majoris correſpondet, & totam planitiem, quæ ad partem poſteriorem prædictæ viæ S. Antonii extenditur, Patrum prædictorum ſatisfactioni relinquendi, quatenus nullum habeant impedimentum, hinc & omnes Ædes ibi exiſtentes ſolo æquari poſſint; ac hodie pro ſemper enuntiato Patri Fr. Franciſco de Monte Leone Præfecto Apoſtolico Miſſionum harum partium, & omnibus ejus Succeſſoribus Capucinis Italis plenum totius dictæ planitiei poſſeſſum damus, & noſtris ſumptibus dictam Eccleſiam & Hoſpitium, majore, quá poterimus, celeritate conſtruere, & tum victui dictorum Patrum, aliorumque, qui in eorum ſervitio ibi morabuntur, tum aliis pro fabrica dicti Hoſpitii neceſſariis providere nos obligamus. Inſuper & præfatos Patres cum reſpectu & decore, prout ſaccr eorum Habitus requirit, tractare ſpondemus, tam illorum privilegia ſarta tecta ſervando, quàm eorum mandatis obtemperando. Et ita promittimus, juramus, & confirmamus. Utque de hoc clarè & plenè ſemper conſtet, præſentes dedimus nomine noſtro, & omnium aliorum Nobilium ſuprà nominatorum ſignatas, ac noſtro ſigillo munitas in noſtra regia Capella Overii hac die 16. menſis Januarii 1690.

Ego D. Ludovicus il. Rex Overii
cum aliis Nobilium ſubſcriptionibus.

Reſonantem ſemper de fructu â Capucinis Miſſionarlis in Inſula D. Thomæ æquè ac in Regno Overii collecto laudis vocem, Inſula Principis non ita audire potuit & voluit, quin & illius percipiendi, eeu communicandi deſiderio incenderetur. Hinc ut ſtabiles eos apud ſe retineret, tum ab ipſis Capucinis, tum & magis â Sereniſſimo Portugalliæ Rege, mediâ Regia Camera & Capitulo Inſulæ S. Thomæ, per ſupplices litteras requiſiverunt. Annuit Regia Sua Majeſtas Inſulari Supplicationi, pro iis conſtructum jam Hoſpitium non ſolùm approbavit, verùm etiam Miſſionem ibidem continuari mandavit, ſequenti, & ad dictum Capitulum & Cameram Inſulæ dato Reſponſo:

Ego Rex Vos ex corde ſaluto. Penſatis iis, quæ de egregio, ac vix non exceſſivo labore & zelo, quo Patres Capucini Itali tum in veſtra Inſula, tum in Regno Overii promulgationi Verbi Dei incubuerunt, & adhuc incumbunt, perſcripſiſtis, & ob quæ P. Fr. Franciſco de Monte Leone illorum Præfecto ſupplicaſtis, quatenus aliquos ſuorum Religioſorum ad Inſulam, Principis dictam, ablegaret, quemadmodum & illico annuit, mittendo ad enuntiatam Inſulam P. F. Joſephum á Venaſca Pedemontanum, multæ virtutis Religioſum, & defacto ibi in Eccleſia S. Antonii dimorantem, ac Hoſpitium cum præſcriptâ ſitûs limitatione fundantem: attento quoque, quod per litteras Supplices, fundationem dicti Hoſpitii á me approbari, ſimulque majorem Religioſorum Italorum numerum eò ablegari curari requiraris: conſideratis denique rationibus á Vobis adductis, &, ceu juſtis recognitis, dignum & conſultum cenſui, fundationem dicti Hoſpitii á dictis Religioſis in Inſula Principis conſtructi approbare, & mandare, ut Miſſio hæc continuetur, ac augeatur, eum ad majorem Dei cultum, ac meum vergat obſequium. Quod Vobis communico, ut mea voluntas & conſilium, quod in hoc particulari expedire judicavi, Vobis innoteſcat.

Ubyſſipone 19. Januarii 1693.

REX.

Zelum ſuum inter Inſulas prædictas, ac Regnum Overii arctari non volentes P. P. Miſſionarii, attentâ, quæ iis innotuerat, Regis Regni Benini, ad fidei Catholicæ amplexum diſpoſitione, Evangelicum pedem & in illo poſuerunt, quibus & Rex publico Inſtrumento, in Archivo generali Procuræ aſſervato, Domum pro habitatione cum horto 18. Octob. 1710. donavit, ac inſuper, ut Miſſio figeretur in Regia ſua ſtabilis, requiſivit litteris P. Procuratori Generali Ordinis, Emin. Cardinalibus S. Congregationis de Propaganda Fide, ac ipſi Summo Pontifici Clementi XI. inſcriptis, quarum exempla hîc ſubnecto:

Litte-

Litteræ Regis ad P. Procuratorem Generalem Ordinis.

Rev. Pater. A longo jam tempore, & præſertim, quando adhuc meus Pater gubernavit, legem Chriſti amplexari ſtatuimus, quod tamen ob varia bella, quæ hoc Regnum adeo vaſtum, & regnis diverſorum Regum Gentilium & Idololatrorum conterminum infeſtabant, executioni dare non potuimus. Jam verò ſicuti gratiâ Dei, defacto plenâ fruimur pace, ita tempus operis perfectioni opportunum non perditur, attentâ præſertim ſollicitudine P. Præfecti, Fr. Cypriani à Neapoli, qui poſt ſuum ad S. Thomæ Inſulæ regreſſum, duos Religioſos Miſſionarios ad hoc meum Regnum ablegavit, eo effectu ab omnibus exceptos, quo fuerant exſpectati. Ego autem iis habitaculum, ſitum, & ædes aſſignari feci, quatenus ab omni ſubjectione liberi eſſent, curâ cultûs Dei, & animarum profectûs duntaxat exceptâ: iis & ulteriùs aſſiſtam, quatenus omnes Fidem Chriſtianam amplectantur, prout per injunctas litteras, quas Rev. Pat. Veſtra conſignari diſponet Sac. Congregationi de Propaganda Fide, fuſius perſcribo. Nolit Rev. Pat. Veſtra deſiſtere à motu hujus negotii, ne bonum intentum ſuo privetur effectu: nec ego decro partibus meis, & debitæ gratificandi Patribus in omnibus, quæ pro hujus Miſſionis incremento poſſibilia, & neceſſaria erunt. Ex Regno Benini 2. Novemb. 1710.

Filius Obligatus
Obba Rex Benini.

Litteræ ejuſdem ad Emin. DD. Cardinales S. Congregationis de Propaganda Fide.

Eminentiſſimi Domini Cardinales.

Jam à longo tempore, quo PP. Miſſionarii Capucini hocce Regnum acceſſerunt, nos omnes ob famam eorum, quæ pro cultu Dei operabantur, eos peculiari obſequio excepimus, & pariter erga illos æquè ab bonos Europæorum moret, ac etiam ob fidem Catholicam, quam profitentur, amplectendam, Nos bene affectos monſtravimus. Hucuſque autem ob bella, quibus occupabamur, id exequi non potuimus; hinc & Præfectus, P. Cyprianus à Neapoli, anno elapſo ad Inſulam S. Thomæ rediit, cum ſpe tamen, quod alia vice operam ſuam ad noſtrum favorem impendere poſſet, prout & ſucceſſit; nam hoc anno ablegavit ad hocce Regnum duos Patres, quos Ego, Magnates, omniſque populus admiſimus, & benignè excepimus: Permanent illi in hacce noſtra Civitate, cum iis quibuſdam ædibus ſitis liberis, exemptis, & independentis pro libero ipſorum & aliorum Patrum ad hocce Regnum venturorum commodo donaverim. Donationem jam acceptârunt, manetque Summo Pontifici, & EE. Veſtris, quarum Patres prædicti ſubditi ſunt, ſubjecta. Ut autem in hoc noſtro vaſto Regno doctrina Chriſti dilatetur, plures Patres neceſſarii ſunt: quapropter eos, ad tam pii operis perfectionem, & pro divini cultûs incrementa, ad me ablegare velint. Ego æquè ac mei Magnates illos omni poſſibili charitate fovere non omittemus, divinâque manebimus EE. Veſtris, à quibus ſanctam precor Benedictionem, & quas Deus conſervet. Ex Regno Benini 2. Nov. 1710.

EE. Veſtrorum.

Humilis & fidelis Filius
Obba Rex Benini.

Litteræ ejuſdem ad Summum Pontificem.

BEATISSIME PATER.

Hodie gratiâ Dei, me voco humillimum Filium Sanct. Veſtræ, quam veneror ceu Chriſti Vicarium, & à qua Sanctam Benedictionem reverenter efflagito, quatenus in me & cunctis meis Subditis deſiderium, Chriſti Fidem amplectendi, jam din in nobis accenſum perduret, prout duravit à tempore Patris mei, qui & ipſe hujus ſenſûs erat, attentâ ædificatione, & exemplo, quod annis elapſis Capucini Itali in tranſitu hujus Regni ad partes Regni Overi Nobis præbuerunt. Quod autem noſtra converſio tunc non fuerit deducta ad effectum, non ex defectu ſollicitudinis aut prædicationis dictorum Patrum, ſed ex cauſa bellorum, quæ totum meum Regnum involvebant, provenit. Poſtquam enim P. Præfectus, Fr. Cyprianus à Neapoli, qui anno elapſo indeſeſſè ad hunc finem apud nos laboruit, difficultates ex dicto belli motivo exortas advertiſſet, ad S. Thomæ inſulam rediit, firma tamen ſpe in Deum fretus, quod nec ejus operatio, nec noſtrum deſiderium ſuo deſtituendum eſſet effectu. Impræſentiarum divina Miſericordia nos ſolari dignata eſt, cum nuntiatus P. Præfectus ad nos miſerit duos Patres, à nobis beni-

benignè receptos, quos tum Ego, tum mei Magnates amplexi, & eorum conſilia ſecuti ſumus. Ordinavi inſuper, ut iis ſitus & domus apta pro habitatione tum illorum, tum aliorum Patrum, qui in futurum appellerent, aſſignaretur, quorum iis factâ eſt publica donatio, ita ut liberè illis uti, ibi habitare, & pro Dei cultu laborare poſſint. Attentâ autem vaſtâ Regni mei extenſione, major Operariorum Evangelicorum requiritur numerus: hinc majore, qua poſſum, demiſſione, Sanct. Veſtræ ſupplico, quatenus plures Religioſos pro operis tam ſanctâ proſecutione ablegare dignetur, perſuaſa, quod pro parte mea debito meo iis in omnibus neceſſariis, quæ cultum Dei æquè, ac eorum Perſonas concernunt, exactè ſim ſatisfacturus. Quâ eadem occaſione me obedientiæ S. Matris Eccleſiæ ſubjicio, & Sanct. Veſtram, ceu illius Caput, & Dominum hujus meî Regni recognoſco. Deus proſperet Sanct. Veſtram, cujus ſacros pedes majore, qua poſſum, humilitate oſculor. Ex Regno Benini 2. Nov. 1710.

Indignus & humillimus Filius &c.
Obba Rex Benini.

Miſſio hæc, quacunque inſpiciatur ex parte, ardua, & periculis plena apparet: attingi non poteſt, niſi itinere, per immanes terrarum, mariumque tractus confecto: locus illius calore torret, & aëre minus ſalubri potitur, ita ut Miſſionarii plurimi ſine ſanguinis effuſione ibi martyres occumbant: excurſus ad loca & regna continuus, cum præter dicta loca complectatur & alia infrà in præſentaneo Miſſionis ſtatu exprimenda: labor durus, eum agendum ibi ſit non ſolùm cum infideli, & linguâ & fectâ barbaro, ſed etiam cum Domeſticis fidei, in quibus caro corrupit viam ſuam, & quos auri ſacra fames ad Catholicæ legis vel neglectum vel deſpectum facilè abducit. Non tamen caret fructu; hunc ſatis explicat converſio Regis Benini &c. Miſſionariorum Capucinorum operâ ſecuta, & continua Miſſionariorum plurium ad colligendam maturam meſſem petitio, quam utramque ſchediaſma Miniſtri Regis Portugalliæ ad Superiorem Capucinorum Italorum datum ita exhibet.

Rex Benini ſcripſit Regiæ ſuæ Majeſtati, ſignificando, quod Religionem Catholicam in ſuo Regno operâ Capucinorum Italorum, P. Veſtræ ſubditorum, ac in Inſula S. Thomæ degentium receperit, ac inſimul poſtulando, ut attentâ dominii ſui vaſtitate, ab Eadem Regia Majeſtate plurium Miſſionariorum ſuccurſus eò ablegetur. Converſionem hujus Regis æſtimat & commendat Sua Majeſtas ſummopere, illudque ex illa hauſit gaudium, quod hujuſmodi notitia, ceu ad divini cultûs incrementum tendens, meretur. Cumque & Pat. Veſtra pro hoc eodem ſelectur, mandavit mihi, ut impensè ei recommendarem, quatenus plures alios Miſſionarios ad illam Miſſionem ablegari curet. Et caſu, quo Pat. Veſtra tales in hoc regno defacto non haberet, ſuo Romæ Superiori ſcribat, ut illos ad hanc Regiam, à quo ad Miſſionem ſe conferre, & progreſſum rei Chriſtianæ ibi proſequi, & adjuvare poterunt, deputentur. Deus Pat. Veſtram conſervet. Ex Palatio 15. Martii 1714.

Didacus de Mendonca Corterreal Secretarius ſtatûs.

Componitur ſtatus Miſſionis præſens ex locis, quæ ſequuntur;

Inſula & Civitas S. Thomæ, locus Præfecturæ.
Inſula Principis.
Inſula Anniboni, ita à Luſitanis dicta, cum prima die anni ab iis fuerit detecta.
Sognum.
Avida.
Arda, aliis Ardra; Regnum & Civitas Regia in Guineæ regione, ac in illius parte orientali, inter oram Benini ad ortum, & oram auream ad occaſum ſita.
Beninum, Regnum & regio in eadem Guinea ampla, & ad 600. milliaria verſus oram littoralem extenſa.
Overium, Regnum Benino adjacens.

DECRETO

Sancti Officii Inquisitionis

P. Præfecto Missionis, etiam cum Christianis natis, verè tamen pauperibus quoad futura Matrimonia in tertio & quarto consanguinitatis & affinitatis intra Missionis limites gratis dispensandi temporanea facultas conceditur.

Feria 4. die 14. Augusti 1743.

SAnctissimus Dominus Noster D. Benedictus, Divina Providentia Papa XIV. cui in solita audientia per R. P. D. Assessorem S. Officii relata fuerunt Eminentissimorum, & Revmorum Dnorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum concessit P. Paulo à Civitate Ducali, Ordinis Capucinorum, Præfecto Missionum dicti Ordinis in Insula S. Thomæ, facultatem dispensandi in tertio, & quarto Consanguinitatis & Affinitatis gradu, quoad futura Matrimonia, etiam cum Christianis natis, verè tamen pauperibus & miserabilibus, & hujusmodi facultate duratura pro tempore, quo facultates formulæ quartæ concessæ durabunt, gratis, sine ulla mercede, & intra limites tantùm suæ Majestatis utatur.

Ex Regesto Decum. hujus Missionis in Arch. generali observato anni 1743. pag. 292.

DECRETO

Ejusdem Sancti Officii Inquisitionis.

P. Præfecto cum Infidelibus ad Fidem conversis super impedimento primi gradûs affinitatis &c. in foro conscientiæ dispensare indulgetur, cum facultate eandem potestatem Sociis Missionariis communicandi.

Feria 4. die 14. Augusti 1743.

SAnctissimus Dominus noster, Benedictus, Divina Providentia Papa XIV. cui in solita audientia per R. P. D. Assessorem Sancti Officii relata fuerunt vota Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Generalium Inquisitorum, Præfecto Missionum Ordinis Capucinorum in Insula S. Thomæ, facultatem dispensandi tam cum conversis, quàm respectivè cum iis, qui ab Infidelitate convertuntur ad Fidem super impedimento primi gradûs affinitatis ex copula illicita, contracto, sive ante, sive post eorum conversionem in foro conscientiæ tantùm, cum potestate eandem facultatem communicandi Sociis suæ Missionis ad decennium benignè concessit, ita tamen, ut prædicta facultate in sua Missione tantùm uti valeat.

Ex Regesto à latere citato.

NOTA

UTraque hæc facultas fuit quoque sub eadem Data concessa Patribus Præfectis Missionum Congi, Pernambuci, Rivi Sancti Francisci, seu Bahiæ, ac Rivi Januarii.

ULYSSIPONA.

DUo in hac Regia reperiuntur Ordinis nostri Domicilia unum, quod PP. Galli Provinciæ minoris Britanniæ inhabitant; Alterum, quod PP. Itali occupant. Primum primis Regio consensu anno 1647. construi & aptari fecit Serenissimus Dux de Aveiro, tum de votione hæreditariâ, qua erga S. P. Franciscum ferebatur, tum gratitudine ob sanitatem per Sacras Reliquias ipsi à Capucino Gallo applicatas recuperatam permotus. Domûs hujus commodum Regia Majestas non solùm dono petii de adjacente horto 3. Julii 1664. adjuvit, annuam eleemosynam 2. Januarii 1663. ei assignavit, verùm etiam illam in Regiam suam protectionem 13. Maji 1674. per Litteras patentes suscepit. In hac Patres Britanni quieti semper habitârunt, quin tempore jam sæpius memorati belli, quo alios Patres Gallos de Lusitaniæ dominio egredi oportuit, fuerint molestati, & tum exemplo vitæ diu no-

ctisque

ſtuque Regularis, tum ſpirituali obſequio, quod pro animarum ſalute, & Nationi propriæ, & Luſitanæ indefeſſi præſtant, populi æquè venerationem, ac Regum & Principum amorem ſibi conciliaverunt conſtantem, ita quidem, ut annua eleemoſyna 10. Dec. 1707. à Rege, Patrono, & 6. Januarii 1734. à Duce de Aveiro, Fundatore, fuerit adaucta.

Secundum ſub nomine Hoſpitii PP. Italia pro ſervitio Miſſionariorum, qui ad Miſſionea Congi, Braſiliæ, aliaſque Provincias Portugalliæ acquiſitas pergunt, vel ab iis redeunt, fuit conceſſum. Gubernium illius, Provincia Januenſis dintius privativè ſibi vendicavit; aliter diſpoſuit Fideliſſima Sua Regia Majeſtas Decreto ſub 22. Aprilis 1752. ita emanato:

Decretum Suæ Majeſtatis Fideliſſimæ Regis Portugalliæ circa Hoſpitium Capucinorum Italorum Ulyſſiponæ.

Cum Nobis controverſia inter Religioſos Capucinos Italos circa Familiam ſeu Religioſos, qui in Hoſpitio S. Apolloniæ hujus Civitatis reſidere deberent, an videlicet ibi ex omnibus, & quacumque ipſorum Provincia Italiæ, vel privativè ex Provincia Genuæ aſſumi deberent? fuerit repræſentata, & deſuper ſenſa & vota Miniſtrorum, quæ in hac materia requirere voluimus, maturè ponderaverimus cum omnibus Documentis & Allegationibus, tam ab una, quàm ab altera parte exhibitis, præſertim illâ, quæ juxtu Decretum Regis, noſtri Domini Avi, ſub 14. Martii 1695. emanata ſtatuit, quod ibi Miſſionarii Capucini Itali, qui ab ipſorum Religione annuatim ad hanc Regiam mittuntur, ad Provinciarum noſtrarum æquiſitarum Miſſiones poſtmodum abituri degerent, & aliâ diſponente, quod ad dicti Decreti tenorem in Hoſpitio aliquì eorumdem Religioſorum, qui in dictis Miſſionibus præextiterint, permanenter rehdere deberent, eorum habentes hoſpitalitatis memoratorum Miſſionariorum, aliorumque eorum dependentiarum, & ipſorum Miſſionum; ſicut & allegatione tertiâ, vigore cujus ſupradicti Hoſpitii Dominium à Rege noſtro Domino & Patre fuit reſervatum hujus Regni Coronæ, ad quam ſemper ſpectavit, & ſpectat, ſicut & illius Patronatus, à noſtro Regio arbitrio ita dependeat, ut deſuper, prout placet, diſponere poſſimus; Mandamus eapropter, ut in dicto Hoſpitio Miſſionarii Capucini Itali, qui ab ipſorum Religione ex quacumque Italiæ Provincia pro Miſſionibus dictarum noſtrarum Provinciarum ablegabuntur, hoſpitentur, ſicut & illi, qui ex Miſſionibus ad reſpectivas eorum Provincias revertentur, quouſque non poterunt pro locis deſtinationis navem conſcendere. Cumque numerus Miſſionum ſit adauctus, permanenter ibi cuſtodiri poterunt, præter Superiorem, uſque ad octo Sacerdotes ex iis, qui de Miſſionibus redibunt, cum laicis, ad Religioſos eorum miniſteria neceſſariis. Et uſque dum numerus ſupradictus Sacerdotum cum dicta qualitate, qui de Familia dicti Hoſpitii reſideant, non reperiatur, numerus eorumdem Sacerdotum ſuppleri poſſit cum iis, qui ab eodem Religione determinabuntur, ſuo tempore prædictarum Miſſionum culturæ ſucceſſuri, & aetieipatè ad Hoſpitium pro reſidentia ablegandi, quatenus interim cum longiore in illo moru in lingua Luſitana, aliiſque rebus ad illas Miſſiones ſpectantibus, melius inſtrui poſſint.

Circa Superiorem, neceſſarium non erit, ut in dictis Miſſionibus præextiterit, vel ad eas ſe conferat, ſicut nec Viſitator, quem quocumque tempore ad viſitandum Hoſpitium mitti expediet. Dictus Superior in gubernio ſuo per ſexennium permanere poſſit, ſi tamen prius contrarium à Nobis non diſponatur, vel Superiores majores eum ob juſtas cauſas removere non ſtatuerint: quod tamen Nobis prævio intimandum eſt. Et quoad omnia alia, quæ futuro tempore circa hoc particulare occurrere poterunt, noſtras intentiones per viam noſtræ Secretariæ manifeſtabimus.

Mandamus inſuper, ut mediante hac noſtra determinatione controverſiæ ſupradictæ perpetuum imponatur ſilentium.

Petrus de Motta & Silva noſter Conſiliarius, & Secretarius Statûs negotiorum Regni, exemplar hujus Decreti tranſmittat eò, ubi neceſſarium & opportunum judicaverit, quando fuerit ſubſcriptum, quatenus plena ei præſtetur fides.

Ulyſipone 22. Aprilis 1752.

REX.

NOTA

In vim & executionem mandati Regii, P. Joan. Chriſoſtomo, tunc Hoſpitii Superiori, à D. Petro de Motta & Silva ſequentes articuli fuerint intimati:

1. *Regia Sua Majeſtas mandat, ut Pat. Veſtræ exemplar adjuncti Decreti de connota*

controverſia Provinciam Genuenſem inter—& alios Italiæ circa hujus Hoſpitium obortam, tranſmittatur, quatenus illud in ea parte, quæ Eandem attingit, exequatur.

2. *Quod concernit obedientiales, quas aliqui dicti Hoſpitii Religioſi à ſuis Superioribus Majoribus pro diſcuſſu habent, eas hi Rex extradi jubet, cum nullo modo illarum executionem impedire velit.*

3. *Jubet quoque, ut illico legantur Patentes, quæ conſtituunt P. Antonium Mariam à Mentone Superiorem Hoſpitii, & ut ipſi conſignetur, fiatque inventarium omnium mobilium, & ſupellectilis tum Eccleſiæ tum Hoſpitii, & ad hoc vocentur & admittantur, umbo Religioſi P. Clemens à Niceæ, & P. Illuminatus ex Umbria, habitantes in Domo profeſſa S. Rochi hujus Civitatis.*

4. *Regia Sua Majeſtas ſtatuit inſuper, ne Miſſionarii ad Miſſiones Provinciarum æquiſitarum ſe conferant, niſi prius in Secretaria Statûs negotiorum Regni Juas Patentes exhibuerint, & hoc idem obſervent illi, qui à Miſſionibus regredientur, in memorato Hoſpitio perſiſturi.*

Finaliter mandat, ut novo Superiori efficaciter commendetur, ut cum plena exactæ controverſiæ oblivione, omnes Fratres religioſâ indifferentia, æquanimitate, & charitate à Sancto ſuo Patriarcha præſcripta tractet, ita ut juſtum conquerendi motivum non emergat. Deus &c. Ex Palatio 22. Aprilis 1752.

Petrus de Motta & Silva.

Cum Fratres in utraque hac Domo degentes charactere Miſſionario non gaudeant, nec Miſſionariorum fruantur facultatibus, nulla Documenta, quæ inſtituto meo conducant, reperire licuit. Utriuſque tamen Domûs mentionem hîc fieri, ipſa, quam ad Miſſiones habent, popoſcit relatio. Domus Fratrum Gallorum ſuum principium debet Miſſionibus, quibus Fratres Britanni quinque, in Inſula S. Thomæ, & alii quatuor in Regno aureæ oræ, Commendi &c. ab anno 1641. occupabantur, & quas poſtmodum Pernambuci (quò captivi ab Hollandis abducebantur), à Principe Naſſoviæ, Mauritio, in libertatem reſtituti proſequebantur, cum Rex Joannes ob fructum in iis hinc inde collectum, & ipſi à P. Cyrillo Meduanenſi 1646. relatum, fabricæ conſenſerit. Finis autem alterius Domûs alius non eſt, quàm, ut opportunè Miſſionibus Africæ, Braſiliæ &c. ac Miſſionariorum ibi appellentium indigentiis conſulatur.

MISSIO GEORGIÆ

IN ASIA.

SEgetem eouſque uberem Regio Georgiæ, ſeu Iberiæ Aſiaticæ, Mare Caſpium inter—& Pontum Euxinum extenſa, Eccleſiæ Catholicæ horreis præterito ſæculo pollicebatur, ut cum R.R. PP. Theatini in Provincia Mingreliæ laborantes ob Operariorum ſuorum penuriam, ad illam colligendam, falcem ſuam extendere haud poſſent, alios Miſſionarios ex Europa ad opus deſtinari, & eò ablegari neceſſum fuerit. Dignativo S. Congregationis de Propaganda Fide conſilio, anno à partu Virgineo milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Ordini noſtro hæc obtigit ſparta, quam & FF. Bonaventura Surrentinus, Præfectus, prius Congi Miſſionarius, Bernardinus ex S. Antimo, Seraphinus à Melicocca, Cyprianus à Cava, Joſephus à Bogognano, Corſus, Carolus Maria à S. Marino, cum duobus laicis eâ, quæ illos animavit, charitate Chriſti, lætabundi aſſumpſerunt. Extinxêre tamen in primo charitatem torrentes aquæ, quibus in via ſubmerſus, curſum legationis Apoſtolicæ, ante Georgiæ ingreſſum conſummavit. Præluſit hæc mors contritioni & anguſtiis, quæ hanc Miſſionem ſtipare, & conſequi debebant; non enim ibi duntaxat contra Turcas, Perſas, Græcos, & Hæreticos dimicandum eſt, ſed & contra Armenos Schiſmaticos, qui, illis pejores, ſectæ ſuæ dementiam ſuperbâ pertinaciâ propugnant, ad rationes fidei, carcere & fuſte reſpondent, verſipellique conatu zelum Miſſionariorum ſemper infectantur. Aperuit primam & publicam Armeni odii ſcenam jam annus milleſimus ſexcenteſimus nonageſimus ſeptimus, quo Epiſcopus, Eutichetis diſcipulus, vocato in furoris ſui partes Turcâ, Miſſionarios in Civitate Teflis de Eccleſia & Domo expulit, lapides Sanctuarii in capite platearum diſperſit, & ulteriora quoque tentâſſet, ni Illuſtr. D. Petrus Paulus, Archiepiſcopus Anchyræ, Ord. Carmelitarum Diſcalceatorum, ad Regem Aſpahami, & Imperatorem Chinæ, à S. Se-

de

de Orator miſſus, malignantis conſilii telam ſuccidiſſet, & in Regia Perſiæ Aula libertati & ſecuritati Miſſionariorum conſuluiſſet. Extinctus tamen non fuit ignis, ſed gliſcens ſub cinere latuit uſque ad annum 1717. quo Patriarchæ Armeni de Eczmiarin ſuffiatu in novam erupit flammam, & primæ ſcenæ cataſtrophen renovavit; inter ſequentes Apoſtolicas litteras mœſto ſtylo deſcriptam. Durior tamen ſemper manet ea, quæ Miſſionarios noviſſimè & quidem anno 1742. exagitavit, perſecutio, à Patriarcha in loco, *trium Eccleſiarum* dicto, reſidente excitata; hic ut uno ictu totum è Georgia Catholiciſmū exterminaret, Miſſionarios, triplicis criminis reos, coram Principe Teſliano ſeu Theopolitano denuntiavit: primò quidem, quod Armenos mitterent in Europam: ſecundò, quod Principum Chriſtianorum Coricæos ſeu emiſſarios agerent: & tandem tertiò, quod cum Romano-Catholicis tributum Principi dare detrectarent. Serpuit malitiæ conſilium animante odio ad illum exceſſum, ut non ſolùm Miſſionarii inter frementis inimici cachinnos & inſultus, velut oves ad occiſionem, ad corrupti Perſici Gubernatoris conſpectum infami cuſtodia abducti, hæreditatem eorum, Eccleſiam, ad alienos, Domumque ad extraneos verſas, omnique ſuppellectile deſtitutas, præſentes cernere, ac demum (quod in nulla priorum perſecutionum evēnit) ipſimet è Civitate Teſlis, Catholici in Georgia decoris ſede, diſcedere fuerint coacti, gemitu orphanorum Catholicorum, etiam per litteras Romam diffuſo, illos Akalcikè, locum Turcici Dominii, comitante. Confudit hîc Turcæ humanitas Armeni furorem, dum ille exules benevolè excepit, & coluit, uſque dum regreſſum ad Teſlianam Stationem Perſiæ Aula, cluſo hujus conſilio, indulſit. Amplo meſtoque calamo tragœdæ hujus ſcenæ acta deſcribit P. Nicolaus Maria à Burgo S. Sepulchri, Miſſionis & paſſionis ſocius, eodem perſecutionis anno Romam expreſsè miſſus, quæ & in hiſtoriarum faſtis dignæ memoriæ locum olim occupabit. Igne perſecutionis, haud aliter ac aurum, toties probata hæc Miſsio nunquam tepuit, ſed Dei & Romanæ ſollicitudinis ope adjuta miniſterium, quod à Domino Jeſu accepit, fideliter ſemper explet, & adverſitate perfectior duplicat zeli ſui vigilias, memoriam præteritæ paſſionis emolliens tum cogitatu amoris, quo Catholici ibidem nomen & Habitum Capucinum reverentur, tum opulentâ fructûs, qui ex converſione Regis Georgii, Eutimii Archiepiſcopi, Principis Barzimi, illuſtris Familiæ Orbellianæ &c. conſpicuus, & ex magno numero aliorum converſorum ad fidem verè inſignis eſt, dum enim ante 20. aut 30. annos nonniſi mille Catholicos numeravit, jam eos ad decem millia excreviſſe, relatio Sac. Congregationi de Propaganda Fide à P. Leone à Bova 1746. porrecta refert.

Porro ſtatus, in quo defacto reperitur, eſt ſequens:

Teſlis, Metropolis, & locus Præfecturæ.
Akalcikè, juris Turcici, Civitas.
Goriaii, vulgò *Gori*, bidui itinere à Teſlis diſtans.
Gangia, extra Georgiam quidem ſita, à Præfectura tamen Miſſionis Georgianæ dependens.
Circaſſia, Provincia ſupra Euxinum pontum ad Paludem Mæotidem ſita, Georgiæ & Mingreliæ vicina, ſub Czari Moſcoviæ clientela conſiſtens.

Fr. Bonaventura à Surrento Præfectus Miſſionis cum ſolitis facultatibus, & poteſtate eas ſociis communicandi &c. conſtituitur, & caſu, quo vicinam Mingreliæ Miſſionem deſeri contingeret, interina illius cura ei committitur.

Decretum S. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ ſub 13. *Junii* 1661.

REferente Secretario, S. Congregatio Præfectum Miſſionum Fratrum Capucinorum in Georgia ad ſeptennium declaravit Fr. Bonaventuram à Surrento cum ſolitis facultatibus & poteſtate eaſdem communicandi Fratribus ſuæ Miſſionis, quos S. Congregatio deſtinaverit, & non aliis, in toto vel in parte, tam pro omnibus locis in ea Miſsione contentis, quàm pro aliquibus eorum, & ad tempus ſibi bene viſum, prout magis in Domino expedire judicaverit, necnon eaſdem, quatenus opus fuerit, quandocunque revocandi, ſive etiam moderandi, tam circa illarum uſum, quàm circa loca, & tempus eaſdem exercendi, ita tamen, ut nec eidem Præfecto, nec ipſorum cuilibet liceat eiſdem ullo pacto uti extra fines ſuæ Miſſionis.

Conceſsit itidem S. Congregatio eidem Præfecto, ac Miſſionariis, ut, quatenus contigerit, proximam Miſſionem Mingreliæ ob Miſsionariorum, qui modò eam exercent, diſceſſum aut deficientiam neceſſaria ope in ſalu-

ſalutem earum animarum deſtitui, liceat eiſdem etiam in eam cum iiſdem facultatibus ſe extendere, donec & quouſque S. Congregatio certiorata, quod ſtatim præſtare tenebuntur, alios in eorum locum tranſmiſerit, aut aliter diſpoſuerit.

Datum Romæ eadem die 13. Junii 1661.

Exempl. in Arch. generali Ord. Armario Miſſio Georgiæ.

Miſſionariis Capucinis in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio loco telarum linearum bombycinas in amictis, albis, & Corporalibus per Miſsionum ſuarum loca adhibere conceditur.

Decretum S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 23. Nov. 1665.

AD relationem Emin. Card. Celſi, Sacra Congregatio decrevit Capucinos Miſsionarios in Georgia loco telarum linearum poſſe in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio bombycinas telas adhibere in amictis, albis & Corporalibus in locis ſuarum miſsionum tantùm.

Exempl. in Arch. & Armario prædicto.

RESOLUTIONES

S. Congregationis de Propoganda Fide ad dubia à P. Carolo M. à S. Marino Capucino Miſſionario propoſita.

REv. Pater. Per extenſum à S. Congregatione omnes inſtantiæ ac memoriæ à V. P. ob Chriſtianorum in Georgia habitantium bonum relictæ, fuerunt prælectæ, & ab eadem emanârunt reſolutiones ſequentes, quas in ſuo appulſu Præfecto Miſſionum pro felici harum gubernio poterit communicare.

Venditio Chriſtianorum mancipiorum vel Turcis, vel aliis Chriſtianis non approbatur, cum hujuſmodi mercaturæ in contemptum Religionis Catholicæ redundent: nec licita eſſe poteſt, ſtantibus etiam motivis adductis, cum libertate, quam in Baptiſmo obtinuerunt, privari non debeant. Ea propter hunc abuſum pernicioſum, ubicunque occaſio ſe obtulerit, tollere, & cum aliis Miſſionariis, ne noviter introducatur, impedire ſatagat.

Et idem reſpondetur circa pecunias ad uſuram, id eſt, viginti pro centum, nam, ut P. V. jam non latet, tale nullo modo permitti poteſt.

PP. Miſſionariis vigore præſentium uſus butyri in cibis, cum oleum in iſtis partibus deficere aſſeratur, permittitur, ita tamen, ut hujuſmodi uſus in Chriſtianis nec damnum nec ſcandalum eauſet. Jubet Sac. Congregatio, ut Miſſionarii in rebus Eccleſiaſticis novo Calendario utantur, in omnibus & per omnia, iis, quæ in eo præſcripta ſunt, ſe conforment, ac, ut à Chriſtianis in uſum reducatur, procurent.

Alia puncta pro reſolutione ad S. Officium fuerunt remiſſa, cum materia ad hujus Congregationem pertineat: à qua Decreta ſubitò, ac prodierint, P. Veſtræ tranſmittentur. Romæ 30. Dec. 1665.

Exemp. in Arch. & Arm. ubi ſuprà & in reg. S. Cong. p. 7.

NOTA

INter alia Miſſionia negotia, ob quæ P. Carolus Maria à S. Marino, ex Georgia Romam regredi debuit, fuerunt dubia ſuperiùs diſcuſſa: & hac eadem occaſione Summo Pontifici Alexandro VII. præſentavit litteras à Rege Sciahnava ita ſcriptas:

Sponte & auſpicante Deo, Nos ex ſtirpe Jeſſe Davidis atque Salomonis orti, Panerataſta, ac Iberiæ potens poſſeſſor, divinitus diademate coronatus Rex Sciahnavas:

Magno & indefinenter glorioſo à Deo honorificè protecto, adeo forti, ut eo nullus fortior, & ob impugnantibus eum inexpugnabili, Miſeratione divinâ Patriarcharum omnium maximo, Sancti Petri vicem gerenti, ſuper univerſam terram juſtitiam ſtabilienti, totius Chriſtiani orbis Capiti, atque omnium Magnatum dignitatibus digniori, triplicique diademate decorato, Magnorum Romæ Paparum nomine prædito, Patri, atque Archi-Patrum Domino, atque Diſpoto, altiſſimo Domino Alexandro VII., ſervitutis, obſequiique noſtri deſiderium humiliter exponimus.

Gloria ſit miſericordiſſimo Deo, quod honoratiſſimi nominis veſtri magnificentia, atque bona valetudo ad noſtras aures pervenit, & auſpicatiſſima Sedes veſtra plenipotentiæ veſtræ lumen nunc reddit, atque inoleumis ſervatur.

Cete-

Cæterùm humiles Sacerdotes veſtri, Monaſticam vitam degentes, ad noſtrum dominium pervenerunt: Et nos in obſequiam ſervitutis noſtræ erga vos, & ad complacentiam veſtram, manſionem illis dedimus, & bene eos tractamus: Eccleſiam erexerunt, aſſiduè magnificantes Deum, & pro Beatitudinis veſtræ capite precantes. Multùm tamen temporis pertranſiit, quod veſtra juſſa ad illos non pervenerunt, qua de cauſa unus ex his Religioſis, Carolus Maria nomine, ad veſtros beatiſſimos pedes deoſculandos accedit, de Nobis, rebuſque noſtris vos commonefacturus. Nos tertò, quod vos delectat, cupimus, inſtanterque petimus, ut, ſi ad aliquid vobis ſervire valeamus, juboatis, noſtrique non obliviſcamini.

Exempl. in Arch. Ord. prædicto.

Dubia de iteranda Schiſmaticorum confeſſione; de interprete in confeſſione adhibendo, & de ordinatis Georgianis reſolvuntur.

Feria 4. die x. *Febr.* 1666.

IN Congregatione generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam coram Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, propoſitis dubiis tenoris ſequentis:

Primò. An Georgiani tranſeuntes ad Catholicam fidem, & poſtmodum redeuntes ad ritum Schiſmaticum, confeſſiones pro tempore, quo in ſchiſmate perſtiterunt, repetere debeant, noviter fidem Catholicam amplexantes?

Secundò. Cum in Georgia ſint multiſſimæ linguæ, & omnes à Miſſionariis addiſci haud queant, quæritur, quomodo excipiendo confeſſiones eorum, qui ſe convertunt, aliam tamen linguam non callent, nec Interpretem admittunt, ſe gerere debeant?

Tertiò. An Sacerdotes Armeni & Georgiani ab Epiſcopis Schiſmaticis ordinati, ſint verè ordinati?

Sacra Congregatio S. Officii reſpondit.

Ad primum, Confeſſiones eſſe iterandas.

Ad ſecundum dixit, reſpondendum eſſe Miſſionariis, ut hortentur pœnitentes ignaros Idomatis Miſſionariorum ad adhibendum Interpretem, per quem confiteantur omnia peccata. Quod ſi nolint, ſaltem confiteantur aliqua per Interpretem, & reliqua per nutus & ſigna, quantùm poſſunt. Quod ſi nulla velint per Interpretem confiteri, confiteantur per ſigna & nutus omni meliori modo, ſicut ſit cum mutis; ſed Miſſionarii curent addiſcere in quacunque lingua ibi uſuali illa pauca verba, quæ ſunt neceſſaria ad explicanda præcipua peccata contra Decalogum, & contra quinque præcepta Eccleſiæ &c.

Ad tertium: eſſe verè ordinatos, ſed eſſe ſuſpenſos ab executione Ordinum, juxta diſpoſitionem Conſtitutionis Clementis VIII. num. 344. quæ tranſmittatur.

Ex Archivo prædicto.

Miſſionariis Capucinis in caſu neceſſitatis uſum currûs, aut equi; in defectu fidelis Syndici pecuniarum contrectationem; & in quadrageſima, aliiſque diebus jejunii uſum Lacticiniorum concedit.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Urſino, Petitiones Fratrum Capucinorum Miſſionariorum in Georgia, Sacra Congregatio, Ad primum de uſu pecuniæ, Currus, aut Equi, tam in Itinere, quàm in locis Miſſionum, cenſuit annuendum, ſi ita neceſſitas urgeat; & quòad Contrectationem pecuniæ, dummodo non poſſit haberi copia fidelis Syndici.

Ad ſecundum de uſu lacticiniorum tempore Quadrageſimæ, aliiſque diebus Jejunii per annum, pariter benignè annuit, quia in illis Miſſionibus Oleum non invenitur. Facto tamen prius verbo cum Sanctiſſimo. Die 25. Januarii 1668. = Sanctiſſimus approbavit, & Diſpenſationes petitas conceſſit.

Ex lib. Decret. S. Congregat. de Propag. Fide anni 1688. *pag.* 17. *de quo exemplar in Arch. gen. Ord.*

Fr. An-

Fr. Angelum à Figline Miſsionarium, ſibi commendatum, benignè exceptum, ejuſdemque poſtulatis ſe conſenſiſſe, Magno Hetruriæ Duci reponit.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Coſimo, Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magno Duci.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXcepimus perlibenter dilectum filium, P. Angelum à Figline, Ordinis Capucinorum, quem ab Aſiatica Iberia ad Nos venientem, per litteras Nobis commendavit Nobilitas Tua, ejuſdemque piis poſtulatis annuere non omiſimus. Pro ſuſcepto interim à Te de proſperis prædicta in Iberia Catholicæ Religionis ſucceſſibus, ingenti gaudio, perſpectum zelum tuum magnopere commendamus, ac Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIV. Maji MDCLXXXVIII. Pontificatûs noſtri anno decimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. ment & anni præd. fol. 52. à tergo.*

Catholicæ Fidei profeſsionem à Georgio, Aſiaticæ Iberiæ Rege, ritè emiſſam fuiſſe, ingenti gaudio tum ex illius litteris, tum ex ore Fr. Angeli à Figline, ab ipſo ad S. Sedem ablegato, à ſe acceptam eſſe renuntiat, & à redeunte eodem Fr. Angelo Pontificiæ voluntatis ſenſa plenius ab eo percipienda eſſe prænuntiat.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Georgio, Aſiaticæ Iberiæ Regi illuſtri.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

INexplicabili exuberantis lætitiæ ſenſu ex litteris Majeſtatis tuæ, & ex viva voce Dilecti Filii, Patris Angeli à Figline, quem ad Nos ablegâſti, intelleximus, Te, Divina aſpirante Gratia, Mahometicam Sectam penitus ejuraſſe, ac Fidei Catholicæ profeſsionem ex animo emiſiſſe; cum enim animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum ſalus, præcipua paſtoralis officii noſtri cura ſit, nullum profectò majus ejus rei teſtimonio evenire Nobis ſolatium poterat. Et quidem tanti facimus exempli tui auctoritatem, ut præſtantiora in dies ejuſdem fidei incrementa, prorſus expectemus. Effuſis verò Tibi de tam præclaro opere tributis laudibus, Majeſtatem tuam in Eccleſiæ Catholicæ gremium admittimus, ac inter Reges fideliter ipſi obſequentes connumeramus, non omiſſuri impenſè rogare illum, à quo bona cuncta proceduntur, ut inexhauſtis beneficentiæ ſuæ theſauris æquam eximiis promeritis tuis largitam velit compenſationem. Plura de propenſa noſtra erga Te voluntate à præmemorato Patre Angelo iſtuc redeunte, quemque Nos admodum Tibi commendamus, planè cognoſces, Chariſſime in Chriſto Fili noſter, cujus interim Majeſtati Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die XIV. Maji MDCLXXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno decimo.

Autog. in Secret. præd. Reg. mens & anni præd. fol. 51.

Entimio, in Aſiatica Iberia Archiepiſcopo, ſuum de emiſſa pariter Fidei Catholicæ profeſſione ſolatium ſignificat, ac à reduce Fr. Angelo munus ab eo accipiendum eſſe, reſpondet.

Venerabili fratri, Entimio, in Aſiaticæ Iberiæ Regno Archiepiſcopo.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn ſatis verbis exprimere poſſumus gaudium, quo affecti ſuimus, intelligentes ex Dilecto Filio, Patre Angelo à Figline, Ordinis Capucinorum, atque ex ipſis Fraternitatis tuæ litteris, Te, Spiritûs Sancti ductu, Catholicæ Fidei profeſsionem ritè emiſiſſe, ac ad hanc ſanctam Sedem, Eccleſiarum omnium Matrem & Magiſtram, ſincero corde animoque acceſſiſſe. Copioſis autem Divinæ Bonitati, quæ fecit tecum miſericordiam ſuam, perſolutis gratiis,

tiis, intimo planè Pontificiæ charitatis affectu, in Domino Te complectimur, nullam, quæ ſe offerat, occaſionem dimiſſuri, luculenter declarandi, quanti præſtans hoc in Aſiaticæ Iberiæ Regno Catholicæ Eccleſiæ lucrum faciamus. Reliquum eſt, ut expectationi, quam de pietate tua gerimus, abundè reſpondere, ejuſdemque Eccleſiæ amplificationem, & gloriam apud iſtas latè gentes, quas præ oculis continenter habemus, totis viribus incumbere ſatagas, dum Nos uberiorem ſenſuum noſtrorum explicationem prædicto Patri Angelo, â quo quoddam etiam benevolentiæ noſtræ pignus, tuo muneri apprime conſonum, accipies, relinquentes, Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Maji MDCLXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni prædict. f.* 52.

Barzimo, Principi Georgiæ, tum Capucinos Miſſionarios protegenti, tum alios ad fidei Catholicæ amplexum exemplo ſuo commoventi grates rependit, eique cum Rege Georgio concordiam commendat.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Barzimo, Principi Georgiæ.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Nobis innotuerit, Te poſt ejuratos, divinâ favente gratiâ, errores Sectæ, in qua natus & educatos fuiſti, ſuſceptamque Catholicam Religionem, extra quam non eſt ſalus, eximio ejuſdem tuendæ propagandæque zelo ſuccenſum, Apoſtolicos Miſſionarios ex Ordine Capucinorum, necnon eos, qui ipſam Catholicam Religionem exempli tui authoritate permoti, amplexi erant, adverſùs ſæviſſimam poteſtatem, in illos â Schiſmaticis excitatam, viriliter propugnâſſe, noſtrarum eſſe partium omnino duximus gratos erga Te hac de cauſâ, animi noſtri ſenſus hiſce Tibi teſtatos facere, ampliſſimiſque meritis tuis, aliqua ſaltem ratione reſpondere, planè confidentes fore, ut validiores quoque hinc ſtimulos capias ad præſidium tuum prædictis Miſſionariis & Catholicis indefeſſâ conſtantiâ præſtandum. In quem ſcopum conferre cum plurimùm poſſe tuam cum Rege Georgio concordiam exiſtimemus, rem utique Nobis majorem in modum acceptam effeceris, ubi eandem concordiam inconcuſsè ſervare ſtudueris. Hâc autem ſpe freti, indefinitam quâ ſpiritualium, quâ temporalium bonorum copiam â ſupremo eorum largitore Deo Nobilitati Tuæ impensè precamur, ac Apoſtolicam Benedictionem effusè eum paterni cordis affectu impertimur.

Datum Romæ &c. die VII. Februarii MDCXCII. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Exempl. in Arch. gen. Ord. Armario Miſſio Georgiæ.

NOTA.

JUnctum fuit Pontificiis hiſce litteris munus devotionis pro Principe, conſiſtens in Cruce aurea, in qua rubini inſerti fulgebant, aureæ catenæ appenſâ: in tribus coronis, quarum duæ ex lazulo, & tertia ex achate confectæ erant, appenſo cuilibet earum numiſmate aureo: & in duobus aliis numiſmatibus, aureo uno, & argenteo altero, cui utrique impreſſa fuerat Summi Pontificis effigies.

Quantùm dignus Pontificio encomio, & dono fuit zelus, quo Princeps Barzimus in tumultu â Schiſmaticis excitato Miſſionarios, Catholicos, ac fidei cauſam defendit, tantùm rarum videtur fidei profeſſionis ab ipſo in manibus P. Præfecti emiſſæ exemplar, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide tranſmiſſum, in duplicata forma expreſſum. Utramque ſubjungo, prout in ſacro dictæ Congregationis conſeſſu die 20. Novembris 1690. fuit relata, & originaliter in Regeſto ejuſdem Sacræ Congregationis ejuſdem anni *num.* 16. reperitur.

Paſtori Paſtorum, & Patri Patrum, Innocentio XI.

Hæc memoria ſit coram Domino, & Principe omnium Chriſtianorum, Propitiatorio gregis optimi, cui lupi rapaces non poſſunt appropiare. Principe *inquam legis & cæremoniæ Chriſti,*

qui de ſeptem Concilliis & ſeptem Sacramentis optimè agit & tractat, rectè à Deo, optimo Paſtore, Rectore electus ex fonte ſuaviter fluente, per quem Sanctum Evangelium dicit, ego ſum aqua viva, & illi, qui bibent de me, non ſitient in æternum. Tu arbor optima, quæ fructus producis dulces: tu Dominus & Princeps, novus Sanctus Apoſtolus Petrus, ad quem vocatus fuiſti infallibili ore, videlicet, tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, cui portæ infernales non poterunt reſiſtere. Tu novus Joannes Chryſoſtomus, Baſilius Cæſareæ, & Magni Clementis & Silveſtri Sectator: Tu quatuor Evangeliſtis comparatus ſimillis factus es illis: Tu ab uno extremo ad alium Gentilium mundum reducis ad fidem omnes Chriſtianos: Tu ſpes magna, propitiatorium, & turris inexpugnabilis. Tu es, cui dictum eſt: ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & meæ cognoſcunt me. Tu Dominus, Dominus, Dominus & Princeps ✠ Sitit anima mea ad Te, quemadmodum Cervus ad fontes aquarum. Ego peccator, & preſſus onere gravi, ſicuti Publicanus & iniquus, & ſicut ille Servus decem denariorum condemnatus me converto ad Te, & Te obſecro: Tu ſpes omnium Chriſtianorum, Tu laudabilis, magnificus, magnus & glorificatus, exaltatus, & amplificatus: Plantator Fidei Orthodoxæ, extirpator malorum Chriſtianorum ex radice, Caput Legis Chriſti & principium. Ab Ego ovis tua à Lupo infeſtor, ut devorer ab illis. Ego firmiter credo Immaculatam Genitricem Mariam, Dilectum ejus Filium, Annuntiationem, Nativitatem, Præſentationem in Templo, Transfigurationem in Thabor, Reſurrectionem Lazari, Ingreſſum in Jeruſalem, Paſſionem, Crucifixionem, Sepulturam, Reſurrectionem, Aſcenſionem in Cœlum, Miſſionem Spiritûs Sancti ſupra Apoſtolos, ſupra quos diviſæ ſunt Linguæ ignis. Ego Cultor tuus, & Profeſſor verus ſeptem Conciliorum, primò Nicæni, ſecundò Epheſini, tertiò Conſtantinopolitani, & quartò Chalcedonenſis, & trium aliorum, quæ illis Nicæno & Conſtantinopolitano ſimilia ſunt. Credo ſeptem Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Ordines Sacros, Matrimonium, & Oleum Sanctum. Sum Filius, & Profeſſor Eccleſiæ Apoſtolicæ & Catholicæ.

Appropinquate veſtro gregi, & ſalvate nos à Lupis malis, natis ab Iſmaelitis. Ponite ſupra caput noſtrum peccaminoſum benedictionem dexteræ veſtræ. Nos ſperamus in veſtram ſanctam gratiam, & Legi veſtræ ac ritui obedientes, genuflexi, & cum Capite ſuper terram precamur; ô Columna, & immobile Chriſtianitatis fundamentum: nos cum ſpe in Te ſumus ſalvati, Tibi ſumus devoti, & dum tuas gratias expectamus & obſervamus, rogamus Principem Chriſtum, ut deſiderium tuum perficiatur, & tua voluntas cum ejus gratia adimpleatur. Jam, Princeps noſter, tua mandata præſtolamur, & tuas gratias ſperamus. Quando in terra & Regione noſtra veſtra ſancta verba, & pretioſa juſſa perſonabunt, nobiſque mandabit, ſalutores illorum erimus, & haud aliter ac David clamabo, Accepta ſit oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: Libera nos à damnatione, ſicut Paulus populum fidelem liberavit, vel Nicolaus Civis Myreuſis tres Innocentes è faucibus mortis liberavit: corda & oculos noſtros ad Te vertimus, & ad tuam bonitatem reſpicimus, & expectamus tuam ſanctam Epiſtolam & mandatum: omne id, quod juſſeris, exequemur. Princeps noſter, ſac orationem pro nobis, ne miſerè pereamus. Domine, Domine, Domine. Amen.

Omnia Concilia Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & Mandata Sancti Evangelii acceptamus, credimus, & ſumus populus tuæ gratiæ, & oves tui gregis: deviavimus, quære nos, & eripe nos in fortitudine à faucibus Lupi, quemadmodum Dominus Jeſus Chriſtus quæſivit Adamum in inferis, cum amplexus eſt, & portavit ad Patrem. Ita & Tu Domine quære nos peccatores, non oblivifcere noſtri, nec nos derelinque. Sapientibus unum ſufficit verbum. Hinc verba tua expectamus, & mandatum, quod ad nos venerit, adimplebimus.

Scriptum 1. Januarii à Chriſto uſque ad annum 1690. ✠

Forma ſecunda ſeu interpretatio Profeſſionis ejuſdem Principis ſonuit, ut ſequitur:

Interpretatio ſuccra Barzimi Iberiæ Eriſtavi, Triſtis Divani Regis Epiſtolæ Sanctiſſimo Romano Pontifici ſcriptæ in ejuſdem, & Catholicæ Fidei Profeſſionem.

LAUS DEO.

BEATISSIME PATER.

En ad tuos Sanctiſſimos Pedes ingens Peccator, Barzimus nomine, ex Eriſtavis quidem Georgiæ, at ſine conſilio hucuſque in tenebris ignorantiæ obvolutus, multis deceptus noſtrorum Epiſcoporum fallaciis, & inſipientia. A veritatis via inſcius erravi, tamen nunc Deo miſericorde comite, luce ſuæ gratiæ affulgente, tuorum Religioſorum nunc Triſtis commorantium, & doctrina, & exemplo manductus in viam veritatis, errores optimè edoctus, ad Sanctam, & verè Spiritûs Sancti oraculis plenæ Fidei profeſſionem admiſſus, exultans de cæcitate amo-

ammiſſa ad tuum Venerabilem Thronum, omni, qua poſſum, reverentia, humilitate, & devotione me proſterno; & licèt inter Præfecti Miſſionum Tiſiis commorantis manus totis corde, anima, & lacrymis antiquos abjuraverim errores, tamen denuo ante Sanctitatem Tuam illos deteſtor, ac pro ſemper rejicio. Cumque certò, & infallibiliter agnoſcam, Te verum eſſe Jeſu Chriſti Vicarium, Sanctiſſimi Petri Succeſſorem, Regni Cœleſtis Clavicularium, omnium Fidelium Patrem, Directorem, & Doctorem, obſignatam in tuis manibus volo meam infirmam ſervitutem, firmiter ſpondens me ſemper omnia, quæcumque tuæ placuerint, voluntati, facturum, in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem, in Tui, & Jeſu Chriſti famulatum, ac ad totum, quacumque juſſeris hora profundendum ſanguinem paratus devoveo me, meamque Domum, meoſque ſubditos populos tuæ Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedi; nihil aliud exſpectans, quàm tuam ſanctam benedictionem, & conſilium, ut ad dilatationem, & exaltationem Sanctæ Catholicæ, & nunc meæ dilectiſſimæ Matris Eccleſiæ, ſicut fas eſt, & intrepida corde, exoptans adjuro, incumbam.

Miſsionariis Capucinis liberam in Regionibus Perſiæ, præſertim in Provinciis Gangiæ & Georgiæ permanendi facultatem dari, à Rege Perſarum requirit, & Fr. Felicem Mariam de Sellano, benignè audiri inſtat.

Illuſtri ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Illuſtris ac Potentiſſime Rex, ſalutem & lumen Divinæ Gratiæ.

CUm ad eam animi magnitudinem, qua Celſitudinem tuam præſtare multorum probatorumque hominum teſtimonio novimus, ſummopere pertineat, ut omnes, qui ad ampliſſimas Ditiones tuas properant, ibique moram trahere peroptant, ea pace, ac ſecuritate, quam ſub æquiſſimo, mitiſſimoque Principis regimine ſperare fas eſt, fruatur, decet profectò, ut voti hujuſmodi compos fiat Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, utpote qui non ambitûs gratiâ, nec ullo terreni lucri deſiderio (à quo ſe ſponte ac ſolemniter abdicârunt) ſed, ut rectam viam, quæ ducit ad Deum per Catholicæ veritatis lucem, in ſinceritate ac humilitate cordis oſtendant, ſpectatiſſimam iſtam Orbis partem peragrandam ſuſceperunt. Nos itaque, qui de ſpirituali Animarum profectu pro ratione muneris noſtri ſolliciti admodum ſumus & eſſe debemus, rectè, ut par eſt, de perſpecta tua prudentia ſentientes, à Te etiam atque etiam petimus, ut præfatis Capucinis liberam in Regionibus tuæ Potentiæ ſubjectis, præcipuè verò in Gangia, & Georgia permanendi, atque ibi ea omnia, quæ ſacrum Miſsionis miniſterium reſpiciunt, in privatis eorum domibus, aut Eccleſiis peragendi facultatem velis impertiri. Quò verò alacriùs auctoritate tua ſulti officio ſuo vacent, enixè pariter à Te flagitamus, ut nullo pacto eos aut quoſcunque Chriſtifideles, ipſos pietatis causâ adeuntes turbari, aut quoquo modo à tuis ſubditis divexari patiaris, ſed imò indebitos hujuſmodi conatus ſub gravium pœnarum interminatione compeſcas. Fuſiùs autem ſenſus noſtros explicabit dilectus filius ex memorato Capucinorum Ordine, Felix Maria de Sellano, quem de Pontificia noſtra erga Te reſponſione differentem, ut perbenignè audias, vehementer cupimus, dum Nos ſupremum Patrem luminum rogabimus, ut lucis ſuæ radios menti Celſitudinis tuæ clementer infundat, quò perfectam veritatem aſſequi valeas.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXVI. Januarii MDCXCIX. Pontificatûs noſtri anno octavo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *regnantes & anni prædicti. f.* 148. *à tergo.*

Dirâ denuo perſecutione excitatâ, Catholicorum & Miſſionariorum rationes Regi Perſarum impensè commendat, ac, ut Domum & Eccleſiam quamprimum reſtaurari, & non niſi ſolitum regiis Exactoribus ſolvi tributum jubeat, petit.

Illuſtri ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

CLEMENS PAPA XI.

Illuſtris, ac Potentiſſime Rex ſalutem, ac lumen Divinæ Gratiæ.

OMnem verborum explicationem ſupergreditur animi ſolicitudo atque moleſtia Nobis injecta, ubi ex litteris iſtarum par-

tium nuper audivimus injurias, contumelias, & graviſſima detrimenta, quæ Armeni Catholici Teſſis in Provincia Georgiæ, eorumque ſpiritualibus neceſſitatibus opitulantes Religioſi Viri, Miſſionarii ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, qui Celſitudinis tuæ permiſſu inibi commorantur, non ita pridem ſubire compulſi fuerunt. Peſſimè ſiquidem, ut intelleximus, habiti, fuſtibus cæſi, lethaliter ſauciati, exuti bonis, omnique alio calamitatis genere afflicti ſunt. Præterea Domus Miſſionariorum expilata, barbarumque in morem cum aliqua Eccleſiæ parte funditùs everſa, & ſolo æquata fuit. Hæc autem omnia, ut pariter accepimus, contigerunt, nefariâ potiſſimùm inſtigatione, ac dolo Schiſmatici Patriarchæ Armeni de Eczmiarin, & cujuſdam Minas Vartabiet, implacabilium orthodoxæ Religionis hoſtium, qui ad exitium eorumdem Armenorum Catholicorum, & Miſſionariorum eâ animi acerbitate, conſpirârunt, ut illorum impetum, atque furorem cohibere nequidem potuerit Princeps loci, quamvis facinoris indignitate commotus, ipſis quoad licuit, obniti non prætermiſerit. Paſtoralis itaque officii noſtri impellente debito, Celſitudinem tuam impensè rogamus, ac obteſtamur, ut omnes, quotquot fuerunt, diræ hujus perſecutionis Authores, vel participes, præſertim verò memoratos Patriarcham, & Vartabiet, inſigni aliquâ animadverſione coërceri mandet, ac inſuper curet omnia per eos quantocius farciri damna, quæ tum Miſſionarii, tum etiam alii Catholici prædicti immeritò paſſi fuerunt. Illud autem in primis diligenter à Te petimus, ut Miſſionariorum Domum, & Eccleſiam inſtaurari quamprimùm jubeas. Nam cum hæ aliud non ſint, quàm domicilia quædam pietatis, & ſedes, atque refugium fidelium aſſiduè orantium Deum optimum maximum pro temporum felicitate, ac pro incolumitate Principum, quorum beneficio conſtabilitæ ſunt, Regio tuo patrocinio deſtitui nequaquam debent. Illud inſuper à Te etiam atque etiam flagitamus, ut Miſſionarios, & Catholicos omnes tua in Ditione degentes, quàm maximè commendatos habeas, eorumque rationibus ope, præſidioque tuo ita ſuffrageris, ut deinceps à ſchiſmaticis amplius exagitari, atque vexari non poſſint: Sed ea tranquillitate, liberoque Catholicæ Religionis exercitio potiantur, quo Te Rege, tuiſque etiam majoribus benignè annuentibus, hucuſque potiti ſunt. Majori tandem, quo poſſumus, animi ſtudio à Celſitudine Tua poſtulamus, ut Privilegia omnia, quæ inclyti Progenitores tui præfatis Catholicis, & Miſſionariis clementer indulſerunt, rata habere velis, ac in primis eos eximas, & prorſus liberes à graviſſima vexatione, quam modò patiuntur ab Exactoribus tuis ob inſueta quædam ac eorum vires excedentia tributa, jubeaſque ab ipſis illud dumtaxat tributum exigi, quod retroactis temporibus, juxta vires, perſolvere conſueverunt. Erit id non tam animi tui æquitate, ac magnitudine aprime dignum, quàm Nobis longe gratiſſimum; Qui viciſſim oblatâ occaſione obſecundandi votis tuis, mutuam propenſamque voluntatem erga Te noſtram palam explicare non omittemus: ac interim Miſericordiarum Patrem, bonorum omnium Authorem enixè precamur, ut Celſitudinem Tuam diu ſoſpitem, omnique felicitate florentem conſervet, &, quod caput eſt, in viam veræ æternæque ſalutis cæleſti ſuo luminè perducere dignetur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 111. Januarii MDCCXIX. Pontificatûs noſtri anno decimo nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. Menſ. & anni præd. f.* 24.

Ad Regem Perſarum Litteras Imperatoris, Reipublicæ Venetæ, & Magni Ducis Hetruriæ ob illatam Miſſionariis injuriam mittit, ac Epiſcopum Aſpahamenſem, dictas Litteras ei redditurum, benignè audiri inſtat.

Illuſtri ac Potentiſſimo Regi Perſarum

CLEMENS PAPA XI.

Illuſtris ac Potentiſſime Rex ſalutem, ac lumen Divinæ Gratiæ.

PRæter modum ſolliciti, ut ad Celſitudinem Tuam perferantur Litteræ, quas die tertia mox elapſi menſis Januarii in ſimili forma Brevis Tibi perſcripſimus, conſilium cepimus eas dirigendi ad Venerabilem Fratrem, Barnabam, Epiſcopum Aſpahamenſem, à quo Tibi illæ reddentur. Hunc ipſum Epiſcopum mittimus etiam eidem Præſuli tres alias Epiſtolas, quarum primam Chariſſimus in Chriſto Filius noſter, Carolus, in Romanorum Imperatorem electus: Secundam dilecti Filii, Nobiles Viri, Dux, & Reſpublica Venetiarum: Ac tertiam, dilectus itidem Filius, Nobilis Vir, Coſmus, Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magnus Dux, eorum impellente pietate

Tibi

Tibi conſcribendas duxerunt. Ex omnibus præfatis Litteris abundè cognoſces quantopere non Nobis tantùm, verùm etiam ſublimibus Chriſtianæ Reipublicæ Principibus cordi ſit, ut illata nuper Armenis Catholicis, ac Religioſis Viris Miſſionariis ex Ordine Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Teſſis in Provincia Georgiæ commorantibus graviſſima injuria farciatur, ejus Authores, nimirum Schiſmaticus Patriarcha Armenus de Eczmiarin, & quidam Minas Vartabiet, congrua animadverſione plectantur, ac tandem iidem Armeni Catholici, & Miſſionarii Clementiæ Tuæ patrocinio ita gaudeant, ut nulla de cætero contumelia à quoquam violari poſſint, &, qua par eſt, libertate, & tranquillitate potiantur. Id porro ubi præſtare dignaberis, quemadmodũ Nos iterum à Te vehementer poſtulamus, ac de perſpecta animi tui æquitate, & magnitudine, Nobis etiam certò pollicemur, rem ſanè facies Nobis, ac memoratis Principibus ſummoperè acceptam, communemque noſtram voluntatem Tibi majorem in modum obſtringes. Quod ſupereſt, Te impensè rogamus, ut prædicto Barnabæ Epiſcopo, his de rebus differenti, pronas benignaſque aures præbere velis, dum Nos Divinam bonitatem enixis votis obſecrare non deſinemus, ut Celſitudinem Tuam incolumem ſervet, omnique felicitate florentem.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Februarii MDCCXIX. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo nono.

Autog. in Arch. Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & an. præd. fol.* 81.

Principis Teſſis æquitatem, qua ſolo æquatas Eccleſiam & Domum Miſſionariorum, Schiſmaticorum ſumptibus refici decrevit, laudibus effert, &, ut horum furorem & audaciam coërceat, ab eo requirit.

Illuſtri, ac Nobili Viro, Vaktank, Principi Teſſis in Provincia Georgiæ

CLEMENS PAPA XI.

Illuſtris & Nobilis Vir ſalutem, ac lumen Divinæ Gratiæ.

EX Litteris Venerabilis Fratris Barnabæ, Epiſcopi Aſpahamenſis, peculiari cum animi noſtri ſolatio nuper audivimus, Nobilitatem Tuam agnitâ injuſtitiâ diræ perſecutionis, quam Schiſmaticus Patriarcha Armenus de Eczmiarin, & quidam Minas Vartabiet, implacabiles Catholici nominis hoſtes, in Religioſos Miſſionarios ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, & Armenos Catholicos iſthîc degentes præteritis menſibus excitârunt, juſtâ indignatione commotam ita fuiſſe, ut admodum propenſam ſe oſtenderit ad ea decernenda, per quæ ejuſmodi iniquæ vexationis Authores, & participes congruis afficiantur pœnis, & ad farciendaquamprimum illata damna, præſertim verò ad Eccleſiam & Domum eorumdem Miſſionariorum, quas per ſummam injuriam ſolo æquârunt, propriis ſumptibus reficiendas compellantur. Etſi autem de æquitate tua, benignoque erga Orthodoxam Religionem animo adeò præclarè ſentiamus, ut ad ſuſcipiendum tam neceſſario tempore innocentiæ patrocinium, alienis ſtimulis Te nequaquam indigere arbitremur, Paſtoralis tamen Officii noſtri impellente debito, Nobilitatem Tuam in præſens enixè requirimus, ac obteſtamur, ut memoratos Patriarcham, Vartabiet, illiſque adhærentes inſigni aliqua animadverſione plectas, omniaque detrimenta, quæ tum Miſſionarii, tum etiam alii Catholici prædicti immeritò paſſi fuerunt, per eos quamprimum reparari cures, ac demum ipſorum furorem & audaciam authoritate Tua ita coërceas, ut nihil inpoſterum contra Catholicam Religionem, ejuſque Profeſſores attentare præſumant. Quâ ratione non Nobis tantùm, ſed etiam ſublimibus Chriſtianæ Reipublicæ Principibus, quidatis ad Perſarum Regem litteris, de hujuſmodi perſecutione graviter conqueſti ſunt, rem gratiſſimam planè feceris. A' Nobis autem, quotieſcumque occaſio ſuppetet ſatisfaciendi optatis tuis, congruam prorſus vicem Tibi poteris polliceri. Interim verò Patrem Luminum continenter orabimus, ut Nobilitatem Tuam diu incolumem tueatur, & per vias ſuas, quæ ſunt miſericordia, & veritas, feliciter dirigat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Septembris MDCCXX. Pontificatûs Noſtri Anno Vigeſimo.

Ex Tomo IV. *Epiſt. & Brev. Papæ præd. fol.* 773.

Miſſio-

RESCRIPTO PONTIFICIO

Miſſionem Georgiæ, ad Provinciam Circaſſiæ extendi, & Miſsionariis facultates ſolitas communicari indulgetur.

Beatiſſime Pater.

PEr litteras P. Præfecti Capucinorum Georgiæ de copioſo fructu, quem arduæ illæ Miſſiones, præſertim inter Armenoa, producunt, allatus eſt Nuntius, pariterque ſignificatum, quod novus campus ad propagationem Sanctæ Fidei aperiatur in Circaſſia, ubi multi quidem Catholici, Sacerdotio tamen privati reperiuntur, qui autem de hoc ſibi provideri ardenter inſtant, præſertim cum illarum partium gubernium non, uti in aliis locis, barbarum, & extraneis averſum exiſtat. Sac. Congregatio de Propaganda Fide arbitrio D. Cardinalis Præfecti expeditionem duorum novorum Miſſionariorum ex eodem Capucinorum Ordine remiſit, poſtquam à Patriarcha Conſtantinopolilano, & aliis Perſonis practicis ulteriores informationes ſumpſiſſet. Cum autem hæc nova Miſſio annexa & dependens eſſe debeat à Præfecturâ Georgiæ, Sanctit. Veſtræ ſupplicatur, quatenus concedere dignetur, ut cum ejuſdem Sacræ Congregationis litteris, ad favorem prædicti Præfecti, facultates jam aliàs Miſſionariis ſuis communicabiles, ad eandem novam Circaſſiæ Miſſionem extendantur.

Ex audientia Sanctiſſimi 22. *Januarii* 1737. Sanctiſſimus annuit.

Autog. in Arch. Gener. Ord. Armar. Miſſio Georgiæ.

Ad tollendos ſepulturæ in loco non Sacro abuſus Altare privilegiatum in Eccleſiis, in quarum Cœmeteriis Fidelium cadavera ſepeliuntur, conceditur.

PROVINCIÆ GEORGIÆ.

Decretum à Sac. Congregatione ſuper Indulgentiis, & Reliquiis emanatum.

CUm, ſicut expoſitum fuit, in Provincia Georgiæ adhuc inter Chriſtifideles plures, præſertim in ſepeliendis eorum Defunctis, abuſus vigeant, ſignanter inter Mulieres, quæ in aperto agro, & minimè Sacro earum Defunctarum cadavera ſepulta voluntur, Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP. XIV audito voto S. Congreg. ſuper Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ habitæ die 21. Maji 1742. cupiens, quod ii, qui Catholicam Fidem amplexati ſunt, Catholicos etiam ritus in omnibus ſequantur, quique Deo in unitate Fidei ſunt conjuncti, Eccleſiæ quoque ejus Sponſæ per oppoſitos abuſus, quos extinguere decet, nō diſſentiant, ſacra in præfata Provincia loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus pro animabus Fidelium Defunctorum, quorum cadavera in loco Sacro de more ſolito ſepulta fuerint, decorare ſtatuit, ut inde animæ ejuſmodi Domini Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volens igitur omnes & ſingulas prædictæ Provinciæ Eccleſias per ejuſdem Apoſtolicum Vicarium deſignandas, in quibus, vel in quarum Cœmeterio Fidelium cadavera ſepeliri ſolent, hoc ſpeciali dono illuſtrare, ut, quandocumque Sacerdos aliquis Sæcularis, ſeu cujuſvis Ordinis, Congregationis aut Inſtituti, Regularis, SS. Miſſæ Sacrificium pro anima cujuſcumque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, cujuſque cadaver in loco Sacro, more & ritu Catholicæ Eccleſiæ tumulatum fuerit, ad Altare per eundem Apoſtolicum Vicarium in ſingulis Eccleſiis præfatis eligendum, quod ſemel electum amplius mutari nequeat, celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, ita, ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus, à purgatorii pœnis liberetur, benignè conceſſit, atque indulſit: non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. Præſenti ad quindecim annos tantùm valituro. Sanctitas Sua hanc gratiam ſuffragari voluit etiam abſque ulla Brevis expeditione.

Datum in Arce Gandulphi die 18. Junii 1742.

Exempl. in Arch. Gener. Ord. Arm. Miſſio Georgiæ.

Regi

Regi Perſarum Kulikam de fracta Turcarum ferocia applaudit, &, ut Capucinos Miſsionarios, eorumque Hoſpitia Teflis, Gori & Gangiæ exiſtentia, à tributo ob concitatam in eum Popularium conſpirationem generatim impoſito eximat, inſtat.

Illuſtri & Potentiſſimo, Tamas Kulikam, Perſarum Regi

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illuſtris & Potentiſſime Rex ſalutem, ac lumen Divinæ Gratiæ.

FAma jucundiſſimis collecta nuntiis ad Nos pervênit, Celſitudinem Tuam non minus militari virtute, atque invicto armorum robore fregiſſe Turcarum ferociam, quàm lenitudine placidaque agendi ratione ſibi conciliâſſe populorum amorem, fidem, atque obedientiam. Quo quidem felici eventu magnam lætitiam hauſimus, rati, hoſtes illos Chriſtianis æquè ac Perſis infenſiſſimos abs Te depreſſos, parùm deinceps Nobis graves, moleſtoſque futuros, ſimul autem, Te ſuaviter regnante, Catholicos per ampliſſimam tuam Ditionem degentes eommodam honeſtamque vivendi conditionem habituros. Itaque acceptum à Nobis de rebus ita abs Te proſperè ac ſapienter geſtis, gaudium Celſitudinis Tuæ renuntiare conſtituimus, ut, eum audieris ſavere Nos ac plaudere felicitati, gloriæque Tuæ, libentiùs Regiâ Clementia tua proſequâre noſtræ Religionis Cives, imperio tuo ſubjectos, quos pro certo habere debes, nobiſcum lætari hac tua inſigni laude, tuaque illectos manſuetudine, magis autem Chriſtianæ Legis inſtituto in fide, atque obſequio ſuo erga Te firmiter permanere. Quod cum penitus perſuaſum Tibi eſſe reputemus, fidentiùs imploramus beneficentiam tuam pro Capucinis Fratribus, in Georgiæ Regno Miſſionariis, eò ab Romana Sede ablegatis, ut, quotquot ibi ſunt Catholici nominis, ad pietatem exerceant. Hactenus enim tributo immunes, nunc eo graviter onerati, in ſummas anguſtias adducti ſunt, quippe ex ſui Ordinis Inſtituto pauperrimi non habent, unde ſibi ad ſolvendum pecunia ſuppetat. Hoc ſatis eſſet ad commovendam generoſi animi tui miſerationem, verùm & illud additur, ipſos Patriam deſeruiſſe, nullo rerum humanarum præmio propoſito, ſed unicè ſtudioſos bene de veſtra gente merendi, cui certum ad æternam felicitatem iter monſtrare cupidi, ſe ideo periculis offerunt, nec parcunt laborisſuo: quâ charitate nihil validiùs ad comparandam magnanimi Principis gratiam. Quod, ſi ad illius Provinciæ Populares nullo diſcrimine mulctandos, occaſionem præbuit facta ibi adverſus Te conjuratio, hinc profectò major Nobis adeſt fiducia, Celſitudinem Tuam libenter remiſſuram iiſdem Capucinis Miſſionariis vectigal eâ de cauſa impoſitum, quos hujuſmodi conjurationis ſcelere ſe obſtrinxiſſe reputari nequit, ab ſua Religione ſeverè & capitali pœna prohibitos Regi & cuicumque Domino ſuam abrogare fidem. Ad hæc ſi diligenter adjicias animum, non dubitamus, quin benevolè Capucinos ipſos, eorumque Hoſpitia, quæ habent Teflis, Gori, & Gangiæ, omni onere ſoluta ac libera ſis dimiſſurus. Quo quidem collato in eos beneficio, obligabis Tibi penitus animum noſtrum, & nihil perficies, unde melius noſtra de Regia tua beneficentia opinio confirmari queat. Qua de re Celſitudinem Tuam etiam atque etiam obſecramus, obteſtamurque Deum Optimum Maximum, ut in vicem Te quotidie magis victoriæ compotem reddat adverſus communem hoſtem, & lumine ſuæ gratiæ proſperamque valitudinem impertiat.

Datum Romæ &c. die xxx. Junii MDCCXLIV.

Exempl. in Arch. Gener. Ord. Arm. Miſſio Georgiæ.

Operam Fr. Damiani à Lugduno, quâ Miſsionariis in Georgia libertas rem ſacram faciendi, nec non ablata Templa, Ædes &c. à Rege Perſarum Kulikam fuêre reſtituta, extollit, eique, ut in Aula Regia pro promptiore rei Catholicæ præſidio, incolatum ſibi procuret, ſuadet.

Dilecto Filio, Damiano à Lugduno, Miſſionario in Hiſpahan Capucino.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn ſine tua laude, noſtraque erga Te benevolentia intelleximus, ope ſtudioque tuo Catholicos in Georgiæ Provincia Armenos in priſtinam libertatem faciendi ſuo ritu rem ſacram reſtitutos fuiſſe à Perſarum Rege Kulikam, unde vi, verberibus, aliiſque

que moleſtiis eos in Schiſmaticorum caſtra abripuerat Pſeudo-Patriarcha ejuſdem Gentis Eczmiarinus. Quin etiam ab ipſo Rege Te impetrâſſe, ut ad Capucinos per eam Regionem Miſſionarios redierit Templum, Ædes, & quicquid Theopolis ereptum ipſis fuerat Adverſariorum incurſu. Adhibita in hujuſmodi ſalutari negotio abs Te opera, grata Nobis adeo fuit, ut perhonorifico noſtrarum in forma Brevis literarum teſtimonio palam Tibi eſſe velimus, multam hinc Te iniiſſe à Nobis gratiam, qua in tui commodum uti poteris, ubi res tua ita ferat: magis verò, magiſque gratiam noſtram Tibi cumulabis, ſi Regis erga te benignitatem ſanctiſſimæ religioni uſui eſſe annitaris. Quod ut faciliùs aſſequi poſſis, vide, ſi manere tibi liceat in Aula Principis, dum tamen ſine gravi tua moleſtia fiat. Sic enim promptus accurres ad amoliendas Schiſmaticorum inſidias, conſervandamque Catholicis noſtris animi tranquillitatem, quâ Religio plurimùm gaudet. Paratum ſimul perfugium præſidiumque in Te haberent, quotquot in Perſarum regionibus Sacri Miſſionarii degunt, quos idcirco admoneri juſſimus, ut opem abs Te querant, ſicubi eâ ſibi opus ſit. Id autem, ut alacriùs aggrediaris, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIV. Septembris MDCCXLIII. Pontificatûs noſtri anno quarto.

Extract. ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide, quę & ipſa ad hunc Miſſionarium gratiarum actorias dedit litteras, infra dandas.

NOTA

NOnniſi per tranſennam tangit Pontificia hæc Epiſtola novam perſecutionem, à Schiſmatica Armenorum perfidia contra Miſſionarios, & alios Georgiæ Catholicos anno 1742. excitatam, pleniùs verò illam manifeſtant literæ ſubjunctæ, & à dicto P. Nicolao Maria a Burgo expreſsè Romam allatæ. Primæ illarum datæ fuerant ad Summum Pontificem, à Catholico Patriarcha Nicolò ita ſonantes:

BEATISSIME PATER.

Dignissime & sublimissime omnium Princeps, Dator Benedictionum, Judex totius Mundi, Vicarie Apoſtoli Petri, Præſes unius, Sanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ, quæ cli Mater omnium populorum terræ, & cui obediunt omnes linguæ, omneſque throni, qui ſanctos pedes veſtros adorant, recipientes veniam peccatorum, & ſpirituale ac corporale lumen. Nos coram excelſa potentia veſtra proſtrati benedictionem, pacemque à Vobis precamur, & humili amore pedes veſtros oſculamur.

Sicut hæc noſtra Regio jam ab antiquo tempore Vobis præſtitit obedientiam, ſic & Nos adhuc veſtræ benedictionis & gratiæ ſumus præcones. Et quamvis aliqui noſtræ Georgiæ Patriarchæ obedientiæ Vobis debitæ fuerint immemores, Vos tamen, ne me illis ſimilem eenſeatis, rogo, eum ad veſtra juſſa promptum & obedientem me ſiſtam. Veſtri Patres Capucini jamdiu in hac noſtra Georgia morabantur, egoque eos peculiari amore proſequebar, iiſque omnia fauſta precabar; Imò à brevi illo tempore trium vel quatuor menſium, à quo Domenti Patriarcha ab hac ad aliam migravit vitam, & in illius locum Patriarchalis dignitas mihi fuit collata, omnia fauſta & bona iis procurare ſtudui, Armeni tamen tantùm temporis, ut id plenè exequerer, mihi non permiſerunt, cum à Nobis conſilia non amplius requirant, & ad arbitrium ſuum in hiſce terris dominentur. Carceri mancipârunt veſtros Patres Capucinos, coſque tot plagis & verberibus affecerunt, ut plura infligi haud poſſent. Prophanârunt Sacras Imagines, & Cruces veſtræ Eccleſiæ, & poſtquam ipſam Eccleſiam & Domum ſibi appropriârunt, illos in hac Provincia ampliùs ſufferre non voluerunt, ſed eos ignominioſè ejecerunt. Quodque vulnus dilatat & auget in hac atroci perſecutione, vidimus omnes Catholicos, tum Viros, tum Mulieres variis tormentis affectos, percuſſos, & totâ eorum ſubſtantiâ ſpoliatos, ac ab eadem Fide, & Genitoribus violenter abſtractos. Hinc nos omnes Georgiani demiſſimè Vobis ſupplicamus, ut manum veſtram ab hac Provincia non ſubtrahatis, & abſque Patribus Capucinis nos non relinquatis. Amore Dei adjuvate nos, nec permittite, ut tot animæ pereant, nec furiis Infidelium veſtrum populum acquiſitionis expoſitum ſinite: difficile enim non eſt magnanimæ Veſtræ Celſitudini tum ei, tum Nobis auxilium præbere. Alia nova nicliùs ab ipſis veſtris Patribus percipietis.

Catholicus Patriarcha Nicolò.

Juxta

Joxta uſum Georgianum deberet nomen Papæ, Benedicti XIV. litteris apponi: in ſignum tamen reverentiæ tum in hiſce, tum in ſequentibus litteris id omiſſum eſt, ut ſe quaſi indignos, qui tam Venerabile nomen ſcriberent, profiterentur.

Secundam Epiſtolam pariter ad Summum Pontificem dedit Regius Stabuli Præfectus, ſequentis tenoris:

Excelſo, Potentiſſimo, & omni laude majori, quo inter Dominationes, & Principes terreſtres non eſt ſublimior, cujus inextinguibili Celſitudini cum ſublimi ſolvendi & ligandi poteſtate, & Paradiſi clavibus à Cœlo confertur & unitur Paſtoralis quoque cura totius terræ, quam Potentes Mundi timent, & à qua pœnitentes miſericordiam & veniam exſpectant. Hanc talem dignitatem cum timore & amore nos obedientes & humiles ſervi, corpore quidem diſſiti, corde tamen vicini, unitim & reverenter adoramus, & à qua cum pedum ſacrorum oſculo veniam peccatorum precamur.

Longa jam eſt temporis intercapedo, quod in hac noſtra Regione, veſtra Eccleſia pro Catholicorum commodo fuerit conſtructa, & Patres veſtri Capucini ſuas moras traxerint. Et certè multos bi in ſe ſuſceperunt labores, multas errantes oves ad caulam Domini duxerunt, honoremque Sanctæ Fidei magnanimes ſuſtulerunt. Prævaluit autem jam potentia Armenorum in hac Georgiæ Provincia, & veſtri Patres ex motivo rei Catholicæ ab iis carcerati, verberati, & tuliter vexati fuerunt, ut acerbids quid vix fieri poſſit. Eccleſia, Sancta Crux, Sacræque Imagines prophanatę & conculcatę fuerunt, & poſtquam Eccleſia ipſa, ac Domus Fiſco fuit adjudicata, Armeni, Patres veſtros diutius ibi cunctari, noluerunt, ſed eos ex Regione ejecerunt. Quanti erant Catholici, tum Viri, tum Mulieres, ab his fuerunt comprehenſi, graviter verberati, & tuliter cruciati, ut ulterius quid dici haud poſſit. Imò directa eſt eorum ſubſtantia, & eos à Patribus & Sancta Fide diſtraxerunt. Hinc Celſitudinem Veſtram precamur, ne ſubtrahatis manum veſtram ab hac noſtra Regione, nec eam hæreſi cum tot converſi relinquatis, nec nos veſtris Patribus Capucinis privetis. Succurrite proin nobis, & haſce planctibus miſeras preces coram Celſitudinis veſtræ throno recipite. Modus nos adjuvandi, & nobis compatiendi Vobis facilis eſt; quapropter nec nos, nec hanc noſtram Provinciam deſolatos relinquite, quin dictos Patres adjuvetis: nec permittite, ut ii ob inimicos Sanctæ Eccleſiæ non amplius redeant ad haſce partes, & ita tot animæ Catholicæ ruant in perditionem. Reſidua nova veſtri Patres recenſebunt.

Humillimus Servus Servorum veſtrorum
Regius Stabuli Præfectus.

Tertiam Eminentiſſimo D. Cardinali Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Præfecto inſcriptam dedit Familia Orbelliana, quæ à tempore, quo operâ noſtrorum Patrum Miſſionariorum veritatem Catholicæ Fidei agnovit, & publica profeſſione anno 1733. amplexa eſt, magnanimo ſemper ſpiritu eam propugnavit, eximio ſuæ reſolutionis exemplo plures de ſuæ Nationis gente ad viam Orthodoxæ Fidei allexit, & oppreſſos hinc inde Catholicos potenter ſemper adjuvit, ita ut Sac. Congregatio litteris ſub 20. Februarii 1734. datis amplo elogio illius zelum commendaverit. Argumentum dictæ Orbellianæ Epiſtolæ erat ſubjunctum.

Illuſtriſſime, Reverendiſſime, ac Eminentiſſime à Deo electe, Sacræ & Beatę Congregationis Superior, ac Domine noſter Advocate.

Nos veſtri ſpirituales Filii unitim veſtram ſanctam dexteram oſculamur, certiores vos faciendo eorum, quæ tum Vobis, tum Congregationi S. Catholicæ Eccleſiæ jam forſan nota ſunt, videlicet, qualiter nos omnes noſtræ Stirpis & Familiæ jam à longo tempore gloriamur eſſe, & ſumus veſtri Filii obedientes, cum multis aliis tum Viris, tum Mulieribus hujus noſtræ Georgiæ. Anno elapſo (1741.) ablegavimus iſthàc noſtrum Epiſcopum Chriſtophorum, quo mediante, vobis noſtras neceſſitates inſimul cum iis, quæ tum ab hæreticis, tum ab infidelibus nos ſufferre opportuit, expoſuimus; Et quamvis impręſentiarùm ab illo omnia relata fuiſſe credamus, nihilominus de ſalvo & ſano illius appulſu nuntium necdum percepimus. Interim hoc currente anno 1742. in hac noſtra Georgia Armeni invenerunt tempus, executioni conſiliorum ſuorum opportunum. Captos noſtros Patres Capucinos variis plagis & tormentis vexárunt: eos non occiderunt, verum eſt, ſed, quidquid pœnarum eſt, nec unam ex iis omiſerunt: Eccleſia, Sancta Crux, Sacræ Imagines fuerunt prophanatę & captâ illius poſſeſſione, ut Patres diutius in hac noſtra Provincia conſiſterent, noluerunt permittere, ſed eos expulerunt. Ultra hæc, quot Catholici utriuſque ſexûs hîc fuerunt reperti, omnes comprehenſi, crudeliter verberibus affecti, omni eorum ſubſtan-

tiá privati, & violenter ad illorum ſectam abrepti. Hinc amore Dei Vos eo njuramus, & cum lachrymis & ſuſpiriis ſupplicamus, ut Sanctiſſimo Patri hos noſtros planctus ſignificetis, & non permittatis tot animarum perditionem. Abſque PP. Capucinis perma nere non poſſumus: jam diu tanti Chriſtiani Catholici ſine Confeſſione, & Communione manſimus, tot jam abſque ſepultura, & tot infantes abſque Baptiſmo mortui ſunt. Feſtinate proin in adjutorium noſtrum, & pro nobis apud Sanctiſſimum Pontificem intercedite: in manibus Dæmonii non relinquite tot Chriſtianos Catholicos. Per prædicationem Patrum Capucinorum tranſvoimus ad verę Fidei profeſſionem: ſi jam abſque iis, & abſque Eccleſia permanere deberemus, quam Chriſtianorum figuram faciemus? Evénit nunquam, quod Patres hos aliquis ab iſthinc expulerit: Armeni ſoli hoc executioni mandárunt. Afflictio noſtra, & planctus noſter deſuper eſt ille, quem enarravimus, & cujus reliquias percipietis à dictis Patribus.

Humillimi Servi veſtri Orbellianus cum tota ſua Stirpe.

Exempl. idiomatis Armeni in Arch. Gen. Ord. Armario Miſſio Georgiæ.

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Miſsionarios Georgiæ ad decennium deinceps ibi perſiſtere debere ſtabilitur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitę die 9. Maji 1746.

REferente R. P. D. Nicolao Lercario, Secretario, Sacra Congregatio juſtis & rationabilibus ex cauſis decrevit, quod inpoſterum Miſſionarii Ordinis Capucinorum deſignandi ad Miſſiones Georgiæ deputentur ad decennium, & ab iis nonniſi expleto decennio ad proprias Provincias redire valeant.

Datum ex Ædibus prædictæ Sacræ Congregationis die & anno, quibus ſuprà.

Exempl. in Arch. & Armar. prædictis.

MISSIO

REGNORUM THIBETI &c.

IN TARTARIA.

TArtariam Thibetanam in duo dividi Regna, videlicet parvum & Orientale, ac Magnum ſeu Occidentale Thibet, tradunt communiùs Geographi, & clariùs exhibent mappæ ſeu chartæ Topographicæ, præſertim illa in fronte titulum præſeferens = *Tartaria magna diviſa in duas partes à Jacobo Cantelli juxta relationem itinerarii Domini Tavernier, D. Teverot, ac itinerariorum RR. Patrum Societatis Jeſu in lucem edita Romę* 1683. quod & ad oculum globi terraquei hinc inde, præſertim Romæ in Palatio Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, & in Collegio prædictorum RR. Patrum, ad Jeſum dicto, aſſervati confirmant. Utrumque hoc Regnum copulativè ſumptum ita vaſtum perhibetur, ut juxta relationem, expenſis p. m. Eminentiſſimi Cardinalis Bellugæ, maximi hujus Miſſionis Mæcenatis, Romæ impreſſam, numerus animarum ad 33. milliones incirca aſcendat. Sub umbra Idolatriæ Regnum hocce ſemper, ſeu uſque ad noſtra ſæcula gemuiſſe Hiſtorici plures negant, & econtra jam in primis Evangelicæ Legis incunabulis lumen veræ Fidei in eo fulſiſſe contendunt. Horum omnium loco teſtem unicum produco Reverendiſſimum Patrem Joannem Facundum Raulin, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Ex-Generalem, in ſua Hiſtoria Eccleſiæ Malabaricæ *pag. mihi* 344. ita loquentem = *Et quidem non ſolùm apud Sinas, verùm etiam in Tartaria, TIBETHO UTROQUE, atque aliis Regionibus lucem Evangelii priſcis irradiáſſe temporibus compertum eſt ex Haythono, Marco Paulo Veneto, qui Imperatori Tartarorum per* 17. *annos inſervivit, anno incirciter* 1256. *necnon ex Joanne*

de

de Plano Carpi, Ordinis Minorum &c. Sortem hanc reducit idem Reverendiſſimus Pater Ex-Generalis ad tempus & Perſonam D. Thomæ Apoſtoli, quem terras illas prædicando peragraſſe loco citato deducit. Fœdis idololatritis, & immundo ſacrificiorum ſanguine, turpique animarum metapſychiæ doctrinâ ſplendorem veritatis Evangelicæ obſcuratam poſtmodum fuiſſe, noverant Reverendi Patres Societatis Jeſu: hinc juxta relationem Rev. P. Kircheri in China illuſtrata *pag. mihi 62. 64. & 68.* in eo circa annum 1624. Miſſionem erexerunt, cujus onus ob hæreditatem à quodam Mercatore relictam, illorum Collegio *Agræ*, Provinciæ Goæ, fuit annexum. Orta 1652. perſecutio ſuſtulit Apoſtolicis Operariis campum Evangelii, eoſque omnes è Regione expulit: non ita tamen, quin ad primi laboris veſtigia redire non ſemel tentaverint, quemadmodum ex religioſæ litis per plures annos Romæ ab initio hujus ſæculi agitatæ hiſtoria extensè patet.

Regnum tam amplum ne Apoſtolicæ proviſionis operâ deſtitutum maneret, & in ſorde idolatrici cultûs induraret, s. m. Clemens XI. Miſſionem novam ibi ſtabiliri, eam Provinciæ noſtræ Marchiæ committi, ac ære Sacræ Congregationis de Propaganda Fide ſuſſulciri anno 1704. decrevit. Deſtinati ad opus novi Coloni per naufragiis infames Oceanos & Ganges, per Mogolem & Indias, per torrentes calore ſolari Regiones, per rigeſcentes frigore & nivibus montes, per ſqualida, hominumque veſtigiis vix non orba Deſerta, inter comitem diverſæ ſortunæ luſum, ad metam properârunt, ac in ipſa Regni Thibeti Metropoli, *Laſſa* nuncupata, ſtationem ſuam 19. Junii 1707. firmârunt. Benignè illos tum Rex, tum Magnus *Lama*, ſeu Supremus Regni Pontifex exceperunt, & uterque, ut relationem Legis, ad quam nuntiandam veniſſent, ſibi porrigerent ſcriptam, P. Præfecto commiſit. Juſſa extemplò executioni data ſuêre, & ſcriptura idiomate Thibetico, meliore, quo tunc fieri poterat, modo confecta, præſentata. Senſa Regis ad eam, ut P. Præfectus exploraret, poſt paucorum dierum intervallum, illum denuo acceſſit, qui & illa pateſecit per hæc verba = *Scias Lama*, ſeu Sacerdos Europæ, *quod Lex, quam cum toto meo regno profitcor, mihi ſemper viſa fuerit bona, cum in ea ſimus educati: tibi tamen negare non poſſum, quod tua mihi videatur melior.* Cumque P. Præfectus Regi debitum, meliorem legem amplexandi, leniter inculcaret, ille repoſuit: *Lama, tempus hoc advenit necdum, addiſce prius cum Sociis tuis diſertiùs linguam noſtram, &, quod in mihi exhibita inſtructione continetur, nunciare incipite, altero enim impræſentiarùm opus haud eſt* = Sinceritatem verbi Regii probârunt ſucceſſivè emanata edicta, quibus pro Religionis exercitio parvam Eccleſiam, & pro habitatione Miſſionariorum Domum ædificari conceſſit, eoſque moleſtari, aut ab iis conſueta aliàs tributa exigi, ſtrictè inhibuit.

Tenaciorem in ſuo reſponſo P. Præfectus in ſecundo acceſſu invênit Magnum Sacerdotem, ſeu Lamam; nam abſque multa verborum ambage ſolium, quod difficultates enuntiandæ Catholicæ Legis continebat, illi tradidit, ac ad has ſibi reſponſum dari popoſcit. Quo reportato, aliud non repoſuit, quàm quod facto ad illud examine, ulteriùs inter ſe deſuper eſſent acturi, ac Præfectum ad ſtudium linguæ perficiendæ pariter ſtimulavit.

A' Regia & Pontificia benevolentia non deceſſit Magnatum & Miniſtrorum humanitas, qui æquè de modeſta Capucini veſtitûs paupertate ædificati, de alieno à conquirendis opibus animo edocti, ac de ſolitaria vivendi ratione ſtupefacti, diverſis charitatis ac venerationis officiis eos proſequi ſtudebant. Tam felicia primordia feliciorem quidem pollicebantur Miſſionis ſucceſſum; obſtaculum tamen injecit ipſa Miſſionariorum inopia, indè enata, quod annuum Sacræ Congregationis ſubſidium ob locorum diſtantiam nimiùm aliquando tardaret, & Miſſionarii à Neophytis ſtipem colligere non auderent, ne eos ſub Religionis prætextu, ad quærendum panem, Thibetum veniſſe, Gentiles ſuſpicarentur. Diverſa proin conſilia illos inire, ac ipſam Miſſionem ad tempus deſerere, Romamque Patrem Dominicum à Fano, cum Fr. Michaële Angelo Burgundo, in via maris poſtea ſubmerſo, ad explicandas Miſſionis miſerias anno 1712. ablegare oportuit. Complexa eſt eum Sac. Congregatio conſuetâ charitate, eundemque variis facultatibus, noviſque Sociis munitum, ac modo annui ſubſidii certiùs ſemper acquirendi regulato, ad Miſſionem remiſit. Ultra ea, quæ tunc Romæ circa Miſſionis poſſeſſionem acta ſunt, Miſſio ab anno 1716. denuo ſtabilita, anno 1737. diverſam nacta eſt aleam: ſimilis fuit navi in mari conſtitutæ, & dum aliquoties dulces favonios, quibus feliciter progreſſa, ſeſe ad vicina Regna diffudit, captabat, ſtatim malaciâ in turbinem versa, intumuerunt contra eam perſecutionum procellæ, naviſque Miſſionis ad contradictionis ſcopulos fuit alliſa. Firma tamen in hac varietate ſemper manſit, anchorâ ſpei, quam in Deo collocaverat, firmata. Quapropter, ut ſolidior ſemper evaderet, P. Horatius Billi de Penna Præfectus, anno prædicto Romæ illius ſtatum amplè expoſuit, & petitis facultatibus proviſus, novis Sociis ſtipatus, muneribus onuſtus, ad veterem ſtationem rediit, ac anno 1741. eam attigit. Quieta & pacifica dum

lætus omnia reperit, ac ſiniſtra non timuit, inſidians Sacerdotum invidia tela iniquitatis ſabricavit, & anno 1742. ſub mentitâ larva, quod Catholico baptiſmo, gloria legis ſuæ obnubilaretur, populuſque à fidelitate Regis abduceretur, propenſum alias hujus animum contra Miſſionarios irritavit eouſque, ut violentum illorum exilium aperiè miniaretur. Adoravit, auditâ hac rei novitate, puſillus Miſſionarinrum grex inſcrutabilia judicia Dei, & inito inter ſe conſilio de Miſſione ſusviter recedere concluſit, ne, ſi ſe Regio Edicto ſemel expelli contingeret, omnis sd illam regrediendi ſpes juxta Regni legem intereiſa maneret. Eapropter vocatos ad ſe Chriſtianos, Thibetanos videlicet 20, Nivarros 2, & Chinenſes 2. ad conſtantem Fidei profeſſionem animavit, excepiâ illorum confeſſione *pane vitæ* in luctam confortavit, inter mutuos amplexus & lachrymas in pace dimiſit, & in nomine Domini exiens à *Laſſa*, ad Regnum Nepal anno 1745. ſeceſſit, ubi ſedens in triſtitia, & extollens manus ſuas in ſancta, nuncium accepit, quod Domus Laſſæ cum Eccleſia illicò poſt diſceſſum ſuum ſolo fuerit æquata, & tum relicta ſcripturarum; tum rei ſacræ modica ſupellex, quæ ſalvari non poterat, iniquâ manu diſtracta, ita quidem, ut de facto, ejectis etiam ſubito poſt Miſſionariorum exitum prædictis Chriſtianis, vix ullum Miſſionis ibi ſuperſit veſtigium, & ſparſum per plures annos Apoſtolici laboris ſemen, machinante inſani Lamæ livore maneat ſuffocatum. Perſiſtit tamen Miſſio ad Regna Nepal, Bittia, Behar, Bengalæ, Regno Thibeti contermina, juxta facultatem à Sac. Congregatione ſpecialiter, & jam in Miſſionis principio datam, feliciter dilatata: retinetque nomen Miſſionis Thibeticæ, tum quod ad hoc Regnum tantùm nunquam fuerit reſtricta, tum quod reditus ad illud (immutato præſertim Regio throno) non videatur deſperatus. Hinc ſtatum Miſſionis præſentem loca formant ſequentia:

LOCA MISSIONIS.

In Regno Thibeti
Laſſa, Regni Metropolis, & *Takpo*. Utrumque derelictum.

LOCA RETENTA.

In Regni Nepal.
Battgao, Katmandù, & Patan.

In Regno Bittiæ.
Bittia, Civitas Regni Capitalis.

In Regno Behar.
Patna.

In Regno Bengalæ.
Chandarnagor.

Fr. Felix à Montecchio Miſſionarius Apoſtolicus in Regnis Thibeti ab anno 1704. declaratur.

Decretum Sacræ Congregationis generalis Propagandæ fidei, habitæ die 11. *Januarii* 1704.

REferente R.P.D. Carolo Auguſtino Fabrono, Secretario, Sacri Congregatio Miſſionarium Apoſtolicum in Regnis Thibeti ad decennium declaravit P. Felicem à Montecchio Ordinis Capucinorum ſub directione tamen & dependentia P. Joannis Franciſci à Camerino Præfecti, vel alterius Præfecti, ſeu Vice-Præfecti à Sacra Congregatione deputandi, cui omnino parere debeat, ac neceſſarias facultates ad Miſſiones exercendas ab eodem juxta ſibi tributam auctoritatem in totum, vel in parte recipiat, ſervatâ ſemper ipſius Præfecti, vel Vice-Præfecti tam circa facultates, quàm circa loca, & tempus eaſdem exercendi moderatione; nullo verò modo extra fines ſuæ Miſſionis iis uti queat, ad quam, donec, & quouſque pervenerit, nulla prorſus exemptione aut privilegio gaudere poſſit.

Datum Romæ die & anno, quibus ſupra.

Ex Arch. gen. Ord. Arm. Miſſio Thibeti.

Gratum

Gratum animum Regi Laſſæ ob beneficia Miſsionariis Capucinis, ac aliis Chriſti fidelibus collata teſtatur, hoſque & illos Regiæ tutelæ devovet.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi Laſſę.

CLEMENS PAPA XI.

Illuſtris, ac Potentiſſime Rex ſalutem, & lumen Divinę Gratię.

INter egregias, magnoque Principe dignas dotes, quibus Celſitudinem Tuam inſignitam eſſe fama vulgavit, præcipuum ſibi vindicare locum clementiam, quâ Chriſtianæ fidei cultores in ampliſſima tua ditione reſpicis, ex Dilecto Filio, Religioſo Viro, Dominico Fanenſi, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſore, in iſtis partibus Apoſtolici Miſſionarii munere diu perfuncto, ac iſthuc propediem redituro, non ſine ingenti lætitiæ ſenſu cognovimus. Quia verò ad Nos in primis pertineot beneficia, quibus Celſitudo Tua iſtos Chriſtifideles, ac præſertim Apoſtolicos Miſſionarios regia planè benignitate proſequitur, prætermittere nullo modo voluimus, quin has ad Te daremus litteras, ex quibus tum gratum, prooumque animum erga Te noſtrum, tum etiam propenſum, quod eo nomine gerimus, deſiderium gratificandi Tibi luculenter intelligeres. Etſi autem lætiora in dies de ſingulari tua in eoſdem Apoſtolicos Miſſionarios benevolentia nobis allatum iri conſtanter ſperemus, eos nihilominus prævalido Celſitudinis Tuæ Patrocinio, ac Tutelæ majorem in modum commendamus, non omiſſuri interea Regem Regum, ac Dominum Dominantium enixè, ac aſſiduè rogare, ut ſecundos, fauſtoſque rerum ſucceſſus indeſinenter Tibi tribuere, & quod caput eſt, perfectum veritatis ſuæ lumen oſtendere non dedignetur.

Datum Romæ &c. die VI. Jan. MDCCXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto Decimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *reg. menſ. & anni prad.*

Charitatem Epiſcopi Meliapurenſis circa Miſsionarios Thibeti Sacra Congregatio de Propaganda fide laudibus effert, & patrocinium illius erga eos continuari commendat.

Illuſtri & Reverendiſſimo, uti Fratri, Domino Epiſcopo Meliapurenſi.

Illuſtris & Reverendiſſime Domine uti Frater.

EX litteris Amplitudinis Tuæ, multò verò meliùs ac luculentiùs ex P. Dominico à Fano, Ordinis Capucinorum, Sacræ Congregatio intellexit, quàm benignè amplit. Tua Religioſos ejuſdem Inſtituti Viros ex Miſſione Thibeti recedentes, inopes, ac omni penè humanâ ope deſtitutos complexa fuerit, & quàm molta in eos beneficia contulerit; Quamobrem Emioentiſſimi Patres egregiam pietatem tuam maximis meritiſque laudibus proſecuti plurimas Tibi eo nomine meis hiſce litteris gratias agunt, parati etiam ejuſmodi beneficia peculiari beoevolentia, ſtudio, ac officiis pro opportonitate, rerumque tuarum exigentia rependere. Præterea iidem Emioentiſſimi Patres pium æquè, ac prudens conſilium tuum de ea Miſſione promovenda, de Sacrorum Operariorum numero multiplicando, ſubſidioque ſingulis anois angendo unanimi voto probâront, atque adeo novos in ea Regna Religioſos unà cum eodem P. Dominico mittunt, qui duodecim Miſſiooariorum numerum compleant, aſſignato pro eorundem ſuſtentatione ſubſidio annuo ſcutorum mille. Reliquum eſt, ut Amplit. Tua euodem P. Dominicum in illas tam remotas oras reducem, & Præfecti munere decoratum, pari ae antea benignitate cum Sociis excipias, valido Patrocinio tuo, directione, ac operâ juves; pro certo habens, nihil Te unquam Sacræ Congregatiooi gratiùs eſſe facturum, nec aliam fortè rationem inire poſſe, qua magis, non modò ejuſdem Sacræ Congregationis, ſed & Sanctiſſimi Domini Noſtri, qui de omnibus à Te geſtis in Apoſtolicorum Miſſionariorum levamen atque ſubſidium certior eſt factus, gratiam, favorem, & protectionem promerearis. Ego autem Amplitudini Tuæ ſummam ac diuturnam incolumitatem enixè precor.

Romæ 9. Januarii 1714.

Ex Arch. gen. Ord. Arm. Miſſio Thibeti.

NO-

N O T A.

Litteræ, quas Illuſtriſſimus Meliapurenſis Franciſcus Laynez, è Societate Jeſu, ad Sacram Congregationem dederat, ac ad quas eadem Sacra Congregatio præpoſitum remiſit reſponſum, fuerant complexûs ſequentis:

EMINENTISSIMI PATRES.

Poſtquam ſuperatis Gangetici fluminis verticibus Eccleſias mihi commiſſas canonica Viſitatione luſtraturus in hoc Bengalæ Regno penetravi, redeuntes vidi è Thibeti Miſſione, ultra hujus meæ Diœceſis terminos ad Orientem ſita, Patres aliquot Capucinos à Sacra Congregatione eò miſſos, quorum cum perſpectum mihi eſſet tum Religioſæ obſervantiæ, tum Divinæ gloriæ propagandæ ſtudium, quâ potui, charitate eos excepi, ac benevolentiâ complexus ſum. Cum verò ex iis nonnulli nunc in Europam trajecturi ſint, ut cum EE. VV. de rebus ad ſuam ipſorum Miſſionem pertinentibus conferant, mihi quoque, qui per annos non paucos pro modulo meo Miſſionarium egi, ad EE. VV. aliqua perſcribere viſum eſt, quæ juxta eam, quam oculis hauſi, vel idoneis teſtibus accepi, Regionis hujus notitiam ad proſequendam eam Miſſionem appoſita judicarem, atque ita non ſum veritus aliquali mea experientia uti, ut ferventi illi zelo obſecundarem, quo EE. VV. ad propagandam ubique Chriſti fidem, & diffundenda undequaque S. Evangelii lumina conſtantes invigilant. Liceat igitur tria vel quatuor puncta circa Thibeti Miſſionem EE. VV. inſinuare. Primum quidem, quando ſuperatæ jam ſunt immenſæ itinerum difficultates, Gentium illarum notitia comparata, cognita Regionis indoles, ne vitio noſtro aut incuriâ lætæ quidem meſſis ſpes minimè dubia evaneſcat, Miſſionis illius opus, quod ſubſidii defectu deſerere coacti ſunt Miſſionarii, ulteriùs, ac pro viribus promovendum eſſe exiſtimo. Deinde propter ipſius diſtantiam Miſſionis, quæ ab omnium Europæorum habitatione maximè diſiita eſt, competens Miſſionariorum numerus eò mitti, ac ſemper adeſſe debet, ut per intervalla diſtributi alii alios juvare, & ſibi mutuò opem aſſerre poſſint. Jam verò ſingulis Miſſionariis id, quod ad victum, ſubſtentationemque neceſſe fuerit, abundè providendum eſt, tum quod é pecuniis, quæ in Europa ſolvuntur, pars magna, vel cambii ratione, vel ipſa vectatione abſumitur, tum quod conſtans eſt Miſſionariorum omnium eſſatum, in nova præſertim Miſſione ita vivendum eſſe, ut nihil à Neophytis vel accipiatur, vel petatur, ne Miſſionarios religionis prætextu victum quæſituros Patriam deſeruiſſe Gentiles calumnientur. Et quoniam ſæpe accidit, ut propter exurgentia identidem inter Infideles bella, vel alia impedimenta itineris, ſubſidia eò tranſmittendi deſit occaſio, peropportunum videtur duorum vel etiam trium annorum ſubſidia ipſo initio Miſſionariis providere, ac deinde ſingulis omnino annis ſtatutam penſionem ipſis ſolvendam curare. Hæc ſunt, Eminentiſſimi Patres, quæ ad fidei inter gentes incrementum, & animarum ſalutem ſcribere coram Deo, mihi viſa ſunt. Qua occaſione ſingularem meum erga EE. VV. obſervantiam teſtatus SS. Sacrificiis meque, meumque gregem enixè commendo, & ad res omnes obſequii ſui exequendas paratiſſimum ſemper fore me profiteor.

EE. VV.

Bengalæ die 3. Decembris anni 1712.

Ex tract. ex præd. Arch.

Epiſcopus Meliapurenſis.

A' RR. Patribus Societatis Jeſu Miſſionem Thibetanam dimitti decernitur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda fide habitæ die 12. Decembris 1718.

REferente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino, Cardinali Franciſco Barberino, Sacra Congregatio inhærendo, ac confirmando Decreta aliàs edita ſub diebus 15. Januarii 1656., 28. Aprilis 1698., prima Martii, & 20. Septembris ſuperioris anni 1717. ſtatuit, & mandavit ſeriò, atque diſtrictè injungi, ac præcipi Patri Præpoſito Generali Societatis Jeſu, ut juxta ejuſmodi Decreta omnino dimittat Miſſiones in Regnis Thibet, utpote PP. Capucinis Italis diu jam aſſignatas: atque inde, quacumque dilatione, tergiverſatione, ac mo-

ra

ra ſublata, revocet, ac removeat ſuos Religioſos, qui ad eas excolendas Miſſiones inconſultâ Sacra Congregatione, imò, & contrà ejus Decreta ſe contulerunt.

Datum Romæ Die & Anno, quibus ſuprà.

Ex Areh. prædicto.

NOTA.

EXecuturus veneranda Sacræ Congregationis juſſa eo, quo par erat, ſtudio, Reverendiſſimus Pater Generalis Societatis Jeſu, dedit & repetiit litteras ſequentes, R. P. Hippolyto Deſideri ita inſcriptas:

Admodum Reverende Pater in Chriſto

Pax Chriſti.

Jam anno elapſo P. Provinciali Goæ ſcripſi, ut V. R. è Miſſionibus Thibeti revocaret, cum mihi ita à Sacra Congregatione de Propaganda fide fuerit ordinatum, ex eo, quod Miſſiones utriuſque Regni Thibeti PP. Capucinis cum excluſione cujuſcunque alterius Religionis fuerint concreditæ. Repetii & inculcavi hæc eadem mea juſſa hoc anno, tum dicto P. Provinciali, tum R. V. in meis reſponſoriis ad ſuas, Lisbonam jam miſſis, quatenus inde per viam ordinariam navium Goæ iſthuc dirigerentur.

Quantumvis de prompta hujus meæ diſpoſitionis executione dubitari non poſſit, nihilominus ex novo illuſtriſſimi D. Secretarii Congregationis de Propaganda fide impulſu, renovo hiſce meis, quæ per aliam viam ad R. V. diriguntur, eundem meum ordinem, eum plurimùm me urgeat executio juſſuum Sacræ Congregationis, præſertim ob Decreta 15. Januarii 1665. & 28. Aprilis 1698. emanata, quibus cavetur, ne ullus in locis, aliis Religionibus pro Miſſionibus aſſignatis, novam Miſſionem abſque expreſſa Sacræ Congregationis licentia fundet. Quando R. V. dedi licentiam ſe transferendi ad Regna Thibeti, aſſignatio hæc Miſſionum Thibeti facta à Sacra Congregatione Capucinis nota mihi non erat: imò à me fuit ſuppoſitum, quod, cum dicta Miſſio fuerit à noſtris Patribus fundata, & ab iis uſque ad annum 1650., quo ob perſecutionem fuerunt ejecti, culta, ab aliis non ampliùs fuerit reaperta; hinc V. R. novam hanc diſpoſitionem, à novis notitiis à Sacra Congregatione receptis provenientem non miretur, & hiſce meis receptis illico de iſta Miſſione diſcedere diſponat, cum merito, quod Eam coram Deo ob iter tam arduum in ſe ſuſceptum, & per cognitionem noſtræ S. Fidei cum ſolidis principiis & tanto zelo in memorato Regno promotam acquiſiviſſe confidimus, cui ſolicitam obedientiam Suæ Divinæ Majeſtati aceptiorem, quàm ſi omnia illa Regna ad fidem veram converteret, adjungat, & ſtatim me de executione hujus meæ diſpoſitionis informet, qui me SS. Sacrificiis, & orationibus ſuis commendo.

Romæ 16. Januarii 1719.

Servus in Chriſto
Michaël Angelus Tamburinus.

Loca, Domos & Hoſpitia per emptionem vel donationem tum in Regnis Thibeti, tum in Indiis Orientalibus à Miſſionariis Capucinis acquiſita, vel acquirenda ſub immediato Sedis Apoſtolicæ jure permanere decernitur.

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 12. Dec. 1718.

REferente Eminentiſs., & Reverendiſs. Dño D. Cardinali Franciſco Barberino, Sacra Congregatio decrevit, omnia & ſingula loca, Domos, & Hoſpitia hucuſque acquiſita, & acquirenda per emptionem, vel piorum benefactorum donationem, aut alio quovis titulo, à PP. Capucinis Italis Miſſionariis in Regnis Thibet, & aliis in Indiis Orientalibus, ac præcipuè in Oppidis Chandarnagor, & Patnà: præterea, quidquid aliud ipſis Miſſionariis relictum, donatum vel in eleemoſynam traditum fuerit, ab iiſdem proprio nomine poſſideri non poſſe; ſed omnia eſſe debere, & intelligi ſub immediata proprietate, & dominio Sedis Apoſtolicæ, quibus uti tantùm valeant dicti Patres Miſſionarii pro tempore, quo degunt in iis Regionibus.

bus. Id autem exprimendum eſſe in quibuſcumque ſcripturis, & contractibus per Syndicum ſæcularem catholicum, ſi haberi poſſit, faciendis tam privatim, quàm in publica forma, ſub pœna contra id agentes, ultrà alias inflictas in Extravagantibus: *Exiit qui ſeminat*, & *Exivi*; aliaſque in Decretis Sacrarum Congregationum expreſſas, privationis Officii, ac vocis activæ, & paſſivæ.

Datum Romæ die, & anno, quibus ſuprà.

Exempl. Auth. in Arch. prȩd.

Miſsioni à S. Congregatione mille ſcuta aſsignantur, ac horum diſtractio extra caſum expreſſum inhibetur.

Decretum Sac. Congreg. Generalis de Propaganda Fide habitȩ die 12. *Dec.* 1718.

REferente Eminentiſs. & Reverendiſs. Dño D. Cardinali Franciſco Barberino, Sacra Congregatio decrevit ſubminiſtranda eſſe pro hac unicâ vice tantùm Patri Procuratori Generali Capucinorum ſcuta mille monetæ Romanæ pro Miſſionibus, & Miſſionariis ejuſdem Ordinis in Regno Thibet, quæ tamen per Syndicum Sæcularem Catholicum, ſi haberi poſſit, in aliquo earundem Miſſionum loco cauto, ac tuto deponi, ac ſervari debeant; ita ut nullo modo, aut ſub quovis colore, ac prætextu diſtrahi, mutuari, ſeu negociari, etiam in minimo obulo, unquam poſſint, ſub pœna privationis Officii, atque etiam vocis activæ, & paſſivæ à contravenientibus incurrenda. Eadem tamen Sac. Cong. declaravit, poſſe permitti, ut eâdem pecuniæ ſumma, aut aliqua ejus parte P. Præfectus, ac Miſſionarii pro tempore uti tantùm valeant in caſu, quo annua ſubſidia, ac proviſiones aliàs à Sac. Congregatione aſsignatæ, & quotannis tranſmitti ſolitæ, aliquando in eas Regiones non petvenerint; ita tamen, ut in earumdem proviſionum adventu, eadem ſumma ſcutorum mille ſtatim, ac integrè per eoſdem PP. Miſſionarios compleatur, ac redintegretur, &, ut ſuprà, tutò deponatur: ejuſmodi redintegrationis, atque depoſiti publico aliquo, ac valido documento Romam ad Sacram Congregationem tranſmiſſo: quod & de hujus Decreti executione omnino, & quamprimum faciendum intelligatur.

Datum Romæ die, & anno, quibus ſuprà.

Exempl. Auth. in Arch. prȩd.

In Eccleſia Hoſpitii FF. Miſsionariorum loci Chandarnagor in Bengala officium & Miſſa propria tranſlationis Almæ Domûs Lauretanæ ab ipſis Miſsionariis, ac Miſſam ab omnibus quoque Sacerdotibus ad dictam Eccleſiam confluentibus celebrari indulgetur.

Chandernagor in Bengala.

REmiſſis à Sac. Congregatione de Propaganda Fide ad Sac. Rituum Congregationem enixis PP. Miſſionariorum Ordinis Capucinorum Loci Chandernagor in Bengala precibus, quibus pro extenſione Officii proprii, & Miſſæ Tranſlationis Almæ Domûs Lauretanæ, jam die 16. Septembris 1699. pro Univerſa Provincia Picena approbatæ humillimè ſupplicabatur, illiſque relatis; Sac. eadem Rit. Congregatio, attentis circumſtantiis, & ex ſpeciali gratia, officium, ut ſuprà, petitum à PP. Capucinis in ipſorum Eccleſia, & Hoſpitio ſub titulo B. M. V. Lauretanæ loci prædicti die 10. Decembris in feſto ipſius B. M. V. Lauretanæ impoſterum recitari, necnon Miſſam ejuſdem propriam ab omnibus Sacerdotibus ad illam confluentibus celebrari poſſe benignè indulſit, atque conceſsit die 14. Decembris 1720.

Autog. in Secret. S. Cong. Rit. reg. menſ. & anni prȩd. p. 187.

Humanitatem Regis Laſſæ in Miſsionarios Capucinos, & inclinum noſcendæ Catholicæ veritatis animum extollit, &, ut per omnes Imperii ſui regiones Catholicam Legem promulgari permittat, inſtat.

CLEMENS PAPA XII.

Illuſtris, ac potentiſſime Rex, ſalutem, & Lumen Gratiȩ.

MAgnam Nobis lætitiam attulit dilectus filius, Franciſcus Horatius à Penna, Religioſæ Capucinorum Societatis Alumnus, à quo Romam regreſſo diligenter edocti fuimus, Celſitudinem tuam ſingulari benevolentia ipſum, ſuoſque Apoſtolicos Miſsionarios excepiſſe, multiſque Regiæ benignitatis argumentis luculenter honeſtaſſe; Tantam verò in Te reperiſſe egregiæ virtutis indolem, atque

atque excelſam mentis ſagacitatem, ut expolita Celſitudini tuæ admiranda Chriſtianæ fidei myſteria, ſapientiſſimæ leges, morum diſciplina, mirificaque ad hominum cultum, moderandumve Imperium vitæ inſtituta, Te adeò ipſius laudem ſtatim commoverint. Quin & illectus ſplendidiſſima noſtræ Religionis ſpecie, quæ non præoccupatis ingeniis facilè patet, & Te plurimùm delectare viſus fuerit. Enim verò hac Tua in eoſdem Miſſionarios humanitate, noſcendæque veritatis inclinatione animum Tibi noſtrum ſuaviſſimo charitatis vinculo devinxiſti, idque Celſitudini Tuæ noſtris hiſce literis compertum reddere ſtatuimus, gratâ memoria profecturi, quidquid illis adhuc dederis Patrocinii, & in poſterum daturum, ſpem feciſſe libenter audivimus, quam ut alacriùs implendam ſuſcipias, ipſum Franciſcum Horatium, qui præclaris virtutibus magnam ſibi non minus à Nobis, quàm à Celſitudine Tua gratiam conciliavit, indulgentes deſiderio Tuo, redire ad Te juſſimus cum aliquot Ordinis ſui Sociis opem ipſi allaturis ad prædicandam, tradendamque ſubjectis Imperio tuo populis Evangelii veritatem, unde ſolùm ad ſempiternam felicitatem aditum patefieri, ac ſternī viam poſſe pro certo reputare debes. Illos, ut Regia authoritate munire, & eâ, quam hactenùs experti ſunt, beneficentiâ complecti velis, majorem in modum Te cupidiſſimè oramus, ac obteſtamur.

Quin autem noſtri Nos voti compotes facias, dubitare profectò non ſinit ingens, quæ hucuſque pervenit, fama præſtantiſſimi animi Tui, cùm præſertim Celſitudini Tuæ latere nequeat, nihil aliud, quàm ut Tuam, Tuæque Gentis immortalem ſalutem, de qua pro Apoſtolici noſtri miniſterii munere, pro Tuoque erga Catholicam Religionem ſtudio planè ſolliciti ſumus, præſtandam, curandamque annitamur, præclaros iſtos Viros ad iter adeo ſalebroſum aggrediendum Nos adegiſſe.

Hinc autem, ut uberior proveniat fructus, Celſitudinem Tuam, qua vi maxima poſſumus, hortamur, atque obſecramus, ut Regio Diplomate iis, quos iſthuc legamus, aliiſque deinceps Catholicæ Religionis Præconibus facultatem præbeas, liberè, apertèque non Laſſæ tantùm, in Domicilii tui Sede, ſed per omnes Imperii Tui regiones Evangelicam legem promulgandi; quam ſi ipſe profiteri, tuoque exemplo cæteros præire tandem inducas animum, lætitiæ noſtræ cumulum adderes: Et ſanè, cum Tibi tua gens plurimùm debeat mitiſſimo dominatu non parùm præſentis proſperitatis adepto, nihil ei tamen, ac Tibi dediſſe reputare debes, niſi hæc una ſalutis via ſempiternam Beatitudinem in tuto collocet, quam Celſitudini Tuæ incredibili, ac ſingulari ſtudio vehementer optamus.

Dat. Romæ die XXIV. Sept. MDCCXXXVIII.

Autog. in Arch. Secr. ad Principes *pag.* 271.

NOTA

REx Laſſæ Pontificiis hiſce litteris, nec non muneribus iis adjunctis ſe plurimùm devinctum agnoſcens, miſit alias litteras, munere pariter ſociatas, ad Summum Pontificem, quarum tenor erat, ut ſequitur:

Regi, qui condit & conſervat legem, gubernat amplam regionem Europæam verſùs meridiem, & qui omnes Viatores ad feſta & gaudia immenſa, & interminabilia ducit.

Corpus veſtrum reſplendet haud aliter ac altiſſimus mons Ricoulnumbo, qui à longè ad inſtar ſolis & lunæ radiat. Sicut lex veſtra omnibus viventibus ſuggerit pacem, ita & Nos illam gullave feciſtis, tranſmittendo Nobis per Lamam, veſtrum ſubditum, tum litteras, tum plura dona mirabilia inſimul cum incomparabili imagine veſtra, egregiè depicta, & alia ex auro confecta; quæ omnia cum ad Nos ſalva pervenerint, cor noſtrum majore affecerunt gaudio. Nos quoque recognoſcentes pro Patre & Matre omne Vivens, omnibus beneface re ſtudemus, præſertim autem Vobis, & veſtris ſubditis, quos cum prædictis muneribus gaudentes excepimus, cor vivum & optimum iis debemus, cum ex regione longinqua, per vias abſtruſas, & abſque intentione negotiandi, ſed ſolùm ob finem legis ad Nos pervenerint. Lama (Præfectus) *legem docere, & Medicus* (alius Miſſionarius) *viventes ab infirmitate liberare ſtudent. Verè magnus, optimus, & mirabilis eſt veſter zelus, dum ad hunc finem abſque intuitu tot laborum, & periculorum, quæ in itinere tam longo ſufferre neceſſum eſt, hujuſmodi homines ad Nos ablegatis. Quemadmodum vaſta hæc regio totum mundi pondus regit, ita Vos omnium Viventium onus portatis, quod ſtupore, laude, & gratiarum actione dignum eſt. Lama veſter, Medicus, ſicut & alii, qui in Thibeto cunctantur, & ad Chinenſes, & alia loca ſe extendunt, aliud non quærunt & ambiunt, quàm ut omnibus bene faciant Viventibus; hinc & Nos eos adjuvamus, & ne ullum damnum, vel contrarietatem ſufferant, iis publi-*

cum noſtrum Diploma dedimus, & proin deſiderium ſpei veſtræ complevimus. In quantum ad propagationem legis, illiuſque executionem cum diverſus ſit credendi modus in Viventibus, ſolitum non eſt, ut lege noſtra ullius fidei proferibatur, vel ut ullus ad alterius legis tranſitum violenter cogatur, cum hoc aliud non eſſet, quàm Viventes torquere; Nihilominus ſi qui reperiantur, credentes in legem Dei veri, bancque profiteri & exequi velint, à Nobis nec impedientur, nec iis id prohibebitur. Et quantumvis inter Regna noſtra unum ab altero multùm diſſet, oportet tamen vicinos nos eſſe corde, & litteris continuò ablegandi.

Munus quod Vobis mittimus, conſiſtit in quinque laminis auri mineralis, petio panni auro intexti ex China, centum crumenis moſchi, foliis chartæ Thibetanæ &c.

Hanc Epiſtolam Vobis offerimus ex magno Palatio Regio Laſſæ, die meritorio menſis & anni avis Ferri (ideſt 11. Octob. 1741.

Diploma immunitatis, quod in Regiis hiſce litteris, Patribus Miſſionariis jam prævie datum fuiſſe refertur, fuit tenoris ſequentis:

Nos Mivogn, Rex Thibeti mandamus univerſaliter omnibus hominibus; qui ſub ſole ſunt, & particulariter omnibus Miniſtris Laſſæ, Capitibus hominum, Capitibus 100. hominum, Capitibus decem hominum, Capitibus Tartarorum, & omnibus parvis & grandibus, Miniſtris Nemor, Gnalep, Cirtagn, omnibus Fortalitiorum & Provinciarum Gubernatoribus, omnibus Gubernatoribus multorum Caſtellorum, Gubernatoribus ſubordinatis, & Nobilibus, privilegiatis, & omnibus aliis Potentibus, & minus Potentibus, ut nullus veſtrûm Patres Europæi, Religionis Capucinorum appellatæ, ſeu Lamas Gochar (id eſt, Sacerdotes inferiores) *qui cum aliis, ad quærenda propria commoda huc venientibus, partem non habent, nec ad faciendo negotia, ſeu mercimonia, ſed unicè ad beneficiendum omnibus, & ad Nos in operibus verorum Sanctorum docendos, ad omnes per viam veram Paradiſi ducendos, ad ſubditos in vera obedientia erga ſuum Regem & Miniſtros inſtruendos, & ad legem veri Dei, id eſt, legem Evangelicam, prædicandam & propagandam huc venerunt, ab executione præſentis privilegii impedire præſumat. Summus Pontifex, vel Magnus & Supremus horum Patrum Lama, haud aliter ac Pater amore plenus, omnes homines compaſſione & amore proſequitur, & ideo ad eos à via inferni abducendos, & econtra ad eos in ſemitam æternæ & immenſæ gloriæ Paradiſi dirigendos, non attentis quaſi immenſis expenſis, ad omnia Regna, quantùm poſſibile eſt, Prædicatores veræ legis ablegat, & ad hunc quoque ſolum finem, non ex alio motivo, eos ad hoc quoque noſtrum Regnum miſit. Hinc omnibus hiſce Patribus, Europæis nuncupatis, ſeu Sacerdotibus parvis, & omnibus illis, qui deinceps huc pertingent, Sigillum noſtrum pro ſemper damus & concedimus, legem veri Dei prædicandi & propagandi, & quidem liberè, manifeſtè, publicè, non ſolùm in Civitate Laſſæ, ſed etiam in toto Thibeti Regno, in omnibus & quibuſcunque locis, omnibus, & cujuslibet conditionis Perſonis, ſive Religioſis ſive Jacularibus. Et in hunc finem vobis omnibus ſupradictis generaliter, Potentibus & minus Potentibus, & particulariter Chinenſibus, Tartaris, Hor, & omnibus aliis ſive Religioſis ſive Jacularibus mandamus, ne ullus eos impedire attentet. Et ſi qui lumine veri Dei in corde ſuo, ad veram legem amplectendam illuminati, hanc liberè, & propria voluntate & arbitrio amplecti deſiderant, & opere amplectentur, Vos omnes ſupradicti non præſumatis illos deſuper impedire: nullus veſtrûm eos turbet, vel iis veram legem obſervare inhibeat. Notum inſuper Vobis omnibus ſupradictis facimus, quod omnes, qui hanc veram legem ſequentur, & obſervabunt, à Nobis, magis quàm prius, ceu fideliſſimi ſubditi ſint recipiendi, omneſque illos, ſicut & ipſos veræ legis Prædicatores, ſeu Miſſionarios Apoſtolicos defendemus, cuſtodiemus, & ſub noſtra particulari protectione habemus & habebimus. Nec præſumite facere rem minimam, quæ præbeat materiam ſeu occaſionem illos inquietandi, ſed illos ſua quiete frui quilibet ſinat. Vos omnes ſupradicti haſce litteras vobis bene imprimite. Datum ex Caden Chagſar, Reſidentiæ Triumphatoris omnium partium, anno avis ferreæ 30. ſeptimi menſis* (juxta nos 7. Septembris 1741.

Exemp. tum epiſt. tum diplom. in Arch. Gen. Ord. Arm. Miſſio Thibeti.

Vices

Vices gerenti Magni Lamæ de eximiis naturæ dotibus applaudit, Fr. Horatium à Penna, Miſsionis Præfectum, cum Sociis redeuntem, ac libertatem Evangelicæ prædicationis commendat.

A' tergo. *Magnifico Viro, Vices Magni Lamæ gerenti in Regno Thibet.*

CLEMENS PAPA XII.

Magnifice Vir, ſalutem, & lumen Divinæ Gratiæ.

EA multa de Tuo erga ſe, ſuoſque ſocios Apoſtolicos Miſsionarios benevolo ſtudio, ac voluntate Nobis retulit dilectus filius, Franciſcus Horatius à Penna, Religioſæ Capucinorum familiæ Alumnus, quæ maximam Tibi à Nobis gratiam comparârunt, gratiſſimamque Tui Nominis memoriam apud Nos perpetuò non permanſuram dubitare non ſinunt; Qua de re noſtris quoque literis certiſsimum teſtimonium Tibi reddere æquum duximus. Simul verò ingenti Nos gaudio perfudit narrata ſagaciſsimi Tui ingenii præſtantia, ac docilitas, quibus internoſcere Tibi licuit Catholicæ noſtræ Religionis ſplendentiſsimam lucem, & veritatem amare, inſuper ac magis æſtimare traditam ab ipſa morum diſciplinam graviſsimam, ſanctiſsimaſque vivendi leges, unde hominum genus ad animi tranquillitatem, & ad fortunæ caſus pacificè ferendos inſtitui queat. Quæ quidem Tibi vel ipſa docente natura, atque indito purgatis mentibus recti, bonique ſemine ſe prodidiſſe arbitramur.

Intelligimus enim Te ad honeſtatem, & virtutis cultum naturali inſtinctu, ac veſtræ Religionis documentis plurimùm propendere; quocirca non inani ducimur ſpe, Summi Dei miſeratione illuc tandem Te adductum iri, ut apertè conſpicias, non alium patere aditum ad ſempiternæ vitæ felicitatem, quàm Evangelii doctrinam ſectando, quo veſtris inſtitutis non parum accedere videamini; idque, ut agendum Tibi proponas, Tuoque exemplo, atque authoritate frequentiſsimos populos, quibus ſumma laude præes Sacrorum Imperio Tecum perductos, hoc omnium maximè inſigni, ac perneceſſario beneficio cumules Te hortamur, quod ſcilè eventurum putamus, ſi eidem dilecto filio, Franciſco Horatio, ejuſque ſociis veniam dederis ubique veſtrarum Gentium Chriſtiana Dogmata promulgandi.

Idcirco ſiquidem illos Tui, omniumque veſtrûm amantiſsimos ad vos difficillimo, & longo itinere redire juſsimus, Tuæ fidentes erga ipſos comperiæ benevolentiæ, nec abhorrenti à noſtris legibus voluntati; ad reliquam tuæ dignitatis gloriam hanc omnium ampliſsimam ut addas, utque Miſsionarios noſtros benignè excipiss, vehementer obteſtamur, implorantes Tibi ad tantum opus Divinæ Gratiæ præſidium.

Dat. Romæ die XXIV. Sept. MDCCXXXVIII. *Ex Areh. Secr. Brev.* ad Principes *pag.* 275.

NOTA

AD haſce litteras reſpondit Summo Pontifici Lama; uti ſequitur:

Clementi XII. Pontifici nuncupato, qui terram, vel Regnum Romæ pacificè gubernat, præſentes litteras offere.

Occaſione, quâ ad Regnum Thibeti Patres Europæos vocatos, Religionis dictæ Capucinorum, miſiſtis, hi Nobis præſentârunt veſtras litteras in forma Brevis; & munus, conſiſtens in vitris ad modum trianguli iridem formantibus, corona ex ambra, una criſta ex vitro in argento cum duodecim lapidibus fictis ligata, in octo vaſculis chryſtalli, parvis & magnis, in teloſcopio magno ac optimo, in 4. aliis teloſcopiis minoribus diverſis, in ſex paribus perſpicillorum diverſorum, duobus vitris multiplicationis, ſpeculo parvo, in chryſtalla, argento ligato, quæ accenditur ignis, & litteræ redduntur majores, 4. duodenis globorum cum lapidibus ex vitro coloris cærulei, capſa cum diverſis medicinæ ampullis, petio coralli, ſerto ex coralli, tribus ſigillis, 12. cultellis ſcriptoriis, in 3. paribus forbicum, in duobus theeis acuum ex chore, ſerico ornatæ, in multis acieulis, imagine cujuſdam Lamæ, vel Cardinalis affabrè depicta; ſtatua Papæ ex ambra, crumenâ acu phrygio variata, duobus vaſibus pro conſervanda thèe, uno ex aurichalco deaurata, & altera ex argenta Auguſtano, horologio ex aurichalco cum pondere, imaginibus omnium Paparum, Imperatorum, Regum Franciæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Magnorum Magiſtrorum Melitenſium impreſſis, chartis geographicis, 8. iconibus Germaniæ inciſis, variis quinternis chartæ Europææ, ſtatua equi cum conchylio ex petra, libro marmoris nigri, petio telæ ex lino, duabus tubis in modum theatri, 2. pixidibus ex metalla gemmato, numiſmate argento cum effigie Papæ &c.

Quod attinet ad gubernium Regni, qualecunque illud ſit, requiritur pax & tranquillitas

litas illius totius. Accepi, quod veſtra eſſentia & incomparabilis potentia, copioſiſſima merita, glorioſæ ac ſublimes virtutes, optimque animi propenſio conſiſtant tum in amore, quo omnes proſequimini, tum in miſſione aliorum, ut operentur bonum, quod verè optimum eſt regimen. Qualecunque ſit infinitum & utile, ſi eo gaudeant viatores, qui ſunt quaſi innumerabiles, & ſi ibi omnes maneant in pace, laude dignum eſt.

Hinc ſicut propenſus affectus vos commovit ad mittendas litteras, ita, ut deinceps idem ſequatur, opto. Repeto noviter, quod efficere, ut Regnum conſiſtat in pace, ſit actio laude digna, præſertim ſi & cor in tam excellenti opera ſtabiliatur. Et quantumvis planities, montes, & Maria Vos & Nos diſjungant, cor tamen amicitiæ à Nobis non elongatur, hinc ulterius veſtra digna dictamina patefacite.

Noſtrum munus in velo ſerici albi, in 5. laminis auri mineralis, in corona ex lazulo, duobus velis flammantibus, 3. petiis auro laciniatis ex China &c. conſiſtit.

Datum in die optimo meriti primi menſis autumni, Stellæ Trumthò, anno terribili Avis Ferreæ (id eſt 7. Octob. 1741.)

Exempl. in Arch. & Armario prædicto.

Archiepiſcopo S. Dominici pro Miſſionum Thibeti &c. ſubſidio, eleemoſynæ collectionem commendat.

A' tergo. *Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Sancti Dominici.*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AB inita Apoſtoliea ſervitute, quam, impares licèt viribus, in hac ſuprema ſede locati, Domino Deo ſervire annitimur, magna Nos augit ſolicitudo proferendi Evangelicæ veritatis lumen in tantam terrarum partem, ſacrilego inſanientem Idolorum cultu, quantam latiſſimæ Thibeti, Sinarum, Mogolis, finitimæque Provineiæ tenent. Quæ quidem ſolicitudo nuper incrementum accepit, certiſſimis nuntiis ad Nos perlatis, jam tandem in Thibetum, gentis indole, Regis docilitate, facilî complurium falſæ Religionis moderatorum ingenio pandi viam, qua illuc Sanctiſſima noſtra Fides induci, innumerique populi æterna ſalus curari poſſit. Cum autem inſigne iſtud pietatis opus pro alendis Evangelicis Miſſionariis ingenti pecuniâ indigeat, nec proventus Sacræ huie Congregationi ad ipſam propagandam Fidem aſſignati, quamquam non mediocres, ſed nimis in tot Apoſtolicas Miſſiones diſtracti, ſatis non eſſent ad hoc ſumptuoſiſſimum ſaeinus aggrediendum, Miſerieors & Miſerator Dominus ejuſdem Sacræ Congregationis inſtauravit ſupplevitque vires, ipſi legatâ grandi pecunia, quæ olim à Spinulis Genuenſibus eredita Catholico Regi, hujus celeberrimâ liberalitate nuncupatæ dudum Sacræ Congregationi perſolvenda modo eſt è Mexicano Cruciatæ Ærario, unde illa ad retinendos per ea loea Evangelii Præcones juxta leges ab ſe præſcriptas, patrimonium, Nobis annuentibus, conſtituit. At verò, eum adhue non parum deſit ad ſummam, quę neceſſariò impendi debet, implendam, ad Fraternitatem tuam, reliquoſque Mexicani Regni Venerabiles Fratres Epiſcopos animum, & curam convertimus, quæ Vobis primùm, deinde veſtro exemplo atque hortationibus ſingularum Diœceſium Gregi, auri argentique divitiis affluenti, ſuaſura videtur, ut piis eleemoſynis huie penitus ſaluberrimo negotio conficiendo opem ferendam cenſeatis. Ad hanc implorandam, Te adire, tuamque Diœceſim, conſcio inclyto Rege, peragrare juſimus alterum è religioſa Capucinorum Familia, qui Tibi has litteras reddet; & ei, quicquam enllegerit, bene creditum ſuiſſe exiſtimare debes. Quamquam ſupervacaneum dueimus, eximiæ virtutis Antiſtitem, qualis ipſe, rumore nuntio, apud Nos perhiberis, ad miſerieordiam excitare, & urgere, ſua ſponte & Epiſcopalis officii monitu in miſerorum quærendam ſalutem propenſum inclinatumque. Nobis tamen pro paterna in univerſum mortalium genus charitate temperare non poſſumus, quin à Fraternitate tua incredibili ſtudio petamus, ut nullum in re tanti momenti facias tuæ liberalitatis modum, ſed apud Oves tuas amantiſſimas omni vi, conſilio, precibus, auctoritate contendas, ut largiùs in hujuſmodi Miſſionariorum ſacram Expeditionem effundant opes ſuas, magno ſic illas fœnore oceupatuti apud cœleſtem Mercatorem, qui, quo habet in pretio hominum ſalutem, oſtendit, quòd illam immenſo ſui ſanguinis pretio redemit. Ad uniuſcujuſque verò expendendum æſtimandumque contribuli auxiliî meritum, Nobis renuntiari præcipimus, quicquid ex ſingulis Diœceſibus contractum fuerit; et præcipuam gratiam habituri, plurimùmque Pontificiæ benignitatis collaturi, cui plus hujuſce pii

Ope-

Operis conſtitutio debuerit. Quam quidem prærogativam abs Te libenter quæſitum iri, ominamur, & in hujuſmodi Auſpicium Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XI. Aprilis MDCCXXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni prſd. fol.*429.

NOTA.

EOdem exemplo ſuit idem collectæ negotium commendatum Illuſtriſſimis Epiſcopis Guatimalæ, Guadalaxaræ, Durangi, Nicaragnæ, Antequerenſi, Mechoacano, Meridiè Yucataniæ, Sanctæ Fidei, S. Jacobi de Cuba, Chiappenſi, Angelopolitano, Venezolano, Sancti Joannis de Portu Rivite, Veræ pacis &c.

Capucinos quatuor in Mexicum ad colligendam pro Miſsione Thibetana &c. ſtipem ablegatos Archiepiſcopi benignitati denuo commendat.

A' tergo. *Vener. Fratri, Archiepiſcopo Mexici*

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUamquam jam antea Fraternitati Tuæ diligenter commendavimus quatuor Capucinos Fratres, quos cum bonâ Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Catholici Regis veniâ in Mexicum dimittimus, ad exorandas pias eleemoſynas à Venerabilibus ejuſdem Regionis Fratribus Epiſcopis, eorumque Diœceſanis, quæ conſtituendum ſacrarum in Thibeto, Sinis, Mogole, finitimiſque Provinciis Miſſionum patrimonium amplificare debent, ut nuper Tibi renuntiavimus; iiſdem tamen Capucinis Sociis ab Europa nunc diſcedentibus dare iterum ad Te litteras, animum libenter induximus, ut repetita commendatione luculentiùs intelligas, Nos Tibi acceptum relaturos, quicquid in eos tuæ benignitatis conferis, & quantum facilitatis è conſilio auctoritateque tua ipſis obvenerit ad tantæ utilitatis tantique momenti negotium iſtud gerendum. Eorumdem Tibi nomina recenſemus, ſcilicet Joachim à Barcinone, Paulus Maria à Matelica, Antonius à Bertonico, Quartus à dilecto Filio noſtro Cardinali de Molina deſignabitur. Hac autem in re nihil aliud à Fraternitate tua expectamus, quàm quod ab eximio tuo in Nos Romanamque Sedem obſequio uſuvenire promptè ad obediendum animi ſolet; cui quidem ſingulari benevolentiâ reſpondentes, Tibi, Venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV. Aprilis MDCCXXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni prſd. fol.*429.

In caſu mortis Archiepiſcopi Mexici, Capucini prædicti Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ibidem pro eodem fine commendantur.

A'tergo. *Dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Mexici.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm in remotiſſimam expeditionem iſtuc mittamus quatuor Capucinorum Familiæ Alumnos, ut à Mexicanis Epiſcopis, eorumque Diœceſibus, conſciâ & annuente Catholici Regis Majeſtate, pias eleemoſynas colligant ad Sacras Miſſiones per Thibetum, Sinas, Mogolem, finitimaſque Provincias alendas, evenire poteſt (quod omen Deus avertat) ut Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum veſtrum, cui illos diligentiſſimè commendavimus, è vivis ereptum inveniant; hoc uno eventu, & non aliter, eoſdem Capucinos ad Vos noſtris hiſce litteris ablegamus, ut ad impoſitum ipſis negotium promptè ac feliciter conficiendum ope veſtra juvetis, rem ita facturi Nobis præter modum gratiſſimam: Ii ſunt Joachim à Barcinone, Paulus Maria à Matelica, Antonius à Bertonico

tonico, Quartus à Dilecto Filio noſtro Cardinali de Molina deſignabitur; quos quidem ita Vos benignitate veſtra proſequuturos non dubitamus, ut intelligant, eommendationem noſtram ſibi maximæ fuiſſe utilitatis. Atque Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Aprilis MDCCXXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni prꝛd. fol.* 435.

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

In Eccleſia Miſsionis loci de Chandernagor fundatas diviſim duas Miſſas perpetuas acceptari, à Syndico Apoſtolico nomine Sanctæ Sedis fundum pecuniarum inveſtiri, fructuſque annuos Miſsionariis eleemoſynaliter præſtari ratihabetur, ac hiſce, contractibus deſuper faciendis ſeſe immiſcere prohibetur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitꝛ die 5. *Septembris* 1740.

RElato per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dom. Cardinalem Petra, Prætectum, libello ſuppliei P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capucinorum, quo exponebatur P. Franciſcum Horatium à Pinna de Byliis, Apoſtolicarum Miſſionum in Regno Thibet Præfectum, eidem P. Procuratori ſignificâſſe, quemdam Laurentium Agami vigore ultimi ſui, ſub quo decceſſerat, teſtamenti, mandâſſe, quod in Eccleſia eorumdem Fratrum Capucinorum Miſſionis loci de Chandernagor erigi deberet Sacellum ſub titulo Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, relicta dote Rupiarum 40. monetæ illius Regionis (quarum quamlibet reſponderi aſſeritur valori juliorum quatnor monetæ Romanæ) ad effectum eos inveſtiendi, & pereipiendi fructus, qui juxta morem illarum partium aſcendere ſolent ad octo, novem, & etiam decimum pro quolibet centenario, eum onere unius Miſſæ ſingulis annis in perpetuum die feſto ejuſdem Immaculatæ Conceptionis, in ſuffragium Animæ ipſius Teſtatoris celebrandæ; necnon, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, adeſſe quamdam Nobilem Mulierem Anglicæ Nationis, quæ relinquere intendebat iiſdem Fratribus Capucinis ejuſdem Miſſionis ſortem, ſeu fundum Rupiarum trium millium, & quingentarum eum onere unius Miſſæ quotidianæ perpetuæ. Quamobrem per præfatos Fratres Capucinos ſupplices porrigebantur preces pro facultate aeceptandi dicta reſpectiva onera, & legata, eique inveſtiendi ad eorum favorem &c.

RESCRIPTUM.

Conſulendum Sanctiſsimo pro conceſſione petiti Beneplaciti eum ſequentibus conditionibus, & non aliter, nec alio modo, videlicet, ut Syndicus Apoſtolicus Fratrum Capucinorum, qui ſit Catholicus, nomine Sanctitatis Suæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, de quibus agitur, inveſtiat juxta uſum Regionis, fructuſque eleemoſynaliter præſtet Fratribus Capucinis pro tempore Miſsionariis quolibet anno, eis injungendo eelebrationem dictarum Miſſarum juxta prædictas pias diſpoſitiones; necnon inſeratur in quibuſcumque Scripturis, & Contractibus faciendis ab eodem Syndico hoc Indultum, nec ullo modo interveniant Fratres Capucini, ut ineapaces, in vim Conſtitutionum, & Regulæ, ac Decretorum Sacræ Congregationis, ſub pœnis contra eos aliter facientes in dictis diſpoſitionibus Apoſtolicis.

Ex Audientia Sanctiſſimi habita per eundem Eminentiſſimum Dominum die 29. *ejuſdem* = Sanctiſsimus annuit.

Extract. ex Actis Sac. Congregationis de Propaganda Fide de anno 1740. *pag.* 131 *num.* 40.

Vocanti ad Regnum ſuum Regi Batgao Miſſionarios Capucinos, jam ſatisfactum renuntiat, eidemque liberam fidei Catholicæ prædicationem commendat.

A' tergo. *Illuſtri ac Potentiſsimo Regi Batgao*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illuſtrir, & Potentiſsime Rex ſalutem, & lumen Divinꝛ Gratiꝛ.

A' Dilecto Filio, Vito Recinetenſi, Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum fau-

fauſtus nuntius ad Nos pervenit, optare Celſitudinem Tuam, ut aliquot ex ea Religioſa Familia iſthuc ire, & in Regno Tuo commorari jubeamus, qui populos imperio tuo ſubjectos, Chriſtianam Fidem edoceant, dirigantque in viam ſalutis æternæ, quæ una à Sapiente Viro quærenda eſt, & haberi in deſiderio debet. Hinc enimverò cognovimus Celſitudinem Tuam prudentiſſimi ingenii vi pollere, conſiliique ſagacitate. Cum enim Civium tuorum felicitas expetenda Tibi ſit, maximèque curaudum, ut eos penitus tuæ voluntati obnoxios habeas, promptaque obedientiâ morigeros, aliam nullam in totò Orbe Terrarum Religionem invenies, quæ Regibus, eorumque Magiſtratibus majori ſeveritate parere jubeat, quæque implacabile magis bellum indicat vitiis omnibus, unde humana ſocietas, velut peſtifero veneno imbuta, quàm maximè labefactatur. Hue ſiquidem ſpectant tradita Nobis à Supremo Cœli Terræque Domino, noſtræ Sanctiſſimæ Religionis Auctore, agendæ vitæ præcepta, ſervata utique diligenter.

Itaque pro noſtra in univerſum genus hominum charitate, pro tuaque in Miſſionarios noſtros benevolentia libenter mandavimus, ut aliqui ex eodem Capucinorum Cœtu ſtatim ad vos iter arripiant, ferantque in veſtras Orientis partes Divinæ ſcientiæ lumen, ac ſternant tuæ genti facilem, munitamque viam ad Cœleſtem Patriam, & ad gaudium ſempiternum. Utinam verò Ipſe, qui Regio aſſenſu permittis Miſſionariis noſtris, unâ commotis charitate in id ſuo labore, ſua pecunia, tantoque per maris, terræque immenſa ſpatia, vitæ ſuæ diſcrimine, ſedulam navare operam, exemplo præire velis ſubditæ Tibi gentis docilitatem! Nihil profectò Nobis jucundiùs, Tibi ſalubriùs evenire poſſet. In hujuſmodi ſpem Nos adducit data tuis litteris fides, eoſdem Miſſionarios Regiæ auctoritatis præſidio ſultum iri, & liberum fore per tuum Regnum Chriſtianam Doctrinam palam prædicare, eamque amplecti nullo impedimento. Qua de re ampliſſimas Celſitudini Tuæ agimus grates, Deumque idcirco Bonorum omnium Auctorem aſſiduo ſtudio ſollicitè obſecrabimus, ut Tibi ſuo numine propitius adſit, Teque omni cumulet proſperitate.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Maji MDCCXLII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Ex tomo 1. *Bullarii Bened. XIV. pag.* 163.

NOTA.

CUm P. Vitus, Superior Miſſionum Regni Nepal, ſuperiùs relatus, Gentiles Regni Battgao dociles reperiret, adverteretque, plures eorum ex timore perdendæ ſuæ ſubſtantiæ temporaneæ, ab amplexu Fidei Catholicæ impediri, anno 1740. eorum Regi ſupplicavit, quatenus ſubditos ſuos, quos ad gremium Eccleſiæ Romanæ tranſire contingeret, à nullo moleſtari, publico Dnemento caveret: qui & votis annuit, & edidit ſub 28. Novembris 1740. Decretum, cujus ſenſus & explicatio hæc eſt:

Nos Ziervanegitta Malla, Rex Battgao in Nepal, vigore præſentium impertimur licentiam omnibus Patribus Europæis prædicandi, docendi, & ducendi ad eorum Religionem populum Nobis ſubjectum, ſimulque permittimus ſubditis noſtris, Legem Patrum Europæorum amplexari, quin de moleſtiis vel à Nobis, vel Regni noſtri Gubernatoribus ſibi inferendis timeant. Nec ipſi Patres ullo à Nobis afficientur faſtidio, nec in eorum impedientur Miniſterio. Omnia hæc autem fiant ſine violentia, & cum pura & libera voluntate.

Ita eſt.

Caſinat Doctor fuit Scriba.
Criſnanſnigh Gubernator Generalis id confirmat.
Biſorage Magnus Sacerdos confirmat & approbat.
Datum in Nepal anno 861. *menſe Marggſio. Bona dies. Salus.*

Regii hujus Decreti, quod ſcribendæ ſuperioris Pontificiæ Epiſtolæ anſam præbuit, Autographum ipſi Summo Pontifici traditum eſt, reperiturque illius Apographum in Archivo Generali Ordinis, *Armario prædicto.*

Con-

Conſilium Fidei Catholicæ à Rege Bittiæ acceptandæ, necnon petitionem Miſſionariorum Capucinorum laudat, & Regio, quoad hos, voto jam ſatisfactum eſſe renuntiat.

A' tergo. *Illuſtri, & Potentiſſima Regi Bittię*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illuſtris, & Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen Divinę Gratię.

LItteræ Celſitudinis Tuæ, quas Dilectus Filius, Vitus Reciocteníis, è Sacro Franciſcanorum Capucinorum Ordine repræſentandas Nobis curavit, mirificè exhilarârunt animum noſtrum, eumque Tibi ſummoperè obſtrinxerunt. Dum enim poſtulas erudiri in Chriſtiana Doctrina populos Imperio Tuo ſubjectos, atque ideirco apud vos ſua Regia protectione diverſari Miſſionarios Capucinos, ingenti Nos lætitia affeciſti, quippe quibus pro cõmiſſa humilitati noſtræ ſuprema Eccleſiæ poteſtate, quammaximè cordi eſt univerſum hominum genus æternam conſequi felicitatem, nec aliter fieri poſſit, quàm ſi Evangelica veritate imbuatur. Qua de re maximas Celſitudini Tuę gratias agimus, precamurque Deum Optimum Maximum, ut apertus abs Te ad Cives Tuos ejuſdem percipiendæ veritatis aditus, ampliſſimam Tibi, Tuoque Regno afferat felicitatem, eamque imprimis, ut veritas ipſa pateat oculis ſagaciſſimi animi tui, eam intelliges, id unum ſternere Tibi poſſe viam ad æternam ſalutem, & nihil ad retinendos in imperio ſuaviter populos, & ad vitiorum illecebras expelleodas magis conducere, ac Sacroſanctam Religionem noſtram, cujus inter præcipua præcepta illud eſt, ut Regibus & Magiſtratibus eximio ſtudio obediri debeat, & prorſus pura mente, atque inviolatis naturæ legibus vivendum ſit, undepax publica, quies, & honeſtum exſurgit otium. Quod, ut per Tuam Ditionem feliciter eveniat, juſſimus iſthic, ut rogas, degere aliquos Capucinos Miſſionarios, ac Te Auctore, Tuoque Regio præſidio in opus iſtud graviſſimum omnes curas, cogitationeſque intendere. Nec dubitamus, quin Celſitudo Tua ope ac patrocinio fovear ipſorum labores, qui nullo rerum humanarum præmio, ſed unâ ardentiſſima erga vos charitate, immenſa propemodum Terræ, Mariſque ſpatia emeoli, iſthuc Evangelii lucem diffundere ſuſceperunt. Hæc autem, ut & Celſitudini Tuæ fulgeat, & omni cumuleris proſperitate, vehemeoter cupimus, atque ominamur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Maji MOCCXLII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Ex Bull. & tomo præd. fol. 164.

N O T A

SEnſus & explicatio Epiſtolæ ad Summum Pontificem à Rege datæ, fuit ſequens:

Sum ſanus ego, &, ut Vos quoque bene valeatis, cupio. Ab aliquo tempore intellexi, quod Patres Miſſionarii fuerint miſſi, ut bonum in mundo operentur. Petii deſuper illuminari, & ideo illos ad meam vocavi præſentiam. Et cum totum eorum officium ad charitotem tendere mihi ſignificarent, meo ut in Regno commorentur, volui. At, cum ſe juſſa mea ſine Summi Pontificis ordine exequi non poſſe repoſuerint, ſupplico ideo huic Domino Summo Pontifici, quatenus, ut quis dictorum Patrum in meo perſiſtat Regno, curet, quod pro ſummo favore habebimus. Datum in Battia anno 184. *menſis Bufadabi.*

Snbſcriptio Regis.

Ita eſt.

Exemplar hujus & ſuperioris Regiæ Epiſtolæ in Archivo & Armario prædicto.

RESCRI-

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Commodum equitandi Miſſionariis omni meliori modo permittitur.

Beatiſſime Pater:

PRæfectus Miſſionariorum Capucinorum Thibeti ad pedes Sanctitatis Veſtræ proſtratus cum omni ſubmiſſione exponit; quod clauſula =*Quando urget neceſſitas*= in Decreto, quæ à Sacra Congregatione Miſſionariis in itinere uſus commodi potiùs, quàm levaminis, permittitur, expreſſa, ſæpius in conſcientiis Miſſionariorum ſcrupulos & perplexitates cauſet, cum, de qua neceſſitate dictum Decretum loquatur, non bene diſcernere poſſint, nam cum in neceſſitate gravi, præſente, & evidente, natura, & ipſa Regula à præcepto non equitandi diſpenſet, quin in talibus caſibus alia requiratur diſpenſatio, dictum Decretum de aliis neceſſitatibus ordinariis intelligi debere videtur, & hæ illæ ipſæ ſunt, quas Miſſionarii diſtinguere nequeunt, & pro quarum declaratione Sanctitati Veſtræ ſupplicatur. Regio iſta montibus aſperis, & ordinariè nivibus & glacie obductis abundat, & commoda, quæ aliàs ibi in uſu ſunt, rarò in itineribus reperiuntur, inde frequenter obtingit, ut, quando non eſt neceſſitas, adſit commodum, & quando in itineris progreſſu neceſſitas ſupervenit, commodum non ampliùs reperitur. Quapropter Præfectus & Miſſionarii prædicti, humillimè, ut ſuprà, proſtrati, pro majore conſcientiæ quiete Sanctitati Veſtræ pro declaratione cum paterna Pontificia Benedictione ſupplicant. Quam Deus &c.

Ex Audientia Sanctiſſimi die 28. Novembris 1742.

Sanctiſſimus attentis laboribus & incommodis, quæ Oratores ad exercendum Miſſionarii munus in Regionibus, de quibus in precibus, ob aëris aſperitatem, ac difficilia itinera, ſuſtinere tenentur, benignè eiſdem indulſit facultatem equitandi omni meliore modo, quem eis præſentabit occaſio, propter Miſſiones inibi pervagandas, & earumdem tempore durante, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

Ex Archivo & Armario prædicto:

In Oratorio Hoſpitii Miſſionariorum Bengalæ, abſque reſtrictione dierum ſeu feſtorum ſolemniorum celebrari indulget.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius, Horatius della Penna, Frater expreſſe profeſſus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, ipſe, qui (ut aſſerit) à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſita in Præfectum Fratrum Miſſionariorum ejuſdem Ordinis Sacris Miſſionibus in Regno Thibeti operam navantium deputatus reperitur, in quodam Oratorio ſub invocatione S. Mariæ Domûs Lauretanæ Hoſpitii Bengalæ Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium pro Chriſtifidelium ibidem degentium commoditate celebrari facere poſſe plurimùm deſideret. Nos ſpirituali ejus conſolationi in præmiſſis opportunè providere, dictumque Horatium ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine &c. inclinati, ut, accedente conſenſu Ordinarii loci, in privato Hoſpitii prædicti Oratorio ad hoc decenter muro extructo & ornato, ſeu extruendo & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium prius viſitando & approbando Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, per quemcunque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum ſæcularem, ſeu, de Superiorum ſuorum licentia, Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, in quorumcumque Chriſtifidelium, quos inibi adeſſe contigerit, præſentia celebrari facere liberè ac licitè poſſit & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Octobris MDCCXLVI. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni prædict.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Indultum ſa.mem. Pauli III. pro Neophytis Indiarum Occidentalium conceſſum, & ad recenter ad fidem converſos in China à Sac. Congregatione, circa feſtorum & jejuniorum obſervantiam extenſum, ad Miſſiones Thibetanas ampliatur.

Beatiſſime Pater.

PRæfectus & Miſſionarii Capucini Thibeti exponunt, quod attentâ ſummâ Thibetanorum miſeria, quam qualitas climatis, & ſterilitas terræ reddunt majorem, populus pro victu lucrifaciendo quotidie laborare neceſsitetur, & tamen hoc non obſtante, ob penuriam ciborum quadrageſimalium, & herbarum jejunia ab Eccleſia præcepta obſervare non poſſit. Hinc, ut tum feſta, tum vigiliæ dimiuantur, ſupplicant, haud aliter ac anno 1685. à Vicariis Apoſtolicis Chinæ, pro eadem gratia fuit ſupplicatum, ac à Sac. Congregatione de Propaganda Fide, fuit reſponſum, ut ſequitur: *Quoad petitionem, ut in locis dictis Vicariis Apoſtolicis ſubjectis eâdem indulgentia cum recenter ad fidem converſi poſſint uti circa jejuniorum & feſtorum obſervantiam, quo olim cum Neophytis in Indiis Occidentalibus ſa. me. Paulus III. uſus eſt Conſtitutione, quæ incipit:* Altitudo Divini Conſilii &c. *Datum apud S. Petrum* 1587. = *Ill. Domini annuerunt, additâ circa obſervantiam feſtorum die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.*

In Audientia Sanctiſſimi habita die 25. *Septembris* 1746.

Sanctiſſimus annuit ad formam reſolutionis Congregationis anni 1685.

Exempl. in Arch. Gener. Ord. Arm. Miſſio Thibetana.

P. Præfecto Miſſionum pro tempore Sacramentum Confirmationis cum præſcriptis conditionibus adminiſtrandi facultas conceditur.

A'tergo. *Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Præfecto Miſſionum Apoſtolicarum Thibeti nuncupatarum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu, qui (ut accepimus) Frater expreſsè profeſſus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, necnon Miſſionum Apoſtolicarum Thibeti nuncupatarum Præfectus exiſtis, facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis ex ſpeciali hujus Apoſtolicæ Sedis delegatione per Nos Tibi concedi plurimùm deſideres, attento, quod in diſtrictu tuæ Præfecturæ Epiſcopi Ritûs Catholici minimè reperiuntur, ideoque Catholici iſtarum partium Sacramento Confirmationis hujuſmodi privati remanent. Nos Te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, etiam dilecti Filii Ludovici à Taurino, Procuratoris & Commiſſarii Generalis dicti Ordinis, quem paternis complectimur affectibus, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ſeu pro tempore exiſtenti Miſſionum prædictarum Præfecto, ut ad viginti annos dumtaxat intra limites tuæ Miſsionis, ſeu Præfecturæ hujuſmodi, donec neceſsitas id poſtulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Epiſcopus in illis partibus habeatur, facultatem extraordinariam, ac poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujuſmodi, receptis Oleo & Chriſmate, etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ præfatę habentem, benedictis, iis, qui à Sacerdotibus Latinis Baptiſmum acceperunt, & ſeptimum ſaltem ſuę ætatis annum attigerunt, niſi fortè periculum mortis immineat, né ingraveſcente morbo ſine hoc Sacramento decedant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & de ſpeciali gratia delegamus. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Septembris MDCCLII. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo tertio.

Breve form. in Arch. Ord. Arm. prædicto.

MISSIO

MISSIO TUNETANA.

IN BARBARIA AFRICANA.

INter alia præclara primorum Chriſtianorum geſta ſingulari præconio Scriptores in Eccleſiæ faſtis extollunt illud pietatis ſtudium, quo zelo fidei, opera miſericordiæ, glorioſo conſortio junxerunt, &, dum illo cultum Sanctæ Crucis in Nationes propagare ſtuduerunt, hiſce fidei ſuæ conſortes, vel in captivitatem abductos, vel in carceribus detentos, vel in his & illa anguſtiatos, omni, quo poterant, compaſſionis officio ſolari contenderunt. Compulit illos ad hoc periculoſæ ſortis exercitium, tum titulus fraternitatis, quæ in iis cor unum, animamque unam, bonâ jucundâque habitatione effecerat, tum excelſa illa ratio, quam Divus Cyprianus *epiſtol. 61. pag. mihi* 146. ita commemorat = *In captivis Fratribus noſtris contemplandus eſt Chriſtus, & redimendus de periculo captivitatis, qui nos redemit de periculo mortis, ut, qui nos de Diaboli faucibus exuit, nunc ipſe, qui manet, & habitat in nobis, de barbarorum manibus exuatur* = Hinc & evênit, ut non ſolùm crebrior, ſed etiam ita frequens ad carceres videretur diſcurſus, ut teſte prædicto D. Cypriano *epiſt. 5. pag.* 10. moderamen in cautelam Chriſtianis ſui temporis præſcribi debuerit = *Ne ex hoc ipſo invidia conciteter, introeundi aditus denegetur, &, dum inſatiabiles multum volumus, totum perdamus* = Urſit alios charitas Chriſti eouſque, ut etiam animas ſuas ponerent pro amicis ſuis, Chriſtianis, ſeque hoſtiam ſervitutis pro iis ſiſterent, quod Clemens Romanus *epiſt. ad Corinth. 1. num. 55. pag. 76. tom. 1. coll. epiſt. Rom. Pontif. edit. Coutantii*, ita firmat = *Multos cognovimus è noſtris, qui ſeipſos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent* = Alii unita oratione Deum pro iis exorârunt, alii ſubſidia nummaria largiter contuletunt, ac omnes lachrymis & ſuſpiriis conſtantem in adverſitate animum iis exoptârunt.

Renovavit jam dudum miſerias Chriſtianorum naſcentis Eccleſiæ pars illa Barbariæ, quæ præter Regna Feſſanum, & Marochianum comprehendit & illa, Tripolitanum videlicet, Algerinum, & Tunetanum, in quibus ejulatus & gemitus Chriſtianorum cum ſtrepitu catenarum confuſi, non ſolùm non ceſſant, ſed quotidiani infortunii caſibus adaugentur, dum audax illorum locorum pyrata, libertate planè injuriosâ, maria pervagatur, novam ſemper Chriſtianam prædam compedibus ferreis onuſtam, & plerumque totius ſuæ fortunæ ſubſtantiâ ſpoliatam, ad ſua ergaſtula conducit, eamque inediâ maciatam ad laborem, æquè ex injuria verborum, ac ex ſtridore verberum crudelem, damnat. Tum ſpiritu naſcentis Eccleſiæ inceníi, tum ad Chriſtianas oras perſonantium lachrymarum echo excitati eò ſe contulerunt pluries Sacri Ordinis noſtri Fratres, vel, ut collecto nummo illorum redemptionem curarent, vel, ut hortatu patientiæ anguſtias illorum lenirent, vel, ut languentes in Fide confortarent, & liberioris vitæ vitio deditos, ad Chriſtianæ virtutis exempla reformarent. Præter FF. Petrum à Placentia, Ignatium Bononienſem, Angelum à Corleone &c. quos Apoſtolicæ litteræ infra dandæ commendant, Fr. Angelus à Formlivio ad Algerinas plagas ad redimendos ibi captivos ſub Sixto PP. V. ſeceſſit, quem & hoc munere, cujus ob vitæ integritatem, & morum præſtantiam dignior habebatur, *ſumma cum probitatis & prudentiæ laude* ſunctum eſſe Annales noſtri *tom. 2. pag* 175. commemorant. Cum & Fr. Ambroſius Mediolanenſis, ex illuſtri Familia Stampa ortus, & ob Soncinatis Marchionatum, quo in ſæculo fruebatur, *Soncinus* dictus, mortuâ Conjuge ſuâ, Aſcularis Principis Filiâ, ſelectaque inter nos humili ſede, Martyrii cupiditate flagraret, ac à Clemente VIII. pariter Algerium non tam ad prædicandum Evangelium, quàm ad Jubilæam Indulgentiam Chriſtiano populo ibi promulgandam anno 1600. deſtinatus fuiſſet, indefeſſè animarum lucro ibi inſudavit. Pertulit & ibi diutiùs carceris incomoda & inſultantis Turcæ cachinnos, ac tandem inopina paralyſi vitam perdidit, eâ quidem gloriâ, quam citatus Annalium *tomus 2. pag.* 664. cum litteris duorum Luſitanorum annexis recenſet, extenſam. Per tres quoque continuos annos Fr. Joan. Chryſoſtomus, Brixienſis, (ut alios ſileam) Tuneti animarum lucrum quæſivit, & vinctum, ac dejectum Chriſtianum in ſpem libertatis Filiorum Dei juxta Biblio hecam Scriptorum Ordinis noſtri *pag.* 144. *col.* 2. erexit. Non fuit tamen hic labor ibi aliter, quàm per tranſennam impenſus, & plerumque vel cum Fratrum hujuſmodi morte, vel eorum regreſſu ad Provincias, illius fructus terminatus. Stationem firmam acquiſivit Ordo per Miſſionem anno 1634. in Tabarcæ Inſula *tom. 2. Bullarii fol* 385. memoratâ, in mari mediterraneo, ac in ora Regni Algerini ſita, corallii piſcatione dive te, olim juri Illuſtriſſimæ Genuenſis Familiæ Lomellinæ ſubjecta, ac nunc ſub jugo ſervitutis barbaræ ingemiſcente conſtituram, ex qua ceu vicina, facilis noſtris Miſſionariis patebat aditus Tunetum ad panem conſolationis gementi & quærenti Chriſtiano frangendum.

Cum autem Miſſionem hanc pro more, vario contradictionum vento jactari contingeret, fuit (prout P. Mamachius *tom. 2. de orig. antiq. pag. 323. in not.* refert, *ceu non neceſſaria* ſuppreſſa. Revixit neceſſitas, ſeu procurandæ per noſtrates utilitatis fiducia anno 1672; hinc nova illorum ad Regnum Tunetanum facta fuit cum charactere Miſſionario expeditio, qui abſque Ordinis Præfecto Vicario Apoſtolico Algerii reſidenti ſubordinati manſerunt uſque ad annum 1685. quo Miſſio proprio Præfecto ex Ordine fuit inſignita.

Civit decor hic non ſemel Vicarium Apoſtolicum inter—& Præfectum in puncto juriſdictionis contrarietatem, Curiæ Romanæ conſuque tædioſam, ut ad tollendam omnem confuſionem, Præfectum Miſſionis à Vicario Apoſtolico deinceps in ſuum Pro-Vicarium Tuneti deputari, per Apoſtolicas litteras fuerit ſancitum. Viget hodiedum hæc Vaticana diſpoſitio, viretque eum ſpecioſo pacis fructu, quo exultantes Miſſionarii, in loco afflictionis & miſeriæ, ac inter gentem rapacem, & humanitatis expertem, ſpirituali curæ apoſtoli Chriſtiani naviter incumbunt, exercentque obligatum zelum, in Miſſione, impræſentiarum divertente ad Regnum Tunetanum, ſeu antiquam Carthaginem, Romæ in dominio mundi æmulam, & Annibalis, Terentii, Tertulliani, ac S. Cypriani, juxta Buffier *geograph. univerſ. pag. mihi* 283. Patriam, & ſubſiſtente de facto.

In Civitate Tunetana, loco Præfecturæ,
Civitate & portu Biſertâ
Portu Farinæ &c.

Fr. Petrum à Placentia, ab Archiconfraternitate Confalonis de Urbe, pro Captivorum redemptione Algerium, & ad alias Africæ partes ablegatum, variis facultatibus communit.

A' tergo. *Dilecto Filio, Petro Placentino, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Algerium, aliaſque ad partes Africæ nomine Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe. *Vide reſiduum tom. 2 Bullarii fol. 258.* cum nota de hujus Patris zelo ſubjuncta.

De fructu Evangelico Algerii collecto, Fr. Ignatio Bononienſi congaudet, eumque ad opus Dei ſtrenuè ibi agendum animat.

A' tergo. *Dilecto Filio, Fratri Ignatio de Bononia, Ordinis Capucinorum.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIbenter ex litteris Dilectionis tuæ ſecunda, & vigeſima Junii die Algerio datis cognovimus de tua ſalute, & de ſpirituali animarum fructu, quem Pater miſericordiarum Deus, in multis, ut ſcribis, per miniſterium tuum operatur. Benedictus Deus, qui Tibi in utroque homine vires præbet, ut afflictos & captivos iſtos conſolari poſſis in Domino, eoſque verbo Dei, & ſalutaribus Sacramentis reficere, ut non deficiant in tribulationibus & ærumnis ſuis, & quorum corpora ferreis catenis adſtringuntur, eorum animæ per Dei gratiam à peccatorum vinculis abſolvantur. Sic age, Fili, eſto magno animo, opus Dei agis, & ipſe Dominus, etiamſi ambulaveris in medio umbræ mortis, tecum erit, & deducet Te in viam pacis dextera ejus. Et Nos quoque Tui memores, tuique ſolliciti ſumus, Tibique, ut tantò fructuoſiùs labores, & captivis iſtis, ut calamitatem ſuam Chriſto juvante patienter perferant, & faciant cum tentatione proventum, noſtram Apoſtolicam benedictionem paterno affectu impartimur.

Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Auguſti MDCCI. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Ex Regeſto Epiſt. Clementis VIII. ad Principes *num. 46. fol. 249.*

Fr. Angelum à Corleone ad liberandos è captivitate Chriſtifideles Algerium iturum, Apoſtolica licentiâ communit.

A' ter-

A' tergo. *Dilecto Filio, Angelo à Corleone, FF. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX omnibus Chriſtianæ charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro, vel maximè placere credimus &c. *Reſiduum vide tom. 3. Bull. fol.* 147.

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

In Capellis Conſulum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervari non debere ſancitur.

Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 19. *Sept.* 1735.

PRopoſito per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum, Dominum Cardinalem Barberinum dubio = An permittendum ſit, quod in Capellis Conſularibus Civitatis Tuneti aſſervari poſſit aſſiduè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum? = Emi Patres, re maturè perpensâ, reſponderunt, & decreverunt *Negativè*.

Datum Romæ ex Ædibus ejuſdem Sac. Congregationis die & anno, quibus ſuprà.

Ex Regeſto Arch. Gener. Ord. anni 1735. *fol.* 89.

NOTA

SEquitur hæc particularis, ac ad Civitatem Tunetanam reſtricta Sacræ Congregationis reſolutio, alias deciſiones hac de re generaliter datas.

Pro quo tamen notari oportet, quod nec ex his, nec ex illa privilegium, ſeu indultum à Sancta Sede ſpecialiſſimè conceſſum infirmatum eſſe inferri poſſit aut debeat.

Fr. Antonium à Bertonico, Miſſionis Tunetanæ Præfectum, in Pro-Vicarium Generalem Tuneti à Vicario Apoſtolico Algerii inſtitui, ei quamcunque juriſdictionem ordinariam, tum ſupra Laicos, tum Eccleſiaſticos, tum Regulares cujuſcumque Ordinis (reſervata dumtaxat appellatione in devolutivo) concedi, ac idem ipſum cum aliis Fr. Antonii in Præfectura Succeſſoribus reiterari jubet.

A' tergo. *Dilecto Filio, Petro Faroux, Presbytero Sæculari Congregationis Miſſionis.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo commiſſi Nobis divinitus Paſtoralis Officii curâ, ſpiritualibus Catholicorum in Affrica ſub Turcarum Ditione degentium neceſſitatibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, conſulere, Teque, qui (ut accepimus) Presbyter Sæcularis Congregationis Miſſionis exiſtis, ac de tua fide, doctrina, prudentia, pietate, charitate, & Catholicæ Religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Te in Vicarium Apoſtolicum Algerien. loco defuncti Lamberti Ducheſne, ejuſdem Congregationis Miſſionis Presbyteri, cum extenſione ad Civitatem Tuneti, & cum facultatibus ſolitis & conſuetis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus & deputamus; Attento verò itineris intervallo, quo Tu, Algerii reſidens, longè diſtas à Tuneto, ut opportunè Chriſtifidelium in præfata Civitate Tunetana, ſen ad eam appellentium ſpiritualibus indigentiis proſpiciatur, Tu ſtatim, ac receperis præſentes præſentes noſtras litteras, per tuas patentes litteras in Pro-Vicarium Generalem pro Miſſione Tunetana dilectum Filium, Antonium à Bertonico, modernum Præfectum Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ejuſdem Miſſionis Tuneti, & inpoſterum dictas patentes litteras in Perſonam ejuſ eumque pro tempore Succeſſoris in præfata Præfectura ab eadem Congregatione Cardinalium de more eligendi reiterare debeas;

In

In quibus quidem patentibus litteris dicto Præfecto Pro-Vicario concedatur facultas omnia & ſingula, quæ etiam ſpecialem poteſtatem requirunt, exercendi, abſque ulla tua reſtrictione ſeu limitatione, ita ut idem Pro Vicarius exercere valeat quamcumque juriſdictionem ordinariam in dicta Miſſione Tuneti, tam ſupra Laicos, quàm ſupra Eccleſiaſticos & Regulares cujuſcumque Ordinis ibidem degentes, ſeu advenientes, tam liberos, quàm captivos, reſervatâ tamen Tibi appellatione in devolutivo tantùm à Decretis, & proviſionibus, quæ à dicto Præfecto Pro-Vicario fieri contigerit. In caſibus autem, quibus Tu procedas pro aliqua gratia vel indulto, favore alicujus Perſonæ, in Miſſione Tunetana exiſtentis, quaſcumque proviſiones Pro-Vicario prædicto dirigere debeas, cum clauſula = Veris exiſtentibus narratis = & dummodo idem Pro-Vicarius non habeat cauſam in contrarium pro executione pateſaciendam Tibi, cui, ipſe Præfectus Pro-Vicarius, ut tuus Miniſter, quoſcumque actus officioſos & reverentiales exhibere omnino teneatur; ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis Cardinalium. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus earumdem Civitatum, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut Tę ad demandatum Tibi per præſentes Vicariatûs Officium, illiuſque liberum exercitium, juxta earumdem tenorem præſentium recipiant & admittant, Teque recognoſcant, & Tibi in omnibus, quæ ad idem Officium pertinent, reſpective pareant, faveant, & aſſiſtant, tuaque ſalubria monita & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus Auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Auguſti MDCCXXXVII. Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Ex Arch. Secret. Brev. ad Principes *Regeſto menſis & anni præd.*

MISSIONES

DALMATIÆ, CANDIÆ &c.

PROVINCIÆ VENETÆ.

IN Dalmatia, Illyrici proprii Regione, Titum D. Pauli Diſcipulum prima Evangelii ſemina jeciſſe ex ipſa Pauli ſecunda ad Timotheum epiſtola *cap. 4. verſ.* 10. & illius verbis = *abiit — Titus in Dalmatiam*, ritè concludimus, ab ipſo econtra Magno Apoſtolo in Inſula Cretæ, quam nunc Candiam vocamus, Sanctæ Crucis trophæum erectum fuiſſe, probat alia ejuſdem Pauli ad Titum epiſtola per verba = *hujus rei gratia reliqui Te Cretæ*, ut, quæ ipſe perficere ibi non potuiſſet, ille ſuppleret, & Presbyteros, qui cœtus Chriſtianorum moderarentur, conſtitueret. In utraque injuriâ temporum vel per invecta Schiſmata, vel per infelicia bella Sanctuarium Eccleſiæ concuſſum, & decor illius offuſcatum eſt. Ab anno tamen 1645. uſque ad noſtra tempora impigrè laboravit in utraque, præſertim verò in Candia, Venetus Capucinus, ſudorique laboris adjunxit ſanguinem, quo gloria Miſſionis augereretur, & fructus pullularent uberiores. Inter 63. Fratres etenim, qui à dicto anno 1645. uſque ad annum 1717. in Miſſionum exercitio, vel locis occubuerunt, palma Martyrii fulgent FF. Barnabas à Gambellara, & Nicolaus à *Tornai*, 1660. in Inſula Candiæ, & Fr. Sanctes à Verona Ex-Provincialis 1687. prope *Singh* à Turcis capite plexi; FF. Aquilinus Helvetus, Laurentiusà Verona 1667. pariter in Candia, & Fr. Antonius de Aſiacco 1688. in Inſula Eubœs, alias *Negroponte*, glande plumbea trajecti: ac anno 1715. PF. Franciſcus à Baſſano, & Benedictus à Venetiis ignota mihi mortis ſpecie in Romania pariter à Turcis trucidati ſunt. Pauca illa Documenta, quæ colligere licuit, in ſuperficialem memoriam eorum, quæ à Fratribus noſtris in parte geſta ſunt, hîc ſubnecto, cætera, quæ naufragantem in portu Religionem concernunt, ſuſpiria ſupplere debent, & amaræ lachrymæ.

In

In Inſulâ Cretæ (nunc Candiæ) Fratribus Domum Regularem conſtrui, Epiſcopo Agienſi committit.

PIUS PAPA V.

SAcræ Religionis, ſub qua dilecti Filii, Fratres Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, Capucini nuncupati, devotum & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut illorum precibus, in iis præſertim, quæ Divini cultûs augmentum & animarum ſalutem, ac Religionis propagationem reſpiciunt, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus.

Exponi ſanè Nobis nuper fecerunt iidem Fratres, quod ipſi conſiderantes nullam in Inſula Cretæ pro eorum habitatione Domum ſe habere &c. *Reſiduum vide tom.* 1. *Bullarii fol.* 30. ubi & in nota ea, quæ Pater Ignatius ab Apiro in dicta Inſula egit, ſynopticè memorantur.

Fr. Anſelmum de Petra Molaria, viginti novem Fratrum in Claſſe Pontificia contra Turcas ſervientium, Præfectum Miſſionis confirmat, eundemque cum Sociis ampliſſimis privilegiis munit.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUm dilectus Filius Vicarius Generalis Fratrum Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum &c. *Vide reſiduum tom.* 3. *Bullar. fol.* 15.

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Labores Fr. Bartholomæi à Verona, & Fr. Michaëlis Gandavenſis, in Dalmatia impenſos commendari, eoſque Miſſionarios Apoſtolicos declarari jubetur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 7. *Septembris* 1649.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Cornelio litteras Fr. Bartholomæi de Verona Capucini, & ſimul litteras Nuntii Venetiarum & Archiepiſcopi Jadren. ſignificantium ea, quæ pro animarum ſalute, & Catholicæ Fidei propagatione geſſit in Dalmatia dictus Pater unà cum Fr. Michaële Gandavenſi ejus Socio, Sac. Congregatio juſſit dictorum Patrum labores commendari, & ſimul referri in Congregatione coram Sanctiſſimo; eoſque Miſſionarios declaravit, & pro facultatibus mandavit adiri Sanctum Officium.

Autog. in Arch. Provinciæ Venetæ.

NOTA

IN executionem hujus Decreti ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Cappono, Sac. Congregat. Præfecto datæ ſunt ad prædictum P. Bartholomæum, quæ ſequuntur, litteræ:

REVERENDE PATER.

Glorioſi labores tum Paternitatis Veſtræ, tum P. F. Michaëlis Socii in iſta Provincia non ſolùm in magnum Divini cultûs incrementum, verùm etiam in inſignem Paternitatis Veſtræ laudem redundant; hinc omnem Sacræ Congregationis de Propaganda Fide aſſiſtentiam, ſeu præſidium, ſicut & gratiarum, quas petis, conceſſionem promeretur. Recipiet eapropter Decreta & facultates Miſſionariis dari ſolitas, ut cum proficatione operis tam ſancti multiplices fructus, qui à perfecta virtute & zelo Paternitatis Veſtræ exſpectatur, ad quem finem Aſſiſtricem Divinam gratiam Eidem precor.

Romæ 7. *Septembris* 1649.

Autog. in Archivo prædicto.

Pro-

Progreſſus Religionis Catholicæ in Provinciis Albaniæ & Dalmatiæ, opere & labore Fr. Bonaventuræ à Verona, & converſio 8630. animarum à Sacra Congregatione encomiatur.

In Congregatione de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 18. *Octob.* 1649.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Cornelio maximos progreſſus Religionis Catholicæ in Provinciis Albaniæ & Dalmatiæ, opere & labore Patris Bonaventuræ à Verona Capucini, & ſpecialiter converſionem 8630. animarum ad Fidem Catholicam, quæ erant partim Turcæ, & partim Schiſmatici, partim Hæretici, fuit opus valde laudatum. Et quia idem Pater repræſentando fuiſſe Adjutorem ſui laboris D. Triphonem Bucchiam Canonicum Eccleſiæ . . . . . ſupplicavit illum declarari Miſſionarium, & Sac. Congregatio hujuſmodi petitioni annuit.

Extract. ex Actis Sac. Congregationis de anno 1649. *pag.* 281. *num.* 6.

NOTA

COnſervatur in Archivo Provinciæ Venetæ integer FF. noſtrorum operâ ſuprà dict. converſorum ad Fidem catalogus, ita ut hîc aliud ex eo notari non debeat, quàm quod inter illos, etiam Illuſtriſſimus Epiphaniua SEEJANOVICH *ab Onza in Boſſena*, Archiepiſcopus Dalmatiæ, & Primas aliorum trium Epiſcoporum vicinorum, Reverendiſſimus P. Michaël Marinevich, Abbas Monaſterii S. Michaëlis Archangeli Chareç cum pluribus ejuſdem Monaſterii Monachis reperiantur.

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Fr. Seraphinus à Vincentia in Fortalitiis Sudæ, Cerigi, Spinalungæ, & Carabuſæ in Inſula Candiæ ſitis Præfectus Miſſionum declaratur.

Decretum Sac. Congreg. Gener. de Propaganda Fide habitæ ſub die 3. *Julii* 1690.

REfercote R. P. D. Odoardo Cybo, Patriarcha Conſtantinopolitano, Saera Congregatio Præfectum Miſſionum Fratrum Capucinorum in Fortalitiis Sudæ, Cerigi, Spinalungæ, & Carabuſæ ad quadriennium declaravit Fr. Seraphinum à Vincentia ejuſdem Ordinis, cum auctoritate ea, quæ ad regimen Miſſionis pertinent, ad præſcriptum Decretorum Sacræ Congregationis, & facultatum eidem conceſſarum exercendi, & Vice-Præfectum ſibi bene viſum ſubſtituendi, & non aliàs.

Datum Romæ die & anno, quibus ſuprà.

Autog. in Arch. Provinciæ Venetæ.

Fr. Rochum à Venetiis Viſitatorem Miſſionum Peloponneſi conſtituit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes ad animarum ſalutem, Divinumque cultum promovend um Miſſiones in Peloponneſo exiſtentes, auctoritate noſtra Apoſtolica viſitari, ac de tua doctrina, prudentia &c. *Reſid. vide tom.* 2. *Bull. fol.* 298.

MISSIO MOSCOVIÆ

IN EUROPA.

RUſſiam, quæ celebriorem Europæ partem in Septentrione format, dividunt Geographi in Albam & Nigram: illam cum Morerio in ſuo Dictionario univerſali verb. *Moſcovia* ita vocant ob nives, quæ per majorem anni partem rura & teſqua tegunt: hanc verò appellant & *Magnam* ob vaſtitatem, & continet Regionem, in qua Civitas Princeps, Moſcua, reperitur, juxta Oderbornium in Joan. Baſilidis vita ad Henricum Julium Epiſcopum Halberſtadenſem *lib.* 1. & juxta alios ab Eruditiſſimo Joſepho Simonio Aſſemanno in Kalendario Eccleſiæ univerſæ *tom.* 1. *fol.* 286. relatos à *Moſch*, vel à *Moſqua* flumine, & juxta P. Mammachium *de orig. antiq. pag. mihi* 182. à veteri Cœnobio *Moſchoi* ita appellata. Quæ, quem-

quemadmodum Inſula Franciæ toti Regno ſuum communicat nomen, ita & illa totum Czari Dominium ſua ethymologia afficit. Ab ipſo quidem Divo Andrea Apoſtolo, cum è Græcia Novogardiam, vulgò *Novogorod*, ſe transferret, ibique Evangelium prædicaret, ſe ad Chriſtianiſmum converſos fuiſſe Moſchi, ſeu Ruſſi gloriantur; hoc tamen nonniſi tempore Magni Ducis Woldemiri, cum quo eodem die 20000. Ruſſos myſteriis Fidei noſtræ initiatos fuiſſe Strahlenbergius *pag.* 273. tradit, circa annum 989. eveniſſe alii contendunt. Certiùs manet, quod à via Evangelicæ veritatis, quam intraverant, turpiter diſceſſerint, & ſchiſmate rituque Græcorum puritatem Apoſtolicæ Doctrinæ corruperint, eo olim erga Catholicam Religionem odio incenſi, ut Iſidorum Theſſalonicenſem, primò S. Baſilii Monachum, dein Ruthenum Archiepiſcopum, in Concilio Florentino Doſitheæi, Patriarchæ Antiocheni Vicarium, ac poſtmodum S. R. E. Cardinalem, dum abſolutâ Synodo Moſcuam Græcæ Eccleſiæ cum Latina unionem promulgaturus ſe contuliſſet, teſte Eminentiſſimo Cardinale de Montibus in *Elog. Card. pag.* 63. carceri, ex quo tamen evaſit, mancipaverint, ad ignem damnatum. Et, dum eos aliquoties eum Catholicis agere neceſſitas coegiſſet, manus lavare conſueverint ſeſe ab illorum colloquio contaminatos rati. Imò, dum Schiſmaticis Armenis, Lutheranis, Calviniſtis, Perſis, Turcis, & Tartaris liberum ſuæ Sectæ exercitium relinquebant, Catholicam Religionem, haud aliter, ac Judæorum perfidiam, è finibus ſuis extorrem voluerint.

Variè quidem à Sancta Sede (uti in Jovio in *Moſch. pag. mihi* 82. in Baronio *ad calcem tom.* VIII. *Annal. edit. Venet.* in Bzovio ad annum 1514. *pag.* 226. in Thoma à Jeſu *de proc. omn. gent. converſ. lib.* 6. *pag. mihi* 106 & in aliis legere eſt) quæſitum fuit, ut in tam amplo Imperio Jeſu Domini immaculata ſtabiliretur, & trophæum ſalvificæ Crucis in eo noviter erigeretur. Gallia quoque per Capucinos, ſecretò ſaltem, id effici jam anno 1627. & 1633. requiſivit, ac idem noſtra ætate tentavit, dum Sorbona Magno Petro, Pariſiis agenti, Librum de facili utriuſque Eccleſiæ unione obtulit, quin tamen ille aliud, teſte P. Mammachio *tom* III. *pag.* 187. reponeret, quam, quod ceu Laicus de Religione agere nec poſſet, nec deberet. Pedem & alii Operarii diverſo tempore in eo figere tentârunt, horum autem & illius conatum reddidit inutilem nativa populi antipathia. Fortiùs deſuper actum eſt noſtro tempore in partibus Poloniæ, & res eouſque deducta, ut idem Petrus I. & Magnus Imperator, Eccleſiam, & Domum pro Ordine noſtro in Civitate Moſcuæ conſtruendas publico & infrà videndo Diplomate adpromiſerit. Applauſit quidem Roma tam felici, gratoque nuntio, ſucceſſum tamen promiſſionis non vidit. Ipſe tandem Czar Capucinos, qui à nullo dependerent Principe, & diverſas callerent linguas, Petroburgum, Civitatem à ſe ædificatam, ablegari, anno 1719. ab ipſo Summo Pontifice Clemente XI. requiſivit. Eapropter cum bujuſmodi Religioſos in Provincia Helvetica reperiri conſtaret, & eodem anno in Alma Urbe Comitia Ordinis generalia celebrarentur, P. Martinianus à Tugio, præfatæ Provinciæ Miniſter Provincialis, juſſu Pontificio ineolatum ſuum in ea prolongare debuit, donec negotium ipſi à Summo Pontifice expoſitum, & commendatum foret concluſum, ac Miſſio nova ſoli & uni Provinciæ Helveticæ propria inſtituta. Gaudium, quo poſtea ſelecti Operarii itineri ſe accinxerunt, jam in via interrupit inopina novitas; quandoquidem, dum illi Petroburgum, ubi Aula Czariana reſidebat, properabant, in ſuo Cracoviæ appulſu Moſcuam ſe tendere debere à Pontificio Nuntio audierunt. Eò etiam illos cum ſuo Præfecto, P. Venuſto Friburgenſi, ſecedere oportuit, ubi & laude digna Miſſionis initia poſuêre, ejuſdemque flori cum plurium Religioſorum ſacrificio ſtrenuè inſudârunt, uſque dum commixtio Fratrum diverſarum Provinciarum & Nationum zelum nonnihil diſtraxit, ita tamen, ut hoc adhuc tempore ibidem Præfectum, P. Udalricum à Roſchachio, & paucas Religioſorum reliquias dumtaxat retineat: impenſæ autem à ſe propagandæ Fideicuræ inter alia indicem in Diplomate, quo Petrus Czar Eccleſiam & Domum in Civitate Petroburgi à Capucinis fundari indulſit, à P. Apollinari Suittenſi, tunc Miſſionis Præfecto, non abſque maximo conatu, obtento (ad effectum licèt ob ſubſecutam Czari mortem non deducto) & infrà dando, poſterorum memoriæ reliquit.

Fructum hujus Miſſionis limitat quidem convertendorum Moſchorum prohibitio pœnâ Feloniæ ſeu mortis vallata, ſat amplus tamen adhuc colligitur tum ex Catholicorum ibi degentium in Fide confirmatione, tum ex populi diverſarum Nationum & Sectarum ad illam converſione, & quidem eò uberior, quò majorem Miſſio occupat tractum, conſtitutum in locis, quæ ſunt

Moſcua locus Præfecturæ
Aſtracanum, Tartariæ Aſiaticæ Regnum
Niſchina in Ucrania.

Magnum Ruſſiæ Czarum, Petrum, ob fundationem Eccleſiæ Miſſionariis Capucinis in Civitate Moſcuæ permiſſam &c. & liberum tranſitum ad Sinarum Imperium Miſſionariis conceſſum, laudibus effert, EundemqueDocumenta deſuper confecta Romam ablegare rogat.

Potentiſſimo, ac Magno Domino Czari, & Magno Duci, Petro, Univerſæ, Magnæ, ac Parvæ, & Albæ Ruſſiæ Autocratori, necnon Magnorum Dominiorum Orientalium, Occidentalium, & Septentrionalium paterno, avitoque Hæredi, Succeſſori, Domino, & Dominatori.

CLEMENS PAPA XI.

NOn facilè explicare poſſumus, quo gaudio Nos affecerit Nobilis Vir, Dux Boriſius Kurakinus, quem tuis ad Nos litteris, Excelſe, ac Potentiſſime Czare, in fidem eorum, quæ tuo nomine expoſiturus erat, ante aliquot menſes Romam ablegaſti, dum uberrima Nobis reddidit teſtimonia tuæ erga Nos voluntatis egregiæ, ac præclaræ, ſed præſertim gratæ ad rationem, quam à Nobis in rebus Regni Poloniæ ſemel initam ſemper hactenus ſervavimus, & adhuc quidem retinemus: ſolatium verò longè majus ab eodem Nobis allatum eſt, ubi certiores Nos fecit, conſtitutum Tibi eſſe liberum, ac publicum Catholicæ Romanæ Religionis exercitium in univerſâ tuâ ampliſſimâ Ditione permittere; imò jam annuiſſe, ut in Civitate tuâ Moſcuæ nedum ſundetur Conventus Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, ſed etiam, ut erigatur Eccleſia, & Domus pro Religioſis Viris Societatis Jeſu, unà cum Gymnaſiis ad erudiendam bonis litteris, & ad inſtruendam Chriſtianis moribus juventutem, quod conſilium magnam profectò tuis Populis utilitatem eſt allaturum. Cumulus hæc omnia lætitiæ noſtræ adjectus eſt, cum ille idem tuo nomine Nobis pollicitus eſt apertum deinde, tutum, ac liberum fore tranſitum per ipſas tuas Ditiones Miſſionariis ad annunciandum Chriſti Evangelium ab hac Sancta Sede ad Sinarum Imperium, & ad alia Regna Orientalia mittendis. Profitemur itaque, poſt gratias Deo humiliter actas, hæc omnia cor noſtrum Tibi, Potentiſſime Czare, magnoperè obſtrinxiſſe, & excitâſſe in Nobis deſiderium declarandi publicis, ac congruis ſignificationibus plenitudinem gaudii noſtri, quod tunc ſanè erit, cum documenta eorum, quæ idem Dux à Te omninò ſperanda, ac expectanda eſſe affirmavit, ad manus noſtras pervenerint. Cæterùm omnis æquitas poſtulat, ut Tibi teſtemur ipſum Ducem magnam probitatis, ac prudentiæ laudem morum ſuorum integritate & gravitate, hìc ab omnibus retuliſſe, ac animum noſtrum ſibi peculiari modo conciliâſſe. Quod ſupereſt, Deum Patrem luminum impenſè rogamus, ut lucis ſuæ radios tuæ menti propitius infundat, & Te perfectâ charitate Nobis, & Catholicæ Eccleſiæ coojungat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anoulo Piſcatoris die XVIII. Octobris MDCCVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Ex tomo 1. epiſt. Select. Clemen. XI. pag. mihi 406.

NOTA

QUantumvis effectu Czariana promiſſio caruerit, malè actum non crediderim, ſubjungendo Diploma, quo illa fuerat firmata, & quod ita ſonabat:

Nos Petrus Dei gratiâ Magnus Moſcorum Imperator univerſis & ſingulis, quorum intereſt, vel intererit, aut quomodolibet in futurum intereſſe poterit, præſenti Diplomate noſtro notum, teſtatumque facimus perpetuò, & in ævum, quomodo Nos Supremum Numen rebus Noſtris, ac Dominiorum noſtrorum propitium reddere volentes, ineffabilemque Dei bonitatem, quæ Nos tot Gentibus, Populis, ac Nationibus dignitate ſua præfecit, conſervat, ac protegit, profundiori meditatione, noſtro volventes & revolventes in animo, eum in propugnationem jurium, ac libertatum Sereniſſimæ Reipublicæ Poloniæ, annexarumque Regni Provinciarum, pacto Nos inter— & Regem Regnumq; Poloniæ, non ita pridem pacis perpetuæ fœdere, in ſuppetias Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, ac Domino, Domino Auguſto II. Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Hæreditario Duci Saxoniæ, & Principi Electori, Fratri noſtro Chariſſimo, contra Carolum XII. Regem Sveccorum, inclyti Regni Poloniæ Invaſorem, & ab aliquot annis ſævum, & crudelem depopulatorem, uti Regni, ejuſdemque Regis, & noſtrum communem, & juratum hoſtem, cum valida exer-

exercitu in Dominia Regia Poloniæ, & Magni Ducatûs Lituaniæ introiſſemus, ſcientes optimè victorias, & triumphos à manu Domini exercituum, Dei Noſtri Trini, & unius proficiſci, nullamque in numeroſis copiis noſtris fiduciam ponentes, ſed in dextera ejus, qui facit mirabilia magna ſolus, & inſcrutabilia, quorum non eſt numerus; qui multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubſciſſas in integrum reſtituit; qui fundavit terram in fortitudine ſua, & præparavit Orbem in ſapientia ſua, in cujus manu eſt omnis anima viventis, & ſpiritus univerſæ carnis, qui eſt Deus Deorum in Sion, Deus Magnus, & Rex ſuper omnes Deos, qui conterit fortitudinem inimicorum, deprimit ſuperbos, erigit humiles, deponit fortia, ſublevat infirma; qui vivificat, & mortificat, & cum occiderit, poterit mittere in gehennam; in hujus, inquam, dextera omnem ſpem, & fiduciam felicitatis noſtræ reponentes, ad majorem ejuſdem Dei ter Optimi Maximi gloriam, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis hactenus Nobis, ac Populis Nobis ſubjectis præſtitis, pro depreeatione in futurum præſtandorum, neenon impetratione felicium armorum noſtrorum ſucceſſuum, adhibito in præmiſſo maturo Miniſtrorum noſtrorum conſilio, animo deliberato, ſponte, & liberè ſtatuimus, ac decrevimus per præſentes, Ordinem Sancti Franciſci Capucinorum in Urbe noſtra primaria Moſcuæ introducere, Religioſoſque dicti Ordinis, quorum vitæ pietatem, ſanctimoniam, exemplaritatem, morum integritatem apprimè commendatam accepimus, fundare, ac erigere, veluti omni meliori modo, via, forma, jure, ac ſtylo introducimus, fundamus, ac erigimus: Quibus Religioſis Eccleſiam ſub titulo Sancti Petri Principis Apoſtolorum, tam Conventum ædificare, quàm Hortum inſtruere, ac plantare demandavimus, idque in loco . . . . . quem immunitati Eccleſiaſticæ adſcripſimus, ac incorporavimus, tituloque perpetuæ, ac irrevocabilis donationis dedimus, donavimus, impertiti, & elargiti ſumus, liberumque ab omnibus contributionibus, exactionibus facimus, ac pronunciamus, veluti noſtro, ac Sereniſſimo noſtrorum Succeſſorum nomine adſcribimus, incorporamus, damus, donamus, impartimur, elargimur, facimus, ac pronunciamus perpetuò, & in ævum hoc Noſtro Diplomate ad præmiſſa mediante.

Cavemus inſuper, & Edicto noſtro Supremæ Poteſtatis præcipimus, & inhibemus, ne quiſquam ſpiritualium, aut ſæcularium Perſonarum Dominiis noſtris ſubjectarum, eoſdem Religioſos Ordinis Sancti Franciſci Capucinos quovis modo, prætexta, colore, & ingenio circa exercitia ſpiritualia, ac devotiones illorum pivatas in Eccleſiæ ritu eorumdem Romano impediat, vel impedire per ſe, vel per ſubordinatas perſonas faciat: verùm iiſdem debitum honorem, amorem, & obſervantiam omnes, & ſinguli, & quilibet in partieulari facere, præſtare, & exhibere tenebitur. Quam quidem fundationem pura intentione ad majorem Dei Ter Optimi Maximi Gloriam modo præmiſſo per Noſtaſtam, ratam, & gratam habentes, habereque à Sereniſſimi Succeſſoribus volentes, ipſam fovere paterno affectu, tueri, ac defendere adpromittimus, cæteraque ad erectionem, conſervationem, ac manutentionem ejuſdem fundationis noſtræ neceſſaria, & opportuna procurare, & procurari facere permittimus, ac concedimus præſentium litterarum vigore. In fidem verò præmiſſorum omnium, & ſingulorum, ac teſtimonii Diploma hocce manu noſtra ſubſcriptum, ſigillo noſtro communiri fecimus, & demandavimus.

Datum per manus Magnifici Cancellarii noſtri Supremi in præſentia &c. Anno 1705. *Grodnovii die* 16. *Decembris.*

Ex Archivo Generali Ordinis Armario Miſſio Moſcuæ, *ubi & aliud ſuccinctius aſſervatur Diplomatis exemplar.*

Qui in re plurimum laboravit, Magni Ducatûs Lithuaniæ Referendarius, Dom. Conſtantinus Szanianski, in partem gaudii, & ſollicitudinis illicò Reverendiſſimum Patrem Procuratorem Generalem vocavit litteris, quæ ſequuntur.

Reverendiſſime Pater, Patrone Colendiſſime.

Rebus hujus Regni hac miſerrima tempeſtate mundo ſpectaculum triſte factis, tum planè proſpectum crederem, ſi, dum ad compeſcendos hæreticorum conatus, qui Religioni, & Libertati Polonæ inſidiantes, hoſce Provincias ſub potentiſſimo flagello premunt, cum Sereniſſimo Moſcoviæ Czaro fœdus armorum Reipublicæ inire placuit, prima ſtudia rectè ſentientium in id collimarent, ut humanis viribus, quibus fidere non oportet, Deum propitium haberemus. Hoſtiam itaque Deo & obſequium placentius offerre non potuimus, quàm naſci occaſionem ab hoſtibus ipſis datam, adventûs Sereniſſimi Czari in Regnum Poloniæ, ea primò,

quæ Religionis Catholicæ ſunt, in Moſcovia promovere, & jacturas in Republica, quas hactenus paſſi ſumus, in lucrum animarum, & incrementum Vineæ Domini apud Schiſmaticos convertere. In quo zelo inter alios non poſtremus partis fui, ut Princeps ille, qui cultu Sacrorum apud ſuos planè rudi imbutus fuerat, quædam libamina virtutis & pietatis Latinæ Eccleſiæ ita degustaret, ut quaſi ovis diſcurrens ad ramum viridem, raperetur ad Sacrorum noſtrorum intelligentiam, ritûs modeſtiam, & majeſtatem, atque in argumentum ejus propenſionis, cujus multa dedit ſpecimina, fundationem PP. Capucinorum in Urbe Moſcuæ, mediante ſollicitudine & cooperatione mea permitteret. Nullus enim dubito, quin aliorum calamo id Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ jampridem relatum ſit, verùm, ut & ipſe æſtimationi meæ erga Perſonam & merita ſua, ſimulque deſiderio meo ſolertiæ ſuæ in rem perficiendam faciam ſatis, litteris meis participem faciam Paternitatem Veſtram Reverendiſſimam volui, ut non ſolùm tutius hunc nuntium eâ, quæ par eſt, lætitiâ excipiat, ſed & eâ ſua, quæ omnibus obvia eſt, humanitate indigentiæ cauſæ occurrat, quæ ſi ope Paternitatis Veſtræ Reverendiſſimæ & zelo deſituretur, hæ profectò primitiæ Religionis Catholicæ in Moſcovia non eſſent ejuſdem generis atque naturæ, cujus & reliqui fructus deſiderantur. Licebit enim, ex adjunctis punctis, quæ Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico Sanctitati Suæ deferenda tradidi, animadvertere, quos ad excolendam novam hanc Vineam, quam plantabit Dextera Domini, virtutis, ſapientiæ, gravitatis, & dexteritatis Viros opporteat ſeligere, ne convertatur in amaritudinem, & labruſcas pariat. Optionem hanc penes Paternitatem Veſtram Reverendiſſimam procul dubio fore cum arbitrer, etiam atque etiam exopto, ut, dum ea puncta Sanctiſſimo perſpecta facere dignata fuerit, vel ſatageat, ut pro parte ſua expectationi Fidelium, & tanto operi debitè reſpondeatur, quò citiùs fructibus communis laboris noſtri paſcamur petentes panem, nec habentes, qui frangat eis. In eo enim ſpes noſtra eſt, ut, dum Nos foris allaboramus, donec oves, quæ pericrant, ad gregem Dominicum reducantur, Deus Nos intra Regnum hoc cuſtodiat, & lachrymas populorum tandem exſiccet tranquillitate. Interea Paternitati Veſtræ Reverendiſſimæ obſequia mea in rebus ſuis, ubi primùm mandatis ejus provocatus fuero, offerens, eidem diuturnam valetudinem, & virtutum incrementa apprecatus manco. Cracoviæ die 15. Aprilis 1706.

Conſtantinus Stanianski Referendarius.

Autograph. in Arch. Generali Armario prædicto, ubi & articuli in hac epiſtola memorati aſſervantur.

Ut & Domus Capucina in ipſa nova Civitate Petroburgi, Czari Sede, conſtrueretur, Fr. Apollinaris à Suitio, Miſſionis Præfectus, conatu aſſiduo & patientia ſumma laboravit: attigit & metam, & Diploma evicit: antequam autem fabricæ daretur initium, cum morte Petri Czari corruit fundamentum totius ſtructuræ. Diploma autem pro hac datum fuit ſequens:

Ex mandato Suæ Majeſtatis Imperialis totius Ruſſiæ, Petri Primi, præſens Diploma Imperiale à Cancellaria Generali Politiæ Civitatis Sancti Petroburgi P. Apollinari Capucino ex Canzone Suitenſi in Helvesia ritûs Romanæ Eccleſiæ, ejuſdemque Sociis, ac Religioni Catholicæ fuit traditum, cum Eccleſiam Catholicam Romanam in loco, anno 1720. aſſignato, & in Inſula Præfecturæ navalis ad vivum parvum ſito conſtruere debeat, quemadmodum 22. Auguſti ejuſdem anni Excellentiſſimo Domino Vice-Præfecto rei navalis Iſmajaviz cum libello ſupplici Excellentiſſimo Domino Brigadiero & Præſidi Generali Cancellariæ Imperialis Politiæ porrecto ſupplicavit, exponendo, quod Communitas Catholica Petroburgi Eccleſiam novam fabricare ſtatuerit. Quem in finem Cancellaria Politiæ Domino Architecto Gerbel locum pro Romanæ Eccleſiæ fabrica eligere commiſit, ſuitque data licentia in loco aſſignato materialia pro nova Eccleſia, quam dicta Communitas Catholica modo poſſibili conſtruere decreviſſet, præparandi. Cum autem ſitus determinatus in Inſula Præfecturæ navalis ex parte rivi parvi penes pontem, Guoſtoff vocitatum, ſecundùm longitudinem & latitudinem non fuerit menſuratus, Excellentiſſimus Dominus Vice Præfectus Iſmajaviz noviter inſtitit, ut locus menſuraretur, & locus Domui Domini Joannis Kolugina aſſignaretur. Hinc Cancellaria Generalis Politiæ locum menſurari, longitudinem & latitudinem ad Cancellariam Generalem portari, ſcripturam deſuper & Diploma confici mandavit, & Excellentiſſimus Dominus Brigadierus, & Præſes Generalis Cancellariæ Politiæ, libellum ſupplicem, noviter ab Excellentiſſimo Domino Vice Præfecto Iſmajaviz præſentatum ſubſcripſit, ordinando, ut poſſeſſio loci aſſignati in ſeſſium legalium præſentia ſumeretur, locus menſuraretur, & Dominus Architectus Gerbel libellum ſupplicem noſtræ Cancellariæ Generali Politiæ circa loci longitudinem & latitudinem præſentaret. Fuit hæc commiſſio Dom. Architecto 3. Septembris 1720. perſcripta, & poſtmodum 9. Decembris ejuſdem anni ab eodem Architecto noſtræ Cancellariæ Generali Politiæ intimatum, quod locus pro Romana Eccleſia aſſignatus ad pontem Guoſtoff nuncupatum ſitus, & Domui Domini Scribæ Joannis Kolugina contiguus, fuiſſet menſuratus, ac repertam, quod longitudo ejus foret 39. ſagenarum, & menſura-

ſuratus à palis rivi uſque ad viam, largus eſſet 19. ſagenarum *& trium pedum penes rivum, at verò penes viam* 16. ſagenatum *tantùm, ac in bocce loco nec alia Domus, nec fabrica reperiretur; & ideo Excellentiſſimus Dominus Brigadierus, & Præſes Generalis Politiæ libellum deſuper ab Excellentiſſimo Domino Vice-Præfecto Iſmajaviz ſub* 10 *Septembris* 1720. *præſentatum ſubſcripſiſſet, quatenus publicum Diploma ex mandato Suæ Majeſtatis Imperialis ei concederetur, quod tamen nunquam fuit expeditum; Et ſicut in libello ſupplici ab Excellentiſſimo Domino Vice Præfecto Iſmajaviz ſub* 11. *Septembris* 1720. *porrecto continebatur inſtantia, quatenus Cancellaria Generalis Politiæ in ſitu aſſignato duas ſtantias ſeu cameras ex una parte cum facultate eas ligno coperiendi, pro materialium cuſtodia conſtruere permitteret, juſſit* 27. *Septembris fabrica hujuſmodi conceſſa, & Illuſtriſſimo Domino Radivonouff Cancellariæ Generalis Politiæ Majori, & viarum Civitatis Præfecto fabricam harum duarum ſtantiarum in illo ſitu permitti injunctum.*

Anno 1723. *ſub* 19. *Decembris cum libello ſupplici à P. Apollinare Capucino Cantonis Suitentis, pro prædicto ſitu ad conſtruendam Eccleſiam Romanam, qui anno* 1720. *pro hujuſmodi fabrica erat aſſignatus in Inſula Præfecturæ navalis in via magna Moſkoi vocata, id eſt, in via navis, quam P. Capucinus jam anno elapſo, juſſu Suæ Majeſtatis Imperialis ſuo coeperat, & 400. Rubles pro via & rivo expendit, fuerunt repetitæ preces. Jam verò idem P. Apollinaris recenter Nobis expoſuit, quod in dicto loco Romanam Eccleſiam ex lapidibus conſtruere cupiat, petiitque facultatem novam Eccleſiam ex ligno ibi exiſtentem, ad funtiones ſecundùm ritum & cæremonias Romanæ Eccleſiæ, uſquedum Eccleſia nova ex lapidibus foret terminata, peragendas, accommodari faciendi. Ad quæ ei fuit conceſſum, quod poſſit & debeat Romanam Eccleſiam ex lapidibus conſtruere, materialia ad hunc finem neceſſaria præparare, adinterim aliam novam Eccleſiam ex ligno in eodem loco, anno præcedente penes rivum conſtructam ad officia ritûs Catholici Romani in ea exercenda, uſque ad fabricæ lapideæ terminum & perfectionem accomodare poſſit, ac dictum ſitum claudere debeat. Pariter fuit ordinatum, ut dicto Patri plena libertas Romanam Eccleſiam ex lapidibus conſtruendi, & interim aliam Eccleſiam ligneam, uſque ad Eccleſiæ lapideæ perfectionem accomodandi, & omnia materialia præparandi concederetur, quin ab ullo vel in fabrica, vel in funtionibus, & cæremoniis ſui Ritûs Romani, impediri poſſit, vel moleſtari. Cumque P. Apollinaris Capucinus tum pro Eccleſia nova lignea adaptanda, tum pro materialibus Eccleſiæ lapideæ parandis, tum pro clauſura loci, & Monaſterii ſui conficienda, tum pro authentico Diplomate immunitatis prædicti loci Romanæ Eccleſiæ expediendo ſupplex ſollicitaverit; Nos Præſes Generalis Cancellariæ Imperialis Politiæ à P. Apollinare prædicto expreſſè requiſivimus, ut nobis ideam novæ Romanæ Eccleſiæ, quam conſtruere cuperet, conſignaret, quam ab eo acceptam Suæ Majeſtati Imperiali exhibuimus, quæ & illam ratam habuit & approbavit. Quapropter* 24. *Decembris* 1723. *Sua Majeſtas Imperialis, & hæc Cancellaria Generalis Politiæ hujus Civitatis Petrogurgi expreſſo mandato ſtatuerunt, ad preces P. Apollinaris Capucini, ſuorumque Sociorum porrectas publicè declaraverunt, ac publicum, authenticumque Documentum confici juſſerunt, vigore cujus Sua Majeſtas Imperialis, & hæc Cancellaria Generalis Politiæ locum determinatum in Inſula Præfecturæ navalis penes parvum rivum haud procul à ponte* Guoſtoff *nominato ſitum, longum* 39. ſagenarum, *largum verò* 19. ſagenarum *& trium pedum, jam anno* 1720. *pro fabrica Romanæ Eccleſiæ Communitati Catholicæ Sancti Petrogurgi aſſignatum, P. Apollinari prædicto, ejuſdem Sociis, ac Religioni Capucinæ conceſſerunt. Ordinârunt pariter Sua Majeſtas Imperialis, & Cancellaria Generalis Politiæ, ut P. Apollinari materialia pro fabrica Romanæ Eccleſiæ, & Monaſterii ſui neceſſaria præparare ſine ullo impedimento permittatur, attento, quod ideam novæ Romanæ Eccleſiæ, mediante Excellentiſſimo Domino Præſide Generali Cancellariæ Generalis, Suæ Majeſtati Imperiali exhibuerit, & Hæc expreſſo mandato ordinaverit, ut P. Apollinari plena libertas relinqueretur fabricandi Eccleſiam Romanam ex lapidibus, hunc que in finem publicum Diploma pro loco, in quo Eccleſiam, & Monaſterium conſtruere, ſitumque claudere debet, ei expreſſè dederit, ut in trium, vel ſaltem quatuor annorum termino fabrica ſit perfecta, ita tamen, ut Eccleſia antiqua ex ligno in ſitu, ubi impræſentiarùm officia ritûs Romani peraguntur, reparari amplius non debeat, non ſolùm ex motivo, quod Sua Majeſtas Imperialis in illo loco Eccleſiam nullam permittere velit, ſed etiam, quod ab Excellentiſſimo Domino Vice-Præfecto Ismajaviz conſtructio duarum ſtantiarum dumtaxat in loco, ubi actualiter exercitium Romanæ Eccleſiæ permittitur, fuerit expetita; Eapropter Excellentiſſimus Dominus Præſes Generalis Cancellariæ Politiæ P. Apollinari opportunas tranſmiſit diſpoſitiones, quat ipſemet ad proprias manus Illuſtriſſimi D. Athanaſii Radinovouff Majori Cancellariæ Generalis Politiæ, & Præfecti Generalis Viarum conſignaret, cum notitia ſcripta, quod P. Apollinari Capucino à Sua Majeſtate Imperiali authenticum & perpetuum Diploma pro loco memorato fuerit conceſſum. Tandem Majeſtas Sua Imperialis Excellentiſſimo actuali Senatui Imperii circa Romanæ Eccleſiæ locum, Diploma authenticum pro P. Apollinare promptè expedire mandavit, & inſuper ordinavit, quod dictus Pater pro ſitu & pro Diplomate Imperiali ſolitum, videlicet pro ſagena largitudinis tres copechas, ſummatim* 19. *altinos & tres denuſchas ſolvere deberet, & hoc in libro redituum Imperii notaretur, cum expreſſione, quod à P. Apollinare hunc in finem forent ſolutæ. Altini bi* 19. *cum tribus Denuſchis à dicto Patre jam fuerunt ſoluti, à Cancellaria Generali Politiæ recepti, ut in libro redituum Imperii regiſtrati, hinc & præſent Diploma P. Apollinari Capucino, ejuſdem Sociis, & Religioni Capucinæ in charta cum ſigillo Imperiali ceræ rubræ bullata* 30. *Decembr.* 1723. *fuit traditum, ac ſubſcriptum.*

Antonius Derviere Brigadierus & Præſes Generalis Cancellariæ Generalis Politiæ S. Petrogurgi, cum aliis.

Copia Authen. in Archivo Gener. Ordinis Armario Miſſio Moſcuæ *, cum aliis Scripturis fabricam hanc concernentibus.*

Vigore

Vigore conventionis Regem Chriſtianiſſimum inter—& Magnum Moſcoviæ Ducem Miſſionarios Capucinos ad dictam Provinciam ablegari, ſtatuitur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 24. *Januarii* 1633.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Bentivolo conventionem initam inter Regem Chriſtianiſſimum, & Magnum Moſcoviæ Ducem, ut poſſint Mercatores Galli habere ſecum Sacerdotes Catholicos, Catholicumque exercitium ſecretum in ea Provincia; Sacra Congregatio mandavit ſcribi P. Joſepho Pariſienſi Capucino, ut cogitet de Miſſione aliquorum Capucinorum in dictam Provinciam eum Mercatoribus Gallis, qui ad eam negotii cauſa ſe transferent; nam peculiaris inſtructio Miſſionariis dari poterit ex relationibus, quæ de Moſcovitis cum Ruthenis unitis in Sac. Congregatione habentur, illique eum Metropolita dictorum Ruthenorum poterunt communicationem habere, & ab ipſo de pluribus ad illam Miſſionem ſpectantibus in dies informari.

Autog. in Arch. Gener. Ord. Arm. Miſſio Moſcuæ.

RESCRIPTO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide die 24. *Novembris* 1704.

Ad inſtantias Principis Porziæ Oratoris Cæſarei tres Capucini ſecum Moſcoviam ducti in Miſſionarios deputantur.

PRrinceps Porzia deſtinatus Cæſareæ Majeſtatis Orator Moſcoviæ cum litteris Domino Cardinali Paulutio inſcriptis, Eminentiis Veſtris ſupplicat, quatenus tres Religioſos Capucinos, quos ſecum ducit, & ſunt Patres Angelus Anglus, Gerardus, & Chriſtophorus Græcen. Miſſionarios eum facultatibus neceſſariis deſignare dignentur.

RESCRIPTUM.

Pro gratia.

Extract. ex Actis Sac. Congregat. de anno 1704. *pag.* 267.

Patres Reformatos in poſſeſſione Eccleſiæ & Hoſpitii Petroburgi firmari, & Capucinos ad Civitatem Moſcuæ ſe conferre debere ſtatuitur.

In Congregatione Generali Sac. Congregat. de Propaganda Fide habita die 3. *Julii* 1724. *decretum fuit, ut ſequitur.*

REferente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali Scotto controverſias tamdiu exortas inter PP. Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum, & PP. Capucinos Miſſionarios in Ditionibus Moſcoviæ ſuper reſidentia in Civitate Petroburgi, Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini mandârunt, Decretum Sacræ Congregationis emanatum ſub die 16. Octob. 1719. eſſe exequendum juxta modum, videlicet = Patres Reformatos non eſſe perturbandos in poſſeſſione Eccleſiæ & Hoſpitii exiſtentium Petroburgi, & PP. Capucinos teneri omnes accedere Moſcuam, & ad alia loca ad formam ſupradicti Decreti.

Datum Romæ menſ. & anno, ut ſuprà.

Extract. ex libro Decret. ab anno 1708. *ad annum* 1731. *pag.* 290.

Miſſionarios Moſcoviæ, Caſſan, Aſtrakan &c. deinceps ad ſeptennium deputari, eoſq; nonniſi hoc expleto, ad Provincias ſuas redire poſſe ſancitur.

Decretum S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 5. *Sept.* 1746.

REferente R. P. D. Nicolao Lercario, Sacra Congegatio juſtis & rationabilibus cauſis decrevit, quod inpoſterum Miſſionarii Ordinis Capucinorum deſignandi ad Miſſiones in Provinciis Moſcoviæ, Caſſan, & Aſtrakan, & in locis adjacentibus Georgiam versùs deputentur ad ſeptennium, & nonniſi ſeptennio expleto in Miſſionibus præfatis ad proprias Provincias redire valeant.

Datum ex Ædibus Sac. Congregationis die & anno, quibus ſuprà.

Ex Arch. Gene. Ord. Arm. Miſſio Moſcuæ.

P. Udal-

FUdalrico à Roſchachio, Præfecto &c. Sacramentum Confirmationis inter ſuę Miſſionis limites conferendi, decennalem facultatem largitur.

A'tergo. *Dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Præfecto Miſſionum Apoſtolicarum in Provincia Moſcoviæ, Caſſan, Aſtrakan, & in locis adjacentibus Georgiam versùs Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu, qui (ut accepimus) Frater expreſsè profeſſus Ordinis Minorom S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, necnon Miſſionum Apoſtolicarum in Provincia Moſcoviæ, Caſſan, Aſtrakan, & in locis adjacentibos Georgiam versùs Præfectus exiſtis, facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis ex ſpeciali hujus Apoſtolicæ Sedis delegatione per Nos concedi plurimùm deſideres, attento, quod in diſtricto tuæ Præfecturæ Epiſcopi Ritûs Catholici minimè reperiuntur, ideoque Catholici iſtarum partium Sacramento Confirmationis hujuſmodi privati remanent. Nos Te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus etiam dilecti Filii, Ludovici à Taurino Procuratoris, & Commiſſarii Generalis dicti Ordinis, quem paternis complectimur affectibus, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ſeu pro tempore exiſtenti Miſſionum prædictarum Præfecto, ut ad decennium proximum tantùm intra limites tuæ Miſſionis, ſeu Præfecturæ hujuſmodi, donec neceſſitas id poſtulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Epiſcopus in illis partibus habeatur, facultatem extraordinariam, ac poteſtatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujuſmodi, receptis oleo, & ebriſmate, etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ præfatæ habentem benedictis, iis, qui à Sacerdotibus Latinis Baptiſmom acceperunt, & ſeptimum ſaltem ſuæ ætatis annum attigerunt, niſi forte periculum mortis immineat, ne ingraveſcente morbo ſine hoc Sacramento decedant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimos, & de ſpeciali gratia delegamus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Septembris MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo tertio.

Exempl. in Arch. & Arm. prædictis.

MISSIONES PROVINCIARUM GALLIARUM.

MISSIONES

IN EUROPA, THRACIA, GRÆCIA &c.

PROVINCIÆ PARISIENSIS.

Miſſiones, quas Provinciæ Pariſienſis, Turonenſis & Britanniæ in Syria, Palæſtina, Archipelago, aliiſque vaſtæ Ottomanæ Monarchiæ Provinciis ſtabiles, & impræſentiarum occupant, ſub Rege Ludovico XIII. potiſſimùm indefeſſo ſtudio noſtrorum FF. Leonardi, ac Joſephi Tremblay, accedente Summi Pontificis, ac Sacræ Congregationis de Propaganda Fide conſenſu, tum ex dictis tom. v. Bullarii, & præſertim ex vita enunciati P. Joſephi ibi extenſa, tum ex aliis infrà adducendis Documentis compertum eſt; Cum enim Regem Chriſtianiſſimum inter—ac Imperatorem ſublimis Portæ inter alios mutui fœderis articulos, etiam ille ſancitus reperiatur, ut Oratoribus & Conſulibus altefati Regis, ubicumque illos in Mahometano Dominio reſidere contingeret, liberum in Ædium ſuarum Capellis Catholicæ Religionis exercitium permitteretur, pluresque Capucini in illorum Capellanos fuerint aſſumpti, hi in cenſum Apoſtolicorum Miſſionariorum cum neceſſariis facultatibus relati, primitias Miſſionum eo zelo illuſtrârunt, ut adhuc hodiedum nullo periculorum vel contradictionum incurſu fracti, pedem Evangelizantium in iis firmum teneant.

Præfectus hujuſmodi Gallicarum Miſſionum tum in Turcico Dominio, tum in aliis Regnis & Regionibus, pro more à Sacra Congregatione inſtituitur P. Provincialis pro tempore, qui, cum ob Provinciæ gubernium inter Miſſiones reſidere haud valeat, Cuſtodem, qui Miſſionum negotia curet, deſignat, & nonniſi dato otio, aut neceſſitate exigente, illas viſitare conſuevit. Non ſolùm autem Miſſiones hæ à Rege Chriſtianiſſimo liberali ſtipe, abſque S. Congregationis diſpendio (paucis locis exceptis) coadjuvantur, verùm etiam peculiari illius protectione fruuntur, quemadmodum ex Diplomate ſequenti, ex pluribus aliis ſelecto, luculentiùs, & ita patet:

Ludovicus Dei Gratia, Rex Franciæ & Navarræ, Comes Provinciæ Forcalerii, & terrarum adjacentium, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem.

Succeſſus æquè ſollicitudinis, quam Patres Capucini Galli, in Oriente ad exercendas Miſſionariorum Apoſtolicorum functiones firmati, in ſe ſuſcipiunt, ac fructûs, quem inde noſtri ſubditi in illis locis habitantes percipiunt, Nos movent, ut quacunque emergente occaſione Documenta noſtræ Protectionis, ac ſatisfactionis, quam de illorum zelo, pietate, ac recto agendi modo haurimus, iis præbeamus, haud aliter, ac Rex defunctus Dominus noſter ac Proavus, ſimili ergo eos uſus eſt favore, litteras patentes ſuæ protectionis 27. Novembris 1687. iis concedendo; hinc illos non ſolùm ibi confirmari ac manuteneri, ſed etiam occaſionem, fructum hucuſque ſua inſtructione, & doctrinâ Evangelicâ ad Dei gloriam, & Fidelium conſolationem collectum extendendi, præberi deſiderantes, ex gratia ſpeciali, authoritate plena ac Regia diximus, & declaravimus, dicimus & declaramus per præſentes manu noſtra ſignatas, quod dictas litteras ſub die 27. Novembris 1687. datas confirmando, præfatos Religioſos Capucinos Miſſionarios, ſubditos noſtros, ſicut & eorum Hoſpitia, Eccleſias, Capellas, & Domos, quas habent, & in omnibus Orientis locis habere poterunt, in noſtram protectionem, tutelam, & gratiam ſpecialem recipiamus. Quem in finem dilecto noſtro Conſiliario Domino Vice Comiti d'Andrezel, noſtro ad ſublimem Portam Ottomanam Oratori extraordinario, Conſulibus, & Vice-Conſulibus Nationis Gallicæ à Nobis in dictis partibus inſtitutis, eorum in officio Succeſſoribus, aliiſque, ad quos ſpectabit, mandamus, ut pro manutentione Miſſionum & Hoſpitiorum, quæ memorati Religioſi Capucini, noſtri ſubditi, in locis eorum juriſdictionis habent, aut vel per viam tranſitûs, aut habitationis habere poterunt, in omnibus iis, quæ ab eorum viribus & poteſtate dependebunt, & quidem quilibet quoad ſuum, concurrant, &, quantùm poſſibile erit, impediant, ne dicti Religioſi vel in Miſſionibus, vel in exercitio functionum

ab

ab illorum miniſterio dependentium impediantur. Volumus præterea, ut Ædibus Conſularibut, ac Hoſpitiis, in quorum poſſeſſione exiſtunt, vel quæ deinceps habere poterunt, fruantur, & in iis funcționes, ac officia ſuorum Religioſorum eâ libertate, quâ in Regno noſtro ſolent, exerceant, aut peragant, cum ſita Nobis placeat. Hinc & Illuſtres ac Magnificos Bachas ſeu Gubernatores, qui gubernio locorum, in quibus PP. Capucini reperientur, præſident, vel in futurum præſidebunt, rogamus, & requirimus, ut omni aſſiſtentia & protectione eos proſequantur, idipſum & à Nobis ergo eos, qui pro parte illorum Nobis commendabuntur, faciendum pollicentes. In quorum fidem hoſce noſtro ſigillo muniri fecimus, & caſu, quo dicti PP. Capucini, in pluribus vel diverſis locis, ubi reperiuntur, præſentibus indigerent, volumus, ut illorum exemplis debitè collatis eadem, ac ipſi originali, fides habeatur.

Datum Verſaliæ 1. *Martii anno gratiæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, & regni noſtri octavo.*

Ludovicus.

Non ſolùm illa dumtaxat loca, quæ ad calcem Procœmiorum notata reperiuntur, Capucini Galli ſibi pro laborioſo campo deſtinârunt, quin & in aliis Regnis ſonus illorum prædicationis perſonuerit: Solem illi æmulari videntur, nam, ſicut hic abditiſſimis quoque locis luminis beneficium communicat, & invia ac dura terræ viſcera theſauris replet, ita & illi in diſſitas, barbaraſque Regiones Apoſtolicâ virtute ſe protendunt, lumen ſalutis ſpargunt, duritiam Scytharum verbo Evangelii confringunt, & abſtrusas Nationes divitiis doctrinæ cœleſtis locupletant. Angeli Apocalyptici ſectantur exemplum, &, dum pede uno Evangelizante terram calcant, altero maria & aquas comprimunt. Penetrârunt jam olim in Æthyopiam anno 1628. Servi Dei FF. Agathangelus Vindocienſis, & Caſſianus Nannetenſis, & partâ Martyrii laureâ, Æthyopem aquâ regenerationis lavare, inutilem laborem non eſſe anno 1638. docuerunt. Attigerunt cum Claſſe Gallica Regnum Marochii in Africa eodem anno 1628. PP. Petrus Alenconienſis, Michaël à Veſino cum Fr. Rudolpho Andegavenſi Laico, & litteris ſub 5. Octobris anni prædicti ad P. Joſephum de Tremblay, & P. Hieronymum Flexienſem, tunc Provinciæ Turonenſis Provincialem, ex carcere datis, ac tomo tertio noſtrorum Annalium *pag. mihi* 770. inſertis & dignè legendis, decretam contra eos in odium Fidei mortis ſententiam magnanimo ſpiritu nuntiaverunt, quos tamen dum Regis perfidia gladii ſui victimas non effecit, charitas in obſequio peſtis laureavit. Anhela ſpe invaſit Perſidem & Armeniam cum Sociis P. Pacificus Scaliger, Provinciæ Aquitaniæ Alumnus, pubeſcentemque ibi Apoſtolici zeli fructum annuis litteris de progreſſu Miſſionum impreſſis, poſterorum memoriæ commendavit. Et tandem, ut plura alia exempla & loca ſileam, paganiſmi erroribus immerſam Abyſſiniam intrârunt anno 1679. Apoſtolici Viri, FF. Henricus de Montbazon, & Tranquillinus Aurelianenſis, Pontificiis & Regiis muniti litteris: Abrupêre tamen vel gentis furor, vel belli incurſus, vel alia Erebi molimina cœptum laboris filum, ita ut ſtabile Domicilium Miſſionariis ubique ſigere datum non ſit.

Jam verò inter ea, quæ ad actuales Provinciæ Pariſienſis Miſſiones in Thraciæ, Græciæ &c. Regionibus ſpectant, hæc prænotari debent, quod illarum Cuſtodiatûs, ſeu Vice-Præfecturæ locus, in ipſius Bizantinæ Civitatis Suburbio, *Pera* nuncupato, conſiſtat, & in parum diſtante Byzantii cornu, *Galata* vocitato, aliud Domicilium ſocium habeat. Quàm ardua ſit utriuſque hujus Miſſionis exercitatio, facilè judicabit, qui tum ad loca, ad quæ extenditur, tum ad gentem, quæ in his dominatur, tum ad alienigenas, quæ huic commiſcetur, reflectet. Horrorem tamen, quem incutit hujuſmodi recordatio, non parum moderatur gloria, quâ Miſſio hæc, triduano & uſitato apud Turcas æræ uncæ ſuſpendio, à D. Joſepho noſtro à Leoniſſa fuit conſecrata, & quæ non degenere virtute à Miſſionariis, juxta illud D. Pauli *in omnibus exhibentibus ſemetipſos, ſicut Dei Miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis*, in dies continuatur, ac demum multiplici, ac potiùs libris quàm calamo celebrando fructu, quem Miſſionarii per Conciones in diverſa lingua declamari ſolitas, per Confeſſiones abſque temporum diſtinctione exceptas, per rudimenta tum doctrinæ tum fidei Juventuti tradita, per Auguſtiſſimi Sacramenti expoſitionem, magno ſemper populi concurſu frequentatam, per aſylum Chriſtianis præſtitum, & per publicum Catholicæ Religionis exercitium, ipſis ſine offenſa permiſſum, horreo Eccleſiæ Catholicæ inferunt, non ſine novo & generali ſemper decore coronatur. Noſtro hoc tempore gloriæ huic novus gradus acceſſit per profeſſionem Fidei, quam Smirnæ in noſtra Regia & Conſulari Eccleſia Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Sergius, Archiepiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, ac Legatus Patriarchæ Armeni Jeroſolymitani 29. Januarii 1743. juxta Documentum authenticâ fide in Archivo Miſſionum Gallicarum aſſervatum emiſit,

à ſecta poſtmodum à noſtro P. Stephano Conſtantinopolitano juxta facultatem à Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. ſpecialiter ipſi conceſſam abſolutus.

Nec negligi hîc debet prælatio, quâ Rex Chriſtianiſſimus curam Seminarii ſeu Collegii, in quo Regio ære 12. Juvenes ſæculares educantur, in Orientis linguis ac timore Dei inſtruuntur, ac in Interpretes Oratorum, Conſulum &c. formantur, noſtris PP. Miſſionariis commiſit, in ipſo *Peræ* Hoſpitio erectum. Simile noviſſimè Carolus Rex utriuſque Siciliæ in Reſidentia noſtra *Galatæ* pro Juventute Neapolitana fundavit, ejuſdemque directionem Patribus Miſſionariis pariter concredidit.

Præter Documenta, quæ ſequuntur, habet hæc Miſſio multa alia cum aliis Galliæ Provinciis communia, quæ & ibi videri debent, formatque hoc tempore ſtatum ſubnexum:

MISSIONES.

In Civitate Byzantina, ſeu Conſtantinopolitana.
Perea, ſeu *Pera*, locus Cuſtodiatûs, & Collegium Sæcularium.
In eadem, Galata, ubi Collegium Sæculare Neapolitanæ Juventutis.

In Aſia minore, ſeu in Archipelagi, ſeu Maris Ægei Inſulis, CYCLADUM dictis.
Andrum, Argentaria, vulgò *Cimoli*, Chium, aliàs *Scio*, Milum, Naxia (Sedes Metropolitana) Paros, Syra, ubi & Moniales Capucinæ reperiuntur.

In Regione Anatoliæ, & ora maris Ægei.
Smirna, olim tantò famigerata, ceu celebrior Eccleſia ex ſeptem Aſiæ, præſentia S. Joannis Apoſtoli, & ſanguine D. Polycarpi illuſtrata, ac patria Homeri credita.

In Græcia:
Athenæ, olim Politiæ, divitiarum, & ſcientiarum Sedes, jam in anguſtias, *Settines* dictas, redacta.

In Regno & Inſula Candiæ.
Candia, & Canea.

Miſſio Conſtantinopolitana.

FF. Petrum à Cruce, Ægidium de Sancta Maria, & Dionyſium Romanum ad Regiam Byzantinam, aliaſque infidelium Regiones ad prædicandum Dei Evangelium profecturos diverſis facultatibus munit.

A' tergo. *Dilectis Filiis, Petro de Cruce, Ægidio de S. Maria, & Dionyſio Romano, Ordinis Minorum Congregationis Capucinorum Profeſſoribus.*

SIXTUS PAPA V.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Vos, ſicut Nobis exponi feciſtis, ad laudem & gloriam Divini Nominis, ad procurandam Infidelium converſionem, ad lumen veræ Fidei, & Chriſtianæ Religionis conſervationem, & ad animas Chriſtifidelium in Conſtantinopolitana Civitate, & aliis Infidelium Regionibus commorantium ſpiritualibus ſolatiis adjuvandas, jamdiu cupieritis, pietatis fervore accenſi, ad dictas partes Infidelium proficiſci, & juxta veſtri Ordinis, quam profeſſi eſtis, Regulam, à Beato Franciſco olim traditam, quâ diſponitur, ut, quicumque Fratrum divina inſpiratione voluerit ire inter Saracenos, & alios Infideles, petat inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus; Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum, licentiam hujuſmodi à dilecto Filio Vicario Generali veſtræ Congregationis humiliter petieritis, eamque obtinueritis. Nos informati de veſtris exemplaris vitæ ac morum integritate, diuturna & laudabili Regularis diſciplinæ obſervantia, ac ætatis maturitate, comprobata prudentia, fidei conſtantia, atque doctrina, ac veſtrum hujuſmodi pium propoſitum, & erga ſalutem animarum zelum plurimùm in Domino commendantes, in primis Noſtram vobis Benedictionem impartimur, atque Vos in hoc opus Evangelii ad ejuſdem fidei incrementum & animarum profectum in viam ſalutis & pacis cum eadem Noſtra bene-

benedictione dimittimus: deinde, ut id ipſum majori cum fructu efficere poſſitis, certas vobis facultates duximus concedendas, quibus ſuffulti, juxta datam vobis à Domino prudentiam, tunc demum illis moderatè, ut par eſt, utamini, cum ad Dei honorem, & animarum ſalutem & ædificationem videritis expedire. Quare veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis & veſtrûm cuilibet, quamdiu vos in eiſdem partibus commorari, vel per illas tranſire contigerit, ut cum quibuſvis hæreticis, ſchiſmaticis cujuſcumque ſectæ, ac Infidelibus, ut facilius eos ad Catholicam, & Chriſtianam Fidem, atque Eccleſiæ unitatem reducere poſſitis, ubi, & quando vobis expedire videbitur, ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo, aut pœnarum vel cenſurarum incurſu converſari; ac tam Chriſtifidelibus, quàm Infidelibus Verbum Dei proponere, & tam privatim, quàm publicè, ſi videbitur, prædicare, necnon, ut Altare portatile vobiſcum deferre, & ſuper eo tam in Eccleſiis, Capellis, Oratoriis, etiam non conſecratis, quàm in privatis ædibus, in loco tamen honeſto & decenti, ubi vobis propter periculum, aut aliam neceſſariam, vel rationabilem cauſam expedire viſum fuerit, etiam ante diem, ſub luce tamen, Miſſas, & alia Divina Officia celebrare; utque omnia, & quæcumque ſacerdotalia indumenta & ornamenta, & alias ſacras veſtes, inſtrumenta & vaſa Eccleſiaſtica, ac Pallas & Corporalia, non tamen Calices, Patenas, aut Campanas, neque alia, in quibus Sacra Unctio adhibetur, benedicere; Præterea, ut quoſcumque Infideles, qui ad veritatem Fidei Chriſtianæ venerint, ſeu converſi fuerint, ac eorum & fidelium natos, pueros, & infantes, ubi proprius Parochus haberi non poteſt, baptizare, atque in ipſo Baptiſmo miniſtrando, Sacro Chriſmate & Oleo Catechumenorum veteribus, ſeu eo anno non benedictis, ſi nova commodè habere non poteritis, liberè uti; Ad hæc, ut quorumlibet utriuſque ſexûs Chriſtifidelium, etiam Clericorum & Presbyterorum pœnitentium, quos ad vos in illis partibus recurrere contigerit, confeſſiones audire, eoſque ſingulos, ſi de commiſſis delictis ab intimis doleant, eorumque veniam humiliter petant, ab omnibus peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis per eos commiſſis, necnon à quibuſvis excommunicationis, etiam majoris, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, in quibuſvis caſibus, etiam locorum Ordinariis, & Apoſtolicæ Sedi quomodolibet reſervatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis, contentis, præterquam homicidii, vel mutilationis membrorum perſonæ Epiſcopi, aut Prælati, vel Presbyteri, & cujuſvis alterius perſonæ Eccleſiaſticæ in Sacris Ordinibus conſtitutæ, injunctâ inde eis pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, & aliis, quæ duxeritis injungenda, in foro conſcientiæ tantùm abſolvere: Et quoſcumque inſuper hæreticos, ſchiſmaticos, & à Fide Chriſtiana, & Catholica Apoſtatas, & aberrantes pœnitentes, ac ad cor redeuntes, ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, quas propter hæreſes, ſchiſma, errores, & à Fide apoſtaſiam hujuſmodi quomodolibet incurrerint, dummodo corde ſincero, & fide non ficta ſponte hæreſes, ſchiſma, apoſtaſiam, & errorea ſuos deteſtati fuerint, anathematizaverint & abjuraverint, ac in gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ recipi & admitti humiliter petierint, in forma Eccleſiæ conſueta, injunctâ inde eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis injungendis, prout eorum ſaluti expedire cognoveritis, in foro conſcientiæ dumtaxat, abſolvere, recipere, & reconciliare, & alias juxta formam litterarum facultatis Vobis conceſſæ per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores; Ac demum, ut Chriſtifidelibus prædictis Sacræ Euchariſtiæ, & alia quæcumque Sacramenta quocumque anni tempore, etiam in Paſchate, ſi tamen ibi Epiſcopus, aut proprius Parochus non exiſtat, miniſtrare, & nuptiis per ipſos Fideles invicem legitimè contrahendis in locis, in quibus proprius Parochus, & Epiſcopus de ſit, tamquam proprii Parochi, intereſſe, ac illis Sacerdotalem benedictionem impendere, liberè & licitè poſſitis & valeatis, plenam, liberam, & omnimodam licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Decernimus autem, volumus & declaramus hujuſmodi facultates in præſentibus noſtris litteris contentas vobis, & cuilibet veſtrûm in ſolidum eſſe conceſſas, ac vobis in dictis dumtaxat partibus commorantibus, vel per illas tranſeuntibus ſuffragari, niſi à Nobis aliud Vobis expreſsè mandari contingat. Sic igitur in obeundo hoc pio miniſterio Vobis commiſſo, talenta Vobis à Domino credita exercere ſtudeatis, ut eadem magno cum fructu duplicata reportantes, ab ipſo Domino tamquam Servi boni & fideles laudari, & in cœleſtia ejus gaudia intrare, ac præmia digna laboribus veſtris in

æterna retributione feliciter conſequi mereamini.

Noſtri Anno Tertio.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXVII. Junii MDLXXXVII. Pontificatûs

Autog. in Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni prꝙd. fol. 24.

NOTA.

SPecialem hæc prædictorum Patrum, juxta Annales noſtros *tom. 2. fol.* 242. in Capitulo Generali 1587. Romæ celebrato decreta ad partes Infidelium Miſſionaria legatio meretur memoriam, cum illa fuerit decorata ſocietate S. Joſephi à Leoniſſa, quemadmodum tum in folio Annalium ſuprà notato, tum ex litteris, quibus P. Generalis meritum Obedientiæ ſelectorum Patrum zelo adjunxerat, apertè conſtat: fuerant enim dictæ litteræ ita formatæ:

Reverendis in Chriſto chariſſimis, Patri Fr. Petro de Cruce, Fr. Ægidio de S. Maria, Prædicatoribus, & Fr. Dionyſio Romano Sacerd. Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Sancti Franciſci.

Hieronymus de Politio, ejuſdem Ordinis Generalis (l. i.) ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam æmulantes Seraphici Patris noſtri zelum animarum (& maximè Infidelium) & ejuſdem S. Patris conſilium in Regula expoſitum exequi cupientes, à vobis humiliter & inſtanter rogati donari vobis copiam & benedictionem noſtram ad peragrandam partes Infidelium, & ſignanter ad Conſtantinopolitanam Civitatem, ad ibi Sacrum Chriſti Evangelium prædicandum, divinaque Sacramenta Fidelibus adminiſtrandum, atque alia pietatis & charitatis opera exercendum, ut veri Filii tanti Catholici & Apoſtolici Patris. Nos verò eundem habentes animum, ejuſmodique deſiderio flagrantes, & ratione profeſſionis & officii, de veſtra maturitate, doctrina, honeſtate morum, & ſancto zelo confiſi, gaudentes licentiam & benedictionem noſtram vobis impendimus, quatenus eas Infidelium Regiones adeatis, quæ veſtrâ indiguerint ſollicitudine ac zelo, ibique vitâ & doctrinâ Catholicam Fidem, quam tenet, & quemadmodum docet S. R. E. Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum, doceatis, & illuſtretis, obtenebrata illuminetis, infirma confirmetis, diſrupta conſolidetis, & depravata convertatis ad ſuum puriſſimum principium: illam præ oculis Sacri Concilii Tridentini, atque Regulæ noſtræ inſtructionem Prædicatoribus datam, ſemper habentes, ut, videlicet, ſint examinata & caſta eloquia veſtra, & ut Corpus Chriſti myſticum ædificetis, annantiando illi vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, omiſſis ambagibus tumultuantis linguæ. Et, ut tantum munus puriùs, majorique cum fervore meriti exercere valeatis, illud vobis præcipimus ſub merito Sanctæ Obedientiæ. Et inſuper licentiam vobis impendimus, & auctoritatem noſtram pro curandis animabus, corporibuſque, in eo tenore, quo ſolet ſubditis concedi, paritate Regulæ, & profeſſionis noſtræ ſervatâ. Propterea omnes tam Religioſos, tam Sæculares, ad quos vos declinare contigerit, obſecramus, ut benignè vos ſuſcipiant, charitatiſque officia exhibeant, plenam à Domino mercedem recepturi. Valete in Domino, qui proſperum faciat iter veſtrum.

Datum Romæ in loco noſtro S. Bonaventuræ die 20. Junii 1587.

Fr. Hieronymus, qui ſuprà, manu propria.

Et ut prædicta omnia ordinatè procedant & fiant, per præſentes noſtras litteras conſtituimus & nominamus P. Fr. Petrum de Cruce in Prælatum & Gaardianum ſupradictorum Fratrum, & aliorum quorumcumque, qui ad prædictas partes advenerint, cum omnimoda noſtra auctoritate & poteſtate; præcipientes illis omnibus, ut Tibi in omnibus, quæ contra Deum, ac Regulam noſtram non ſunt, obediant, & ſubditi ſint. Et illam eandem auctoritatem, quam Nos ſuper eos habemus, Tibi concedimus, & elargimur, ut in dictos Fratres, quando opus fuerit, exercere valeas. Tu verò, ut bonus Paſtor, gregem Tibi commiſſum & doctrina, & exemplo nutrire curabis. Et in defectum dicti P. Fr. Ægidii, Tibi P. Fr. Joſephum à Leoniſſa Sacerdotem, Concionatorem noſtri Ordinis, item & Fr. Gregorium à Leoniſſa ſubſtituimus.

Datum Aſſiſii Kalendis Auguſti 1587.

Fr. Hieronymus, qui ſuprà, manu propria.

DE-

DECRETO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Fr. Pacificus à Provinio Conſtantinopolim, & ad vicina Græciæ & Thraciæ loca Miſſionarius Apoſtolicus cum facultatibus &c. ablegatur.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Urbanus Divina Providentia Papa VIII. Omnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te, Fratrem Pacificum Provinienſem, Gallum, Concionatorem Capucinum eum Socio, tibi per Generalem tuum aſſignando, Conſtantinopolim, & in vicina loca Græciæ & Thraciæ mittere decrevit & mittit, ut in eis cum facultatibus, tibi per alias litteras concedendis, conſenſu tamen Vicarii Patriarchalis Latini prius requiſito, Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti annunties, & gentes illas doceas ſervare quæcumque Sancta Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana præcipit, & præſertim, ut Judicium Univerſale, in quo boni præmium vitæ æternæ conſequentur, mali verò pœnâ ignis æterni punientur, eiſdem conteſteris. Tu itaque rei magnitudinem, & Apoſtolici muneris tibi commiſſi gravitatem ſeriò perpendens imprimis cave, ne ad Schiſmaticorum & Infidelium conciones, aut ritus quoſlibet quovis prætextu vel cauſa accedas, deinde omnem adhibe curam, ut miniſterium tuum dignè, & fideliter, etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa, ſi opus fuerit, impleas, ut immarceſcibilem coronam à Patre Luminum recipere mereaſis.

Datum Romæ ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 23. Julii MDCXXIV.

Ex Arcb. Gener. Ord. Arm. Miſſio Conſtantinop. *& in Arcb. Sac. Congregat., ubi in Actis anni* 1624. *pag.* 173. *deputatio Miſſionariorum reperitur.*

NOTA

UT fundamentum Miſſionis hujus poneretur ſolidius, voluit Sacra Congregatio, ut Fratribus noſtris ibi aſſignaretur una ex Eccleſiis Latinis juri Patriarchæ Conſtantinopolitani ſubjectis; quem in finem tum ad Oratorem Gallicum, tum ad ipſum Patriarcham Geſualdum, tum ad illius Vicarium ſequentes dedit litteras, & quidem ad D. Oratorem.

Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine Orator.

Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide PP. Capucinos in Civitatem Byzantinam, ad notitiam à Dominat. Veſtrâ anno elapſo datam, inducere reſolverit, unam Eccleſiam cum ſuis pertinentiis, ex illis, quæ ſub Patriarchæ Latini diſpoſitione exiſtunt, iis aſſignare intendit, quatenus cum tempore, & quando Dominat. Veſtræ videbitur, à dictis Patribus formalis fundari poſſit Conventus, in quo ſub rigida Italiæ diſciplinâ vita ducatur, & cum horum Religioſorum exemplo alii, qui ibi reformatione indigent, reformentur, & tandem ex hoc Conventu in diverſis Orientis locis Miſſiones poſſea à Religioſis tum idiomatis, tum morum Perſonarum gnaris exerceri poſſint eo cum fructu, quem in diverſis mundi partibus Capucini cum magna Sacræ Congregationis ſatisfactione accumulant. Cupit ea propter eadem Sacra Congregatio, quatenus Dominatio Veſtra cum ſolita ſua diligentia & prudentia à Turcis licentiam ad dictorum Patrum favorem folliciet, & circa Eccleſiam, quæ ipſis aſſignari poterit, cum illis, quorum intereſt, agat, præſertim cum Vicario Patriarchali, cui ab ipſomet Patriarcha deſuper ſcribi diſponetur, quatenus nullam deſuper faciat difficultatem. Tempore autem ſuo à Sanctiſſimo Domino Noſtro, & à Patriarcha conceſſio dictæ Eccleſiæ in forma extendetur, & cum ea Fr. Pacificus, ejuſdemque Socii eò mittentur. Romæ 27. Julii. 1624.

Litteræ ad Illuſtriſſimum Dominum Patriarcham.

Sacra Congregatio negotiis Propagandæ Fidei præpoſita ſtatuit FF. Capucinos collocare in Civitate Conſtantinopolitana, & quidem in una illarum Eccleſiarum, quæ Patriarcharum Latinorum dictæ Civitatis diſpoſitioni ſubſunt, quatenus Conventus, ex quo in locis Orientis, Operariis indigis, Miſſiones inſtituere poſſint, ibi formetur. Cumque Oratori Gallie ibi reſidenti, ut cum Vicario Patriarchali circa hujuſmodi Eccleſiam ipſis aſſignandam ageret, fuerit ſcriptum, Sacra Congregatio Amplitudinem Tuam deſuper certiorem facere voluit, quatenus & Ipſa prædicto Vicario, ne ullam deſuper difficultatem moveat, ſeque cum memorato Domino Oratore acco-

accomodet, inculcet, ad quod Sanctitas Sua cum Amplitudinis Tuæ conſenſu PP. *Capucinis gratiam conceſſionis largietur &c. Romæ* 27. *Julii* 1624.

Litteræ ad Vicarium Patriarchalem

FR. BENEDICTUM A VERONA.

Aget cum Rev. Veſtra D. Orator Galliæ de conſilio, quo Sacra Congregatio de Propaganda Fide PP. *Capucinis unam ex Eccleſiis diſpoſitioni Patriarcharum Latinorum ſubjectis aſſignare intendit, & quemadmodum dicta Sacra Congregatio obicem ab Ea non ponendum eſſe confidit, ita cum gaudio percipiet, dictis Patribus aptum locum eſſe deſtinatum. Illico autem ac negotium ibi fuerit accomodatum, à Sanctiſſimo, ac à Domino Patriarcha, à quo circa hoc negotium Rev. Veſtra pariter litteras quamprimùm recipiet, Eccleſiæ conceſſio expedietur. Romæ* 27. *Julii* 1624.

Exempla harum litterarum aſſervantur in Arch. Ord. Armar. Miſſio Conſtantinopolit.

Fr. Joſephi de Tremblay conſilium de Oriente ab Infidelium barbarie liberando ſibi patefactum commendat, atque pro eo ad optatum exitum perducendo, opem Apoſtolicam Regi Chriſtianiſſimo adpromittit.

URBANUS PAPA VIII.

TRiumphalem Gallorum Regum pietatem &c. *Reſiduum æquè hujuſce Epiſtolæ, ac alias litteras deſuper ab eodem Summo Pontifice conſcriptas vide tomo* 5. *Bullarii fol.* 49. *& ſeq.*

Inſtantibus FF. Leonardo & Joſepho Pariſienſibus, alios octo Fratres Conſtantinopolim ablegari, Miſſionem Palæſtinæ duobus aliis Miſſionariis augeri, Miſsionariis impeditis alios ſubſtitui decernitur, ac Decretum de locis Miſsionum non faciendarum declaratur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita 22. *Februarii* 1627.

RElatis per Illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Bentivolum petitionibus Fratrum Leonardi, & Joſephi Pariſienſium Capucinorum Miſſionum Orientis Præfectorum, Sacra Congregatio decrevit, ut infra.

Primò. Quoad facultatem mittendi alios quatuor Capucinos in Peram, ſeu Conſtantinopolim, Sacra Congregatio cenſuit Oratoribus concedendam eſſe, prout præſenti Decreto concedit facultatem illuc mittendi alios octo Fratres, ut cum aliis quatuor ibi exiſtentibus poſſint juxta Capucinorum Inſtituta religioſam magis, & exemplarem ducere vitam.

Secundò. Conceſſit eiſdem Oratoribus poteſtatem augendi Miſſionem Palæſtinæ aliis duobus Fratribus.

Tertiò. Declaravit Oratores poſſe in locum eorum Fratrum, quos deſtinârunt, vel in futurum deſtinabunt ad loca, ad quæ faciendi Miſſiones ex Decreto Sacræ Congregationis habent poteſtatem, alios Fratres ſubſtituere, ſi deſtinati, vel deſtinandi aliquo impedimento fuerint prædediti, dummodo tamen ſubſtitutorum nomina Sacræ Congregationi quamprimùm ſignificent.

Quartò. Decretum editum die 30. Junii 1626. de Miſſionibus non faciendis ad loca ſubjecta Guardiano Hieroſolymitano, in quibus jam ſunt Minores de Obſervantia, Sacra Congregatio declaravit per illa verba intellexiſſe Urbes Hieruſalem, Bethlem, Nazareth, ac alia Syriæ, Ægypti, vel Palæſtinæ loca, in quibus dicti Fratres Minores habent Conventus formatos cum numero Fratrum à Conſtitutionibus Pontificiis præſcripto, & non loca, ubi Hoſpitia tantùm habent, vel ut Capellani Conſulum degunt; ad hæc enim Miſſiones fieri poſſe cenſuit, non obſtante, quod ibi Fratres præfati, vel Hoſpitia, vel Capellanias obtineant.

Extract. ex Actis Sacræ Congregationis de anno 1627. *pag.* 186.

DE-

Controverſia Vicarium Apoſtolicum inter—& Capucinos Miſsionarios de benedictione pro concionibus, ac licentia pro expoſitione Sanctiſsimi Sacramenti petenda, & de Pontificalibus in Eccleſiis Regularium exercendis orta dirimitur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitę die 17. Martii 1710.

RElatâ per Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Dom. Cardinalem Spadam controverſia orta inter Dominum Vicarium Patriarchalem Conſtantinopolitanum, & PP. Capucinos Gallos inibi commorantes, an ſcilicet

Primò. Religioſi Concionatores teneantur petere ab eodem Vicario Patriarchali benedictionem pro concionibus non ſolùm tempore Quadrageſimali, ſed quovis etiam alio tempore per annum?

Secundò. An liceat eidem Vicario Patriarchali, quoties ipſi libuerit, Sacra etiam Pontificalia in Eccleſiis Regularium peragere?

Tertiò. An Miſſionarii Regulares teneantur toties quoties petere ab eodem Vicario Patriarchali licentiam exponendi in propriis Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum?

Eminentiſſimi Patres re maturè perpensâ reſponderunt.

Ad primum. Servetur Decretum anni 1672. & quoties Dominus Vicarius fuerit præſens, teneri etiam Miſſionarios benedictionem petere: ſufficere tamen licentiam ſemel conceſſam pro toto tempore Quadrageſimali, idemque pro Adventu, & Concionibus annualibus, quæ, non variatâ Perſonâ Concionatoris, fiunt certo determinato tempore, niſi eidem Vicario ob rationabiles cauſas, licèt occultas, viſum fuerit illam ſuſpendere, ad formam Bullæ ſa.me. Clementis X. ſub dat. xi. Kalen. Julii 1670. incip. *Superna*.

Ad ſecundum, Affirmativè, & quoad exequias Defunctorum ſervari ſolitum.

Ad tertium, Serventur Decreta edita ſub diebus 14. Januarii 1648. 4. Febr: 1664. & 7. Novembris 1672.

Exempl. in Arch. Ordin. Armar. Miſſio Conſtantinop.

Pro uſu facultatum à Miſsionariis licentiam non ab Epiſcopis Schiſmaticis, ſed ab Epiſcopis, qui Catholici cum rectæ fidei certitudine creduntur, petendam eſſe decernitur.

In Congregatione particulari de Propaganda Fide habita die 7. Maji 1631. ſuper Dubiis propoſitis à Capucinis Orientis.

AD primum Sac. Congregatio reſpondit, non eſſe petendam à Miſſionariis licentiam ab Epiſcopis Schiſmaticis pro uſu ſuarum facultatum; quia clauſula illa de petenda licentia ſupradicta intelligitur de Epiſcopis communionem cum S. R. E. habentibus, ut conſtat ex formula literarum Patentium, quas Sac. Congregatio de Propaganda Fide pro Miſſionariis expedit.

Ad ſecundum. An ſcilicet petenda ſit licentia pro illius uſu ab Epiſcopis, quos Miſſionarii arbitrantur eſſe Catholicos?

Sac. Congregatio reſpondit: Affirmativè, ſi tanta ſit certitudo eorum rectæ fidei, ut omnem Schiſmatis, ac erroris in illis partibus vigentis ſuſpicionem excludat.

An dicta licentia petenda ſit à Parochis Schiſmaticis? S. Congregatio reſpondit, ut de Epiſcopis.

Exemp. in Arch. gen. Ord. Arm. Miſſio Conſtantinopolitana.

DECRETO

Sac. Congregat. de Propag. Fide.

Superioribus cujuſcunque Ordinis Regularis, Sacerdotibus Sæcularibus cujuſvis ritûs Orientalis in Conventibus vel Hoſpitiis convictum dare prohibetur.

Decretum Sac. Congregationis particularis de Propag. Fide habitæ die 24. Aug. 1736. ſuper rebus Vicariatûs Apoſtolici Conſtantinopolitani.

REferente R. P. D. Philippo de Montibus Secretario, Sac. Congregatio juſtis & rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, præſenti Decreto expreſsè prohibet Patribus Superioribus pro tempore cujuſvis Ordinis Regularis, etiam ſpeciali nota dignis, in Civitate Conſtantinopolitana degentibus, ne deinceps quavis cauſa aut præ-

prætextu in eorum Conventibus vel Hoſpitiis convictum ſeu contubernium præbeant Sæcerdotibus ſæcularibus cujuſvis Ritûs Orientalis, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

Datum Romæ die III. Junii MDCCXXXVII.

Exempl. in Arch. Ord. prædicto.

Miſſio Andrenſis in Archipelago.

Fr. Thomas Pariſienſis Eccleſiæ Andren. in Mari Ægeo Vicarius Apoſtolicus conſtituitur.

Dilecto Filio, Thomæ Pariſienſi, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſori.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPiritualibus neceſſitatibus Eccleſiæ Andren. in Mari Ægeo, quæ (ut accepimus) proprio Paſtore viduata reperitur, ac directioni & curæ Chriſtifidelium, juriſdictioni pro tempore exiſtentis Epiſcopi Andren. ſubjectorum, pro paſtorali noſtra ſollicitudine, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de tuis fide, prudentia, doctrina, integritate, & Catholicæ fidei zelo plurimùm in Domino confiſi, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Te, qui (ut pariter accepimus) Miſſionis tui Ordinis in Civitate Andren. Superior exiſtis, memoratæ Eccleſiæ Andren. Vicarium Apoſtolicum cum facultatibus ſolitis & conſuetis ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus & deputamus: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinibus, necnon, quatenus opus ſit, dictæ Eccleſiæ Andren. etiam &c. ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die V. Martii MDCCXII, Anno Duodecimo.

Ex Arch. Secret. Brevium reg. menſ. & anni præd. fol. 9.

Miſſio Argentarienſis.

In Inſula Argentaria, vulgò *Cimoli*, novam Miſsionem à Miſsionariis Capucinis Mili &c. aperiri conceditur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 28. Aprilis 1710.

RElata per R. P. D. Silvium de Cavaleriis inſtantiâ Patrum Capucinorum Nationis Gallicæ in Urbe Mili, ac in aliis adjacentibus Inſulis Maris Ægei Miſſionariorum, petentium facultatem condendi, atque aperiendi novam Miſſionem in Inſula Cimoli, aliàs Argentaria, ad inſtar aliarum Miſſionum, quas in prædictis Inſulis habent, & cum proviſione Vicario ſuæ Miſſionis ejuſdem Inſulæ per Sacram Congregationem ſubminiſtrari ſolita ſcutorum viginti monetæ Romanæ.

Eminentiſſimi Patres hujuſmodi petitioni indulgentes, petitam facultatem benignè conceſſerunt cum proviſione aliàs, ut ſuprà, aſſignata.

Datum Romæ die, & anno, quibus ſupra.

Exempl. Auth. in Arch. Ord. Arm. præd.

Miſſio Candiæ.

Matrimonium Mulieris Græcæ ſecundum ad quæſtionem Miſsionariorum declaratur nullum.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

FRater Gervaſius à Bagnolâ Superior Miſsionis Capucinorum Nationis Gallicæ in Regno Candiæ, & Parochus actualis, humiliter proponit dubium Sacræ Congregationi Generalis inquiſitionis.

Græcus quidam Græcam fœminam ſibi matrimonio jam à viginti annis copulavit, poſt matrimonii conſummationem mari ſe commiſit, ut victum nauticâ arte ſibi compararet; poſt duos ejus abſentiæ annos, Uxor impa-

impatiens ad ſecundas nuptias tranſiit: Maritus ab itinere rediens & hoc reſciens, ad ſecundas nuptias cum alia Græca etiam ipſe convolavit. Deinde ob peritiam in Nautica arte Gallicis navibus ſe adjunſit, quibus ut gratior eſſet, à Conſule Gallo Patentem Regiam obtinuit, vi cujus Gallicus civis evaſit, abjurata Græcorum factione, ad hanc Candiæ Urbem, ſecundam prætenſam Uxorem ſuſceptoſque ex ea quinque libros tranſtulit, & in latinorum Ritum ſuit coaptatus & ignoratâ causâ à Parocho admiſſus, ſnoſque filios in latino Ritu baptizavit & ipſemet P. Gervaſius hujus rei ignorans unum poſtremò baptizavit.

At modò totam facti ſeriem cognoſcens, fœminam hanc omnium Sacramentorum communione interdixit, vivit enim adhuc prima & legitima antedicti viri uxor, quæ nuper ad tertias nuptias impiè acceſſit. Maximum ex iſta interdictione imminet periculum, ne ſcilicet Mahometani Gubernatores re cognitâ, tum fœminam, tum ſpurios filios ad nefandam illorum ſectam adducant, vel ad ſchiſmaticorum Græcorum partes redire cogantur à Græco Epiſcopo.

Quare F. Gervaſius prædictus hujus casûs deciſionem humiliter expectat à ſacra Inquiſitione, ut ſciat, quomodo ſe gerere debeat in cauſa tam periculoſa; An ſcilicet fœminam hanc poſſit tolerare? An verò Sacramentis perpetuò interdicere, & ab Eccleſia expellere debeat, jam enim res omnibus palam innotuit?

Sac. Congregatio S. Offieii ad dubium propoſitum à P. Gervaſio à Bagnola Superiore Miſſionum Capucinorum Nationis Gallicæ in Regno Candiæ dixit, reſpondendum, quod enunciata mulier admitti non debet ad participationem Sacramentorum, donec à ſecundo Viro ſe ſeparet, cum quo nulliter matrimonium, attenta ſuperviventia primi viri, contraxit.

Romæ die VI. Maji MDCCXXV.

Exemp. in Arch. Ord. Arm. prædicto.

Miſſio Chienſis.

Donationem Eccleſiæ S. Rochi, Capucinis factam cum ſcripturis deſuper confectis confirmat.

UBBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs Ven. Frater Epiſcopus Chien. ac dilecti Filii Communitas & homines Civitatis Chien. pro eo, quem erga dictum Ordinem gerunt, affectu, Eccleſiam S. Rochi prope dictam Civitatem exiſtentem eidem Ordini conceſſerunt & aſſignârunt, prout in publico Inſtrumento ſeu ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Procurator prædictus plurimùm cupiat conceſſionem & aſſignationem prædictas pro firmiori illarum ſubſiſtentia & validitate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Procuratoris Generalis votis hujuſmodi annuere, illumque ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. eenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum conſilio conceſſionem & aſſignationem dictæ Eccleſiæ per Epiſcopum ac Communitatem & Homines prædictos eidem Ordini, ut præfertur, factas, ac, prout illas concernunt, deſuper confectum Inſtrumentum, ſeu ſcripturas hujuſmodi eum omnibus inde ſequutis Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes conceſſionem & aſſignationem prædictas, nec non præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac eidem Ordini in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcunque Judices &c. Auditores judicari & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtan. Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis, etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Martii MDCXXVIII. Anno Quinto.

Autog. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. reg. menſ. & anni præd. fol. 81.

Prædictâ S. Rochi Eccleſia à Turcis deſtructâ, Familiæ Juſtinianæ Miſſionarios Capucinos, pro Eccleſia S. Georgii commendat.

A tergo. Dilectis Filiis ex Familia Juſtiniana in Chio Inſula commorantibus

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

FAmiliæ veſtræ Religio à Majoribus ad Vos, continuatis pietatis officiis, tranſmiſſa, atque in Divino cultu conſervando augendoque ſedulitas, quâ cæteris exemplo eſtis, Nos impellunt, ut Capucinos Fratres, qui iſtuc ad Domini vineam excolendam miſſi ſunt, majorem in modum Vobis commendemus. Eos, quanquam in cæteris ſatis humaniter tractari ſcimus, quia tamen controverſia de Eccleſia Sancti Georgii Sodalitatis Caſacciæ nuper exorta fructum animarum magna ex parte intervertere poteſt, & Divinam gloriam, quæ ex iſtius populi inſtitutione ſperatur, impedire, Vos in viſceribus charitatis hortamur, ut noſtras literas, quas in forma Brevis ad concordiam inter ipſos & Sodales ſtabiliendam dedimus, executioni mandari curetis. Ita enim per Vos publico pacis bono, quod maximè optabile eſt, opportunè conſuletur, & piarum actionum, in quibus eorum operâ Chriſti fideles quotidie exercebuntur, non vulgari veſtra cum laude participes eritis. Confidimus noſtra verba tale apud Vos pondus habitura, ut in his Patribus ſovendis nihil paſſuri ſitis à veſtra pietate deſiderari. Apoſtolicam Benedictionem Vobis peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Julii MDCXXXIII. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 109. *à tergo.*

Eccleſiam S. Georgii Confraternitatis Diſciplinantium *della Caſaccia* cum omnibus pertinentiis & conditionibus approbatis Miſsionariis Capucinis aſsignat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut dilecti Filii, Hyacinthus de Pariſiis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum pro Fratribus Capucinis Miſſionariis Civitatis Chienſis, & Bernardus Grimaldus unus ex Confratribus Confraternitatis Diſciplinantium, *della Caſaccia* nuncupatorum, ejuſdem Civitatis, Nobis nuper exponi fecerunt, vertente aliàs inter eoſdem Capucinos Miſſionarios ex una, ac Confratres prædictos conceſſioni eorum Eccleſiæ S. Georgii ad favorem dictorum Fratrum Capucinorum Miſſionariorum ſeſe opponentes, ex altera partibus differentia ſive controverſia de — & ſuper concedenda eiſdem Fratribus Capucinis Eccleſia Sancti Georgii prædicta, tandem dicti Confratres conceſſioni Eccleſiæ hujuſmodi ad favorem dictorum Capucinorum Miſſionariorum conſenſerint, cum poſtremis tamen conditionibus à Superioribus eorumdem Capucinorum in Alma Urbe noſtra ultimò approbatis, tenoris ſequentis, videlicet = *Conditiones poſtremæ, quibus Confratres S. Georgii Diſciplinantium, de Caſaccia nuncupati, Eccleſiam ſuam Capucinis Miſſionariis in Chio concedunt* = Poſtulabant Sodalitatis Fratres à Patribus Capucinis, ut omnes eleemoſynæ pro ædificio oblatæ fundo annexæ ſint, & ne inpoſterum ab Eccleſia, cujus proprietatem ipſi Sodales ſibi retinent, ejiciantur, cum hæc proprietas fundi remaneat ipſis Sodalibus, ac Civibus, nihilque ſpectet ad Fratres Capucinos, nec etiam ſit contra eorum Regulam, per quam licèt, ut Domini retineant in ſua poteſtate res oblatas Fratribus, quarum tantùm uſum habent, tamen, ſi ita placeat Beatitudini Suæ prædicti Sodales amplius hanc conditionem non requirunt, neque illa debet impedire, quin concedatur Capucinis uſus prædictæ Eccleſiæ, cujus proprietatem forſitan tutiùs eſt remanere apud illos Cives, quàm tribui Summo Pontifici, nec ejus auctoritas in illis partibus tot mutationibus obnoxiis periculo exponeretur = *Requirebant præterea ab iiſdem Patribus Capucinis, ut per ſingulas Hebdomadas ſe duas aut tres Miſſas celebraturos promitterent. Reſponderunt Capucini ſe non velle ad hoc obligari, liberè tamen id facturos pro ſuo commodo, cui reſponſo Sodales annuunt, nec ultra requirunt* = Poſtulabant, dum Miſſa Sodalitatis celebratur, continuari ſolito more offertorium cum eleemoſynæ oblatione pro alendis pauperibus Civibus ſuis

ſuis: qui quidem agendi modus, licèt Regulæ Capucinorum minimè contrarius ſit, annuunt tamen Sodales, ut ſibi tantùm liceat, non ad latus Sacerdotis pacem offerentis, ſed extra Eccleſiam conchã, vel aliquod vas ponere, in quo eleemoſynæ recipiantur: ut verò, dictorum Patrum pateat innocentiæ candor, chirographum Eccleſiæ Januæ affigent Sodales, ut eos, ad quorum inopiam ſublevandam ejuſmodi eleemoſynæ impendantur, declarent = *Rogant & Patres Capucines, ne Feria V. in Cœna Domini laudabilem lotionem pedum, quam erga Pauperes exhibent, impediant, quod equiſſimum duxerunt* = *Sodales oleum, quod in honorem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti in Eccleſia comburitur, tum etiam candelas omnes ſe daturos pollicentur, quorum eã promiſſionem tuto conſcientiæ acceptare non poſſint Patres Capucini, eorum libertati omnia relinquunt* = In confirmatione articulorum ſupra allatorum, quibus conſentiunt Sodales, Breve à Sanctitate Sua poſtulant, ne inpoſterum ullo perdendæ Eccleſiæ metu afficiantur = *Rogant denique Patres Capucinos, ne eos impediant, qui eorum Sodalitati adſcribi voluerint, & ut omnes laudabiles conſuetudines, nec Eccleſiæ Catholicæ, aut eorum inſtituto repugnantes prohibeant.* = Nos eoſdem Miſſionarios in piis & laudabilibus eorum exercitiis hujuſmodi, quantùm cum Domino poſſumus, confovere, eoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotio propagandæ in univerſo Mundo Fidei præpoſitorum conſilio, Eccleſiam S. Georgii prædictam cum omnibus & ſingulis Juribus, & pertinentiis ſuis, ac conditionibus, ultimo loco à Superioribus Capucinorum hujuſmodi, ut præfertur, approbatis, de conſenſu dictorum Confratrum vel majoris partis eorum, Miſſionariis prædictis Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & aſſignamus. Decernentes præſentes litteras validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcumque Judices &c. Auditores judicari &c. attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis & Confraternitatis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Februarii MDCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Autograph. in Secret. Brev. Apoſt. Regeſt. menſ. & anni præd. fol. 74.

Familiam Juſtinianam ad ſtudioſam prædictarum litterarum executionem hortatur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

HOdie per noſtras in ſimili forma Brevis expeditas litteras Eccleſiam S. Georgii Civitatis Chienſis, nuper ad Confratres Confraternitatis Diſciplinantiũ *della Caſacia* nuncupatorum, ejuſdem Civitatis, ſpectantem, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum Miſſionariis dictæ Civitatis, de conſenſu dictorum Confratrum, vel majoris partis eorum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ in univerſo Mundo Fidei præpoſitorum conſilio, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, ſub certis modo & forma, ac cum conditionibus tunc expreſſis, prout in dictis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Quocirca Dilectos Filios illos de Juſtinianis, qui, ſicut accepimus, ex principalioribus ejuſdem Civitatis Familiis exiſtunt, in Domino hortamur attentè, ut litterarum noſtrarum prædictarum executioni, quantùm in ſe fuerit, faveant, & illam, quâ pollent, ibidem auctoritate promoveant: Quod Deo omnium bonorum operum retributori acceptiſſimum, Nobis verò gratiſſimum erit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Februarii MDCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Autog. in Arch. prædicto.

Prohibitio in Ædibus privatis Miſſæ Sacrificium in Inſula, & Diœceſi Chienſi abſque Ordinarii licentia celebrandi renovatur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propagandâ Fide die 9. Aprilis 1742.

CUm aliàs Sacra Congregatio ſub die 2. Decembris anni 1720. decreverit, non licere inpoſterum Sacerdotibus Chienſibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcumque Ordinis & Inſtituti in Civitate Chienſi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Domibus privatis celebrare quacumque de cauſa, abſque licentia Ordinarii, non obſtantibus quibuſcumque, Eadem Sac. Congregatio gravibus ex cauſis animum ſuum moventibus idem Decretum confirmandum & renovandum eſſe cenſuit, prout reipſa confirmavit, & renovavit declarando, nemini licere ſive Sacerdotes fuerint Chienſes Sæculares vel Regulares, ſive exteri, Miſſionariorum munus exercentes, nedum in dicta Civitate, verùm etiam in univerſa Inſula, & Diœceſi Chienſi, præfata peragere, niſi de conſenſu, & licentia Ordinarii, & quod hujuſmodi Decretum eidem Ordinario, necnon Superioribus Regularibus eorum Ordinum, etiam Societatis Jeſu, ex quibus ad eam Miſſionem excolendam Sacerdotes mitti ſolent, communicetur, ut incumbant per omnimoda executione.

Datum Romæ ex Ædibus prædictæ Sac. Congregationis die & anno, quibus ſuprà.

Ex Arch. Gen. Ord. Arm. prædicto.

Miſſio Græcia.

Fr. Dominicus à Lotharingia cum duobus Sociis, Miſſionarius in Græciam ablegatur.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Urbanus Divinâ Providentiâ Papa VIII.

OMnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te Fr. Dominicum à Lotharingia unà cum Sociis Fr. Bonaventura à Reate, & Fr. Bernardino de Belgrado ejuſdem Ordinis in Græciam mittere decrevit, & mittit, ut in ea cum facultatibus vobis per alias litteras concedendis, Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti annuntietis, & gentes illas doceatis ſervare quæcumque Sancta Mater Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana præcipit; & præſertim, ut Judicium univerſale futurum eiſdem conteſtemini. Nos itaque rei magnitudinem, & Apoſtolici muneris vobis commiſſi gravitatem ſeriò perpendentes, omnem adhibete curam, ut miniſterium veſtrum dignè, fideliterque, etiam cum ſanguinis effuſione, ac morte ipſa, ſi opus fuerit, impleatis, ut immarceſcibilem coronam à Patre luminum recipere mereamini.

Datum Romæ ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 4. Octobris 1628. Pontificatûs Sanctiſſimi Domini Noſtri Anno Sexto.

Ex Append. ad tom. 3. Annal. pag. 2. fol. 494.

NOTA

DE hac Miſſione agit noſter P. Silveſter à Mediolano in ſecunda parte Appendicis ad tomum tertium Annalium *pag.* 494. ibique P. Dominicum à Lotharingia ſupradictum, Veliternenſis Conventûs in Provincia Romana Lectorem & Guardianum, P. Bonaventuram Concionatorem, & P. Bernardinum à Belgrado, Græco, Turcico, & Arabico idiomate inſtructum, iiſque graviſſima in Orientis Regionibus negotia tractanda à Sancta Sede commiſſa fuiſſe memorat.

DECRETO

Sacræ Congreg. de Statu Regularium.

Sex Juvenes Græcos in Provinciis deſignandis ad Habitum Ordinis recipi indulgetur.

Beatiſſime Pater.

CApucini Miſſionarii Græciæ ſub Turcarum Dominio debitâ humilitate exponunt, quod in Miſſionum exercitiis, & præſertim in Juventutis inſtructione aliqui Juvenes Chriſtiani à Deo inſpirati ad Habitum Religionis recipi inſtent; cum autem eos nec recipere liceat, nec ad Novitiatum deſtinare, aut illorum inſtructioni vel probationi ob Miſſionis negotia vacare poſſint, Sanctit. Veſtræ humillimè ſupplicant, quatenus concedere dignetur, ut in Provinciis Italiæ, vel prout à M. R. P. Generali conſultiùs judicabitur, ſex talium Juvenum, ſine præjudicio numeri Novitiorum, aliàs in Provincia, in qua recipientur, præfixi, recipi queant. Quod tam ad Dei gloriam, quàm animarum conducet ſalutem. Et Deus &c.

Libel-

Libello ad Sac. Congregationem de Statu Regularium à Sanctiſſimo remiſſo, fuit deſuper ordinatum, uti ſequitur:

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium, Sanctiſſimo Domino Noſtro annuente, præſentis Decreti vigore impertitur licentiam Provinciali illius Provinciæ, quam P. Generalis ad hoc ſpecialiter deſignaverit, ut in aliquo ex Conventibus pro recipiendis Novitiis ibi deputato, præter Novitios jam conceſſos in illa Provincia, hâc vice tantùm, ſex alios Clericos ex prænominatis Regionibus oriundos, qui prævio diligenti examine ad præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Statutorum Ordinis idonei reperti fuerint, ad Habitum probationis recipere, & anno elapſo ad profeſſionem admittere liberè & licitè valeat, ſub exacta tamen vita communi ad præſcriptum Regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſervata forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, necnon Statutorum prædicti Ordinis, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ die 14. Junii 1655.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armor.

Miſſio Græciæ.

Miſſio Milenſis.

Fr. Joannem Chryſoſtomum Antiſiodorenſem Eccleſiæ Milenſia in Mari Ægeo Vicarium Apoſtol. conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio, Joanni Chryſoſtomo de Auxerre, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſori.*

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Spiritualibus neceſſitatibus Eccleſiæ Milenſis in Mari Ægeo, quæ (ut accepimus) à pluribus annis propio Paſtore viduata reperitur, quantòm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, & Catholicæ Religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, Teque à quibuſvis &c. cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandę Fidei prę-poſitorum conſilio, Te memoratæ Eccleſiæ Milenſis Vicarium Apoſtolicum cum facultatibus ſolitis & conſuetis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum conſtituimus & deputamus; ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, ut Te ad demandatum Tibi per præſentes Vicariatûs Apoſtolici officium, illiuſque liberum exercitium juxta earundem tenorem præſentium recipiant & admittant, Tibique in omnibus ad idem officium ſpectantibus faveant, pareant, & aſſiſtant reſpectivè, ac tua ſalubria monita & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit, dictæ Eccleſiæ Milenſis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCX. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Autog in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni prad. fol. 5.

Miſſio Inſulæ Paros.

Miſsionem in Inſula Paros inſtitui, Archiepiſcopo Naxienſi committitur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 24. Septembris 1640.

Referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Sancti Honuphrii litteras Archiepiſcopi Naxien., in quibus petebat Miſſionem duorum Capucinorum Italorum in Inſulam Paros ejus Juriſdictioni ſubjectam, Sacra Congregatio juſſit eidem Archiepiſcopo reſcribi, ut duos Capucinos Gallos in prædictam Inſulam mittat, cum expreſſa conditione, quod Eccleſia Latina dictæ Inſulæ

ſulæ remaneat Archiepiſcoporum pro tempore, ita ut Capucini mittendi ſint ſimpliciter Miſſionarii, nec unquam ullum jus ſuper ea prætendere poſſint.

Extract. ex Actis Sac. Congregat. de Propaganda Fide anni 1640. pag. 175. n. 2.

NOTA.

ACtum jam erat anno anteriore de hac Miſſione inſtituenda, & editum Decretum, quod ſequitur:

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 18. Aprilis 1639.

Referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Cornelio, utilem fore Miſſionem Fratrum Capucinorum in Inſula Paros, Sacra Congregatio hujuſmodi Miſſionem probavit, & de ea fundanda agi mandavit cum Procuratore Generali Capucinorum &c.

Extract. ex Actis Sac. Congreg. de Propaganda Fide anni 1639. pag. 277. num. 14.

Miſſio Smirnenſis.

Eccleſiam FF. Capucinorum Smirnæ pro Natione Gallica Parochialem, & in ea communionem Paſchalem tum à Gallis, tum aliis adhærentibus fieri poſſe, confirmando Decreta jam aliàs deſuper, edita declarat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs à Sacra Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum ſuper pluribus dubiis à Vicario Apoſtolico Smyrnæ, inter alia quæſitum fuit, an Communio Paſchalis Nautarum Gallorum, qui in Portu ejuſdem reperiuntur, fieri poſſit indifferenter tam in Eccleſia FF. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quàm in alia Clericorum Regularium Societatis Jeſu, ſive in alia, aut in prima tantummodo peragenda ſit? Emanârunt Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet = Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habita die XXVI. Januarii MDCXXXIII. Relatis per Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Joannem Baptiſtam de Alteriis pluribus dubiis propoſitis à Vicario Apoſtolico Smyrnarum, inter alia quæſitum fuit, ut ſequitur, nempe = An Communio Paſchalis à Nautis Gallis, qui in Portu Smirnenſi reperiuntur, poſſit fieri indifferenter, vel in Eccleſia Patrum Capucinorum, vel in illa Patrum Jeſuitarum, vel in alia? An verò ad ſatisfaciendum præcepto fieri debeat in prima dumtaxat, cum ſit Parochialis? Et Eminentiſſimi Patres reſponderunt = Dentur Decreta. Hujuſmodi autem Decreta ſunt ſequentia, videlicet: In Congr. Generali habita die XXIII. Decembris MDCXXX. Referente Reverendiſſimo Domino Torniello litteras Conſulis Smyrnæ Nationis Gallorum de Conventu, & Eccleſia pro Capucinis, in ea Urbe ædificatis, ejuſdemque Conſulis Inſtantiam, ut dicta Eccleſia Parochialis declaretur pro Natione Gallicana, eique adhærentibus: Sacra Congregatio, commendata iterum pietate præfati Conſulis, cenſuit ſcribendum eſſe Archiepiſcopo Smyrnenſi, ut tam ſuæ, quàm Sacræ Congregationis auctoritate dictam Eccleſiam Capucinorum declaret Parochialem pro Natione Gallica, eique adhærentibus. In Congregatione Generali habita die XX. Auguſti MDCXL. Referente Eminentiſſimo Cardinale Spada cauſam vertentem inter Archiepiſcopum Smyrnenſem, ejuſque Vicarium Generalem ex una, & Patres Capucinos Miſſionarios ejuſdem Urbis ex altera partibus, & rationes hinc inde adductas ſuper Iure Parochiali, quod prætendunt Capucini habere ratione Eccleſiæ, ſeu Capellæ Domini de Puy Conſulis Galli in eadem Urbe, & ſuper cenſuris à prædicto Vicario contra præfatos Capucinos per viam declarationis promulgatis, tamquam uſurpatores Iurium Parochialium eis, eorumque Eccleſiæ, ſeu Capellæ non competentium; Sacra congregatio, viſis Decretis aliàs factis circa dictam Eccleſiam, ſeu Ca-

Capellam, ac Viſitatione Apoſtolica ejuſdem Archiepiſcopi, dum eſſet Epiſcopus Sanctorinenſis, & Viſitator Apoſtolicus Orientis, poſt maturam deliberationem, in primis cenſuit Eccleſiam, ſeu Capellam prædictam eſſe Parochialem, & proinde Capucinos illius curam, & uſum habere potuiſſe, & poſſe Sacramenta Parochialia Gallis, eorumque adhærentibus Smyrnæ commorantibus, aut illuc appellentibus adminiſtrare, cæteris omiſſis &c. In Congregatione particulari habita die xxtx. Ian. MDCLXVII. ſuper rebus Miſſionum Smyrnarum, inter alia propoſita, & reſoluta fuerunt infraſcripta dubia: videlicet = Quinam ſub nomine adhærentium Nationis Gallicæ intelligi debeant? Reſcriptum. Intelligantur, qui aſſiſtunt Conſiliis, & Filii, Familiares, & Domeſtici, & omnes illi, qui ſponte ſunt ejuſdem voluntatis, cujus eſt Principalis. An Mercatores, & Nautæ Itali, vel alterius Nationis à Gallica Navigantes, & Mercaturam exercentes ſub Vexillo, & Magiſtratu Gallico, ultroque eidem Magiſtratui ſe ſubmittere quoad cauſas ad Forum Sæculare ſpectantes, ſed quoad curam animarum, & cauſas Eccleſiaſticas Iuris Parochialis nolentes ſe aliis Parochis, & Parochiæ ſubmittere, quàm Parochiæ, & Parochis Nationis Italicæ, ſint cogendi ad ſubmittendum ſe Capucinis, & ipſorum Parochiæ Nationis Gallorum? An verò relinquendi alteri Parochiæ Italorum? Reſcriptum = Quoad Sacramenta: Gallos, eorumque adhærentes à Capucinis poſſe cogi. In Congregatione Generali habita die VIII. Octobris MDCXCI. reſcriptum fuit = D. Secretarius cum Patre Procuratore Generali Capucinorum, ut omnino mandet obſervantiam Decreti à Viſitatore Apoſtolico Inſularum Maris Ægei emanati de anno MDCLXXIX., cujus tenor eſt, qui ſequitur = Quod per adhærentes, Familiares & Domeſticos Nationis Gallicæ in Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 29. Ianuarii MDCLXVII. edito expreſſi, non ſolùm illi, qui ſunt de Domo, & Familia Domini Conſulis Galliæ, ſed etiam Domeſtici, Familiares, & Servi omnium aliorum Gallorum intelligantur, & conſectariò Patres Capucini iiſdem Sacramenta Parochialia adminiſtrare poſſint, pro tempore tamen, quo dicti Famuli, alterius licèt Nationis, in famulatu eorumdem Patronorum reperiuntur. Et caſu, quo de famulatu diſcedant, Parochiæ Venetæ ſint ſubjecti, & ſubjecti intelligantur. V. Cardinalis Petra Prætectus. N. Fortiguerra Secretarius. L. S.

Cum autem, ſicut dilectus Filius, Cherubinus de Noves, Frater expreſsè profeſſus ejuſdem Ordinis Capucinorum, ac illorum Miſſionum in partibus Infidelium in Romana Curia Procurator, Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe, quò inpoſterum pax firmiùs ſtabiliatur, & novæ diſſentiones evitentur, Decreta hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio eõmuniri plurimùm deſideret. Nos ſpecialem ipſi Cherubino gratiam fere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Ianuarii MDCCXXXVI. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 5. de quo Exemplar typis Cameræ Apoſt. impreſſum in Arch. Ord. Arm. Miſſio Smirnenſis.

NO-

NOTA

PLura alia Monumenta, hanc Miſſionem concernentia, in Archivo Ordinis conſervantur, quæ hîc addi non poſſunt. Suppleat autem illa, Actus publicus, quo Rex Chriſtianiſſimus Eccleſiam Conſularem in ſuam recepit protectionem, ejuſque adminiſtrationem Fratribus noſtris privativè addixit, & qui ſequens eſt:

Actus, ſeu Inſtrumentum, quo Rex Chriſtianiſſimus Domum Miſſionis Smirnæ in ſuam recepit protectionem.

Ad id, quod ſuæ Majeſtati per Dominum De la Meure, Nationis Gallicæ in Civitate Smirnæ Conſulem tum pro ſua, tum pro parte Domini De Puy dictæ Civitatis Vice-Conſulis fuit expoſitum, videlicet, quod attento jam à longo tempore, qualiter Veneti & Græci ibi habitantes, Eccleſias opportunas & benè conſtructas haberent, & econtra nulla ibi pro uſu dictorum Conſulis & Vice-Conſulis Nationis Gallicæ reperiretur, & ideo Miſſam, aliaque Divina Officia, vel in eorum Domo, vel in aliis locis, non ſatis hujuſmodi ſacris Myſteriis congruis, non ſine præjudicio Religionis Catholicæ & Apoſtolicæ ex parte Infidelium, ac nominis Gallici in dicto loco celebrari facere deberent, iis ex his cauſis fuit injunctum, ut ab hinc duobus annis Capellam & Domum contiguam pro habitatione PP. Capucinorum, & pro ſervitio devotionis Nationis Gallicæ ſub titulo Capellæ Conſularis conſtrui facerent; hinc Majeſtati ſuæ humillimè ſupplicant, ut conſiderato & attento, quod functiones Eccleſiaſticas in dicta Civitate exercere non permittatur, niſi in Capella Conſulis, aut in Templis jam à longo tempore conſtructis, & quod Eccleſia ibi nulla reperiatur, quæ ab aliis prædictis Nationibus non ſit occupata, ordinare dignetur, ut dicta Capella & Domus uſui prædicto deſtinetur, & à Capucinis, tanquam Capellæ Conſularis Capellanis adminiſtretur, quin in futurum aliis, tum ob expenſas à præfatis Conſule & Vice-Conſule pro illius fabrica factas, tum ob ſubſidium elemoſynæ intuitu dictorum PP. Capucinorum ab iis receptæ conſignari poſſit. Ad quæ Majeſtas ſua reſpiciens piam dictorum Conſulis & Vice-Conſulis intentionẽ ſecundare, & fundationem dictæ Capellæ pro Dei gloria, & ſubditorum ſuorum in dicta Civitate Smirnæ negotiantium ſolatio, auctoritate & protectione regia ſuffulcire volens, juſſit & jubet, ut Capella conſtructa, uti dictum eſt, per prædictos Conſulem & Vice-Conſulem Smirnæ, deinceps pro Natione ſuorum ſubditorum, aliorumque ſub jure Gallię in dicta Civitate Smirnæ negotiantium, ſub titulo & qualitate Capellę Conſularis deſtinetur, à PP. Capucinis ſub titulo Capellanorum memoratę Capellę adminiſtretur, & dictum ędificium pro habitatione dictorum Patrum aſſignetur, quin nunc vel deinceps dicta Capella & ędificia ab aliis, quàm enuntiatis PP. Capucinis quocunque cauſa vel occaſione adminiſtrari vel tenèri poſſit. Vult tamen & permittit, ut Jeſuitę, impręſentiarum in dicta Civitate Smirnę commorantes poſſint, iisque licitum ſit in dicta Capella S. Miſſam celebrare, poſſintque eo in loco, qui Conſuli & Vice-Conſuli conveniens videbitur, habitare, quin exin titulum in præjudicium PP. Capucinorum, quos Sua Majeſtas quavis occaſione & modo turbari non vult, acquirant. Quod ut ita ſequatur, Majeſtas Sua Oratoribus ſuis in Oriente preſentibus & futuris, effectum preſentium inculcat. Pariſiis 12. Maji 1631.

Exemp. in Arch. prędicto.

Miſſio Syrana.

Conceſsio Eccleſiæ Sanctiſsimæ Annuntiationis ab Epiſcopo Syrenſi Miſſionariis Capucinis facta ratihabetur, & elemoſyna pro conſtructione Hoſpitii aſsignatur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita die 10. Januarii 1634.

REferente Emo D. Card. S. Honuphrii litteras Epiſcopi Syrenſis de Eccleſia Sanctiſſimæ Annuntiationis, quam ille conceſſit Miſſionariis Capucinis, & de ſubſidio, quo illi indigent, ut poſſint vicinas Domos emere pro Hoſpitio conſtruendo, Sac. Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, conceſſionem prædictæ Eccleſiæ eſſe auctoritate Apoſtolica confirmandam, & quoad ſubſidium cenſuit, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit, ſcuta centum eiſdem Miſſionariis eſſe pro unica vice tradenda, non expreſſa cauſa emptionis præfatarum Domorum, ſed generaliter pro ſubſidio Miſſionis, juſſitque iterum de hoc negotio referri in proxima Congregatione coram Sanctitate ſua habenda.

Extract. ex actis S. Cong. anno 1634. p. 3. m. 9.

NOTA.

NOTA

IN habito poſtmodum S. Congreſſu fuit & ceſſio Eccleſiæ, & elemoſyna pro emptione Domorum ſtabilita per Decretum ſequens:

In Congregatione de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 30. Januarii 1634.

Referente eodem Eminentiſſimo D. Card. S. Honuphrii Decretum præcedentis Congregationis de Eccleſia Sanctiſſimæ Annuntiationis B. V. pro Capucinis Miſſionariis Syræ in Mari Ægeo, & de ſcutis centum pro emptione vicinarum Domunculorum pro eorumdem Hoſpitio, Sanctiſſimus D.N. illud probavit, addiditque, ut ſcuta centum decreto mittantur Epiſcopo Syræ cum mandato, ut ea inſumat in emptione dictarum Domunculorum, & Hoſpitio in illis accomodando pro dictis Patribus Miſſionariis.

Extract. ex act. S. Cong. anni 1634. p. 13. n. 3.

MISSIONES

IN ÆGYPTO SYRIA, PERSIA, MESOPOTAMIA, INDIA ORIENTALI &c.

PROVINCIÆ TURONENSIS.

UT tum Perſia, Sophorum Regnum, quod Ali, Mahometis Gener, turpi ſectarum congerie ſœdaverat, in novitate legis Evangelicæ reformaretur, tum Armenia, in cujus monte *Ararath* Patriarcha Noe poſt ſuum ex Arca egreſſum primum ſacrificium Deo obtuliſſe fertur, hoſtiâ agni immaculati renovaretur in gloriam Cœli, & in hac & illa confeſſione veræ fidei memoria ſanctificationis, in primis Evangelii ſæculis plantatæ reviviſceret, Capucinus Gallus in utramque Miſſionariam expeditionem quoque decreverat. Dum autem Aleppum, inſigniorem Syriæ Civitatem attigit, Catholicos diverſæ Nationis ibi concomorantes, ſuæ virtutis exemplo ita in ſui venerationem allexit, ut iteratis illorum inſtantiis curſum viæ ibi ſuſpendi voluerint.

Quod dum rei Catholicæ plurimùm profuturum Capucinus agnoviſſet, per remiſſum Pariſios ſocium Miſſionarium, PP. Leonardo & Joſepho de Tremblay, Miſſionum in Oriente &c. inſtituendarum authoritate Apoſtolica Superioribus, caſum catholicæ felicitatis nuntiavit, & conſilium ulterioris actionis ab iis requiſivit.

Approbârunt hi præſagum multiplicis ea fixa ibi Capucini Miſſionarii mora fructûs propoſitum; hinc nova Miſſionariorum legatione, & executioni Apoſtolicæ expeditionis in Perſiam, & Armeniam conſuluerunt, & primitias Miſſionis in Civitate Aleppi, novo Domicilio conſecrari juſſerunt, porrigente potentem manum Rege Chriſtianiſſimo per litteras regio ſuo Conſuli ita inſcriptas:

Dilecte. Cupientes inſtanter, ut Patres Capucini in Oriente ob fructum, quem de ipſorum pietate & doctrina pro Religionis Catholicæ incremento, juxta facultates à Summo Pontifice ad noſtras inſtantias iis conceſſas, expectamus, ſtabiliantur, baſce ad vos dari mandavimus, volentes, ut illorum Domicilium Aleppi, in aliiſque veſtri Conſulatûs locis omni, quo unquam poteritis, niſu, promoveatis, illiſque veſtro præſidio in omnibus, quæ à vobis dependere poſſunt, cum ea re vobis ſpecialiter commendata aſſiſtatis. Confiſi de fida executione, expreſſius illam urgere ſupervacaneum arbitramur. Pariſiis 24. Martii 1627.

Ludovicus.

Solerter partes ſuas explevit D. Conſul, & effecit, ut Capucini in hac Civitate Miſſionis Sanctuarium libertate erigerent eò majore, quod Aula Ottomanna protectionis

ſuæ privilegium iis jam addixiſſet, mandato Miniſtro ſeu Judici Turcico *Kady* vocitato, ita dato:

Judex Judicum omnium Mahumetorum, Propheta eorum, qui Deum fontem ſcientiæ adorant, hæres Prophetarum, & Magni Prophetæ, Corrector & caſtigator totius populi &c. Dite Kady *ſeu Judici Aleppi, quem Deus cuſtodiat.*

Vobis in noſtri nobilis mandati conſpectu notum ſit, quod ex regione Galliæ, & Dñi Oratorii, uppulerint in Civitate Aleppi Patres Capucini, qui Nobis per noſtrum Fardar *ſeu Miniſtrum libellum ſupplicem porrexerunt, ac nuntiârunt, quod Aleppi pacificè, & amico uſu cum Nationis ſuæ Negotiatoribus dimorentur, & factis & moribus illorum contenti, Mahumetanos quoque cum iis contentos eſſe confidunt, eum dicti Patres contra horum legem & juſtitiam nihil attentent. Hinc ſi Janizzers, aut Mahometi milites aut alius eorum reperiretur, qui aliquid prædictis Religioſis abripere, aut aliquam moleſtiam ſub quocunque etiam prætextu aut excuſatione inferre, totiès, & quotiès etiam in eorum Eccleſia damnum cauſare, aut cæremonias ſecundùm eorum fidem, ritum, & mores fieri ſolitas interrumpere aut turbare auderet; aut caſu, quo contra legem & juſtitiam Turcarum eorum Eccleſias tempore, quo Miſſam celebrant, faciunt orationes, aut prædicant, ingredi, eos ibi impedire & turbare vellet, præfuti Patres ad obviandum hujuſmodi caſibus, mandatum petierunt Imperiale, quatenus nullum hujuſmodi impedimentum aut turbatio contra capitulationes ſubſequatur. Inter haſce, præſens mandatum & ſcripturam, ſigillo noſtro infrà munitam ad horum Patrum favorem confecimus, cui obedire teneamini, ultra capitulationem & juſtitiam turcicum volentes, tum, ut nullum prorſus iis fiat incommodum aut inurbanitas, & caſu date, Superiores eos puniant, & quidem, ſi ſit miles,* Janizzerus *dictus, puniat eum illius Dux ſeu* Aga, *ſi ſit miles,* Spahi *nuncupatus, pariter ejus Dux ſeu* Aga, *&, ſi alius Turca, puniat eum illius Superior, tum, ut nullus contra capitulationem, & hocce mandatum agat, unde illis diſpliceatium contra eorum legem & mores, tum, ut ſi quis Turcarum aliquid contra memoratos Patres attentaverit, nomen & qualitas illius annotetur, & per libellum gravatorium querelo ad Nos deferatur; & ita, quod præſens mandatum ſit confirmatum, ex ſolo Imperialis noſtri ſigilli intuitu ſcietis. Scriptum in fine menſis Ragel anni* 1038. *id eſt,* 25. *Aprilis* 1625.

Tam feliciter tum Rege Chriſtianiſſimo, tum Imperatore Portæ in primordia hujus Miſſionis conſpirantibus, PP. Miſſionariis alios obices ſuperare arduum non ampliùs erat, imò illico Miſſionis originem palmari gloriæ argumento decoratam fuiſſe, in Domino lætari debuerunt, dum ipſe Metropolita Melchior non tantùm zelum PP. Miſſionariorum litteris ad gl. m. Urbanum VIII. datis commendavit, ſed & ſuam erga Sum. Pontificem obedientiam ſimul ita probavit.

In præſentia & in conſpectu Sanctitatis Papæ Urbani VIII. Benedictio ſancta reddat nos liberos, & complcat ille ſua vota in Nobis. Amen.

Poſt oſculum manuum & pedum Sanct. Veſtræ, manuum, inquam, quæ ſanctæ ſunt, ſicut manus Apoſtolorum. Rogamus Deum pro Patre Sancto, magno Duce & omnium Eccleſiaſticorum Capite, & precamur, quatenus illum reddat potentiſſimum, illum diu vivere faciat, & potentiæ ſuæ extenſionem augeat in infinitum.

Quando humilis hæc epiſtola comparuerit coram oculis veſtris, & lecta fuerit ad aures veſtras, & quando verba noſtra pertigerint uſque ad cor veſtrum, & in eo locum ſumpſerint, ac Sanct. Veſtra petat, ad quem finem illo venerit, & quid dicere velit? Perſuaſa exiſtat, quod Celſitudini veſtræ noſtra deferat obſequia: primò quidem ad comprobandum deſiderium, quod in corde meo viget, Eam videndi, & ad teſtificandum, quod Eidem benè precemur: deſiderium autem Eum videndi inde oritur, quatenus faciem & imaginem Sanctit. intuear; ſecundò verò, ad ſignificandum, quod in hac Regione uppulerit, veluti cor & anima noſtra, P. Pacificus à Provinio cum ſociis ſuis & dilectis Fratribus, & Patribus Capucinis, qui timent Deum, verique ſunt ejus ſervi, qui continuò pro Nobis & pro omnibus Chriſtianis orant, & ad id incumbunt, ut præſervemur à malo, & inſtigemur ad bonum. Omnes eos amant, reciprocè pro iis orant, præſertim verò Nos, qui ipſis ſingulariter addicti ſumus, & eorum operatione plurimùm lætamur.

Scripſimus etiam hanc epiſtolam certiores vos redditurі de noſtro ſtatu, perſuaſi, quod id gratum vobis futurum ſit, quod nobis haud aliter ac animæ veſtræ bene velitis, & quod in media noſtrûm, etiam à longè, ſitis. Petimus etiam veſtrum benedictionem, & ne obliviſcamini noſtrûm, ſed vicissim nos veluti veſtros Apoſtolos, ſervos & mancipia teneatis, communicando

nobis

nobis veſtra nova, quæ oſculabimur, & ceu rem ſacram recipiemus, & quæ omnes Chriſtiani hujates magno recipient gaudio, & per quæ appropiabimus Chriſto, ſcientes, verbo veſtro illius eſſe efficaciæ, quod animas ſimulent ad Deum. Dignetur inde Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter, nobis per modum eleemoſynæ, ſanctam benedictionem, & quandam epiſtolam cum communicatione ſpiritûs ſui concedere, quatenus deinceps Nos per hunc vivamus, & Vos nos adjuveris, & omnes Chriſtianos Aleppi dimorantes protegatis. Omnes autem magno in dilectum noſtrum Fratrem P. Pacificum & ſocios ejus feruntur fide & fiducia, & credimus, quod illorum labores, quos amore Dei pro Nobis ſuſcipiunt, non ſint futuri inutiles, & econtra biſce mediis ſemel in unitate Eccleſiæ & fidei ſimus colligandi. Scriptum in Civitate Aleppi pro Sanctiſſimo Domino Urbano VIII. 25. Maii 1627.

Melchior Metropolitos Aleppien.

Miſsio hæc tam gloriosè anno 1626. cœpta, & ad præſens uſque tempus felici quidem zelo continuata, varias tamen ſubiit vices, jam abſynthio perſecutionum repleta, jam verò nectare conſolationis potata: illud propinant tum annexa Miſsionibus inter Infideles inſtitutis inconſtantia, commixta infidelibus Neſtorianorum, Iacobitarum, Armenorum, Schiſmaticorum, Hebræorum &c. colluvies, ac perfida eorum ferocia, tum non ſemel inter ipſos fidei Domeſticos excitata diſsidia: hoc econtra affundunt fructus reportati, ac etiam ſanguine tincti recordatio, & reportandi fiducia, Miſsionis uſque ad Indos Orientales extenſio, ac locorum, quæ inhabitantur, dignitas. Moroſum hoc præmium non facturus, coronâ laudis fructum non redimio, eamque nectendam tomo Annaliuni de Miſsionibus, cujus typum, à P. Marcellino Matiſconenſi in calce tomi tertii jam promiſſum, ſubſecuta illius mors reſorbuit, ſeu hucuſque ſuſpendit, libenter relinquo. Præſens Miſsionum Turonenſium ſtatus diſcriminatur ad loca, quæ ſequuntur:

In Syria.

Aleppum, olim Berrohea dictum, Emporium Præfecturæ Cognominis, & locus Cuſtodiatûs.

In Regno & Inſula Cypri.

Nicoſia, Regni Caput, & Archiepiſcopalis latinorum Metropolis.
Larneca, Oppidum cum portu ab Europæis continuò frequentato.

In Meſopotamia.

Diarbechia, Civitas Capitalis, *Murdinum*, aliàs Mardè, Urbs Aſſyriæ Meſopotamiæ contermina.
Muſillam, olim Ninive, ex prædicatione Jonæ celebre.

In Babylonia.

Bagdadum (aliàs Seleucia magna) ex ruinis Babylonis in Civitatem Capitalem extructum, defacto à noſtratibus Miſſionariis derelictum.

In Perſia.

Aſpahamum, vulgò Iſphahan, regia Sophorum Sedes. *Tauresium* vulgò Tauris, ſeu vetus Hecbatanis, in Bibliis frequenter memorata.

In India Orientali.

Surata, Civitas inter Gangen ſita, *Madraſpatan*, aliis *Madras*, Civitas Regni Nerſingæ, ad Oras Coromandelicas, & *Pudicherium* ad eaſdem oras.

In Ægypto.

Cairut, Civitas totius Provinciæ caput.

Marco, Alexandriæ Patriarchæ, Fratrum Hieronymum à Caſtro Ferretorum, Procuratorem generalem, ac ſocios illuc à ſe ablegari renuntiat, ejuſque humanitati horum virtutem commendat.

Venerabili Fratri, Marco, Patriarchæ Alexandrino.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod polliciti ſumus ſuperioribus noſtris litteris, quas Dilecto Filio Barſun Alexandrino ad tuam Fraternitatem dedimus, mittimus nunc Dilectos Filios, FratremHieronymum à Caſtro Ferretto, Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum Capucinorum Seraphici Patris Sancti Franciſci, & Fratres Felicem Maceratenſem, ac Bernardinum de Appignano, ejuſdem Ordinis Sacerdotes, ac Verbi Dei concionatores, Viros nobis ſanctitate vitæ, doctrina, ac rerum uſu apprimè probatos, à quibus hanc Epiſtolam, ac noſtram ſimul Apoſtolicam Benedictionem accipies. Hi diligenter tibi ſignificabunt, quantâ Te in Domino charitate proſequamur, & quanto ſalutis animarum zelo incenſi ſimus, & quantopere cupiamus filios noſtros pretioſiſſimo Filii Dei ſanguine ab æterna perditione redemptos, qui diſperſi ſunt, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium adducere, ut unum ſimus in eo, à quo mandatum accepimus, ut in dilectione reciproca maneremus. Unica eſt enim Eccleſia Sancta Catholica, Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri Sponſa, & unum Chriſti Ovile, cujus cuſtodia, cum à principio Apoſtolorum Principi Petro a Domino tradita fuerit, & ſubinde ejus ſucceſſoribus, noviſſimè vero ita permittente divinâ providentia ad humilitatem noſtram delata ſit, ſatagimus pro virili non tantùm acceptas oviculas noſtram vocem audientes, unanimes intra Dominici Ovilis ſepta ſervare, ſed errantes per avia, & ſalebroſa deſerti diabolicæ fraudis ad caulas fidelis, & obſequentis Chriſti gregis redigere. Propterea optaviſſemus, licuiſſet Nobis univerſum Chriſtianum gregem propriis oculis inviſere, & præſentes oviculorum neceſſitatibus ſubvenire, & paſtoribus nobiſcum laborantibus ſuccurrere, omnibus verò paternæ noſtræ charitatis officia exhibere, atque auxilium & conſolationem afferre. Quod cum ob gravitatem, ac multitudinem paſtoralium negotiorum impediti facere nequeamus, ſtudemus per fideles adminiſtros efficere. Potiſsimum ſanè videre, & amplecti Te Fratrem Venerabilem, & fidelem Clerum, ac Populum tuum deſideraremus, idque multis de cauſis, quarum præcipua ea eſt, quod cum Sanctus Marcus Domini Noſtri Jeſu Chriſti Evangeliſta, fuerit diſcipulus Sancti Petri, cui nos meritis longè imparibus in Apoſtolatu ſucceſsimus, & ex ejus ore fidei Chriſtianæ veritatem acceperit, & Alexandrinam Eccleſiam erudierit; Nos quoque peculiari quodam amoris affectu propenſi ſumus in vos, quemadmodum ex dilectis Filiis noſtris latoribus Epiſtolæ hujus intelliges. Eos namque ideo decrevimus ad vos, ut noſtram Vobis paternam hanc voluntatem uberrimè declararent. Quibus etiam multa dedimus in mandatis, quæ maximum momentum habent ad conſervandam communionem, quam nuper cum Sancta Romana Eccleſia, omnium aliarum Matre, & Magiſtra iniiſtis. Præterea deferunt ad te, tanquam ſignum, ac monumentum amoris in te noſtri nonnullas Sacerdotales veſtes, & ealicem, quibus utaris in ſacroſanctì Sacrificii celebratione, quo immaculata incruentaque hoſtia æterno Patri pro ſalute humani generis offertur. Erit igitur tuæ in nos obſervantiæ, atque pietatis religioſos ipſos Viros, qui juſſu noſtro veniunt ad vos, ſic excipere, ut exiſtimes eos Nobis chariſſimos eſſe, illiſque fidem adhibere in his, quæ noſtro tibi nomine exponent, ac ſi nos ipſi tecum loqueremur. Interea nos nunquam tui, atque totius fidelis gregis Ægyptiorum, qui coram Deo in veritate ambulant, obliviſcemur in noſtris orationibus, quas ad veneranda Sanctorum Apoſtolorum corpora pro ſalute credentium offerimus. Quem ut Fraternitatem tuam, atque Clerum, & Populum tuum aſſidua protectione cuſtodiat, rogamus, ac ſimul vobis omnibus Apoſtolica Benedictione noſtra benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Nonas Aprilis MDCVI. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Ex Arch. Vaticano ex reg. Brevium ad Principes *Pauli V. Anni* I. *Ep.* 505.

Ac Vi-

Ac Vicario Patriarchæ Alexandrini Alcairi commoranti.

Dilecto Filio Vicario Patriarchæ Alexandrini Alcairi commoranti.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MUlta quidem accepimus de pietate, Religione, ac prudentia tua, quantoque zelo Divini honoris, & ſalutis animarum exerceas munus Vicarii Patriarchæ Alexandrini, quæ omnia Nobis facilè probantur, quoniam intelleximus, Te huic Sanctæ Sedi addictum, & communionis ſervandæ, quam nuper injiſtis cum Eccleſia Sancta Romana, omnium aliarum Matre, & Magiſtra, ſtudioſum eſſe: propterea diligimus Te ſumma in Domino charitate, libenterque omnia Tibi paterni amoris officia, quoties ſeſe nobis offeret occaſio, exhibebimus. Interea, ut aliquod ſignum habeas noſtræ in te propenſæ voluntatis, mandamus dilectis Filiis, Fratribus Hieronymo à Caſtro Ferretto, Procuratori Generali Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum, & Felici Maceratenſi, ac Bernardino de Appignano, ejuſdem Ordinis Sacerdotibus, ac Divini eloquii Concionatoribus, qui mandato noſtro veniunt in Ægyptum, ut noſtram Tibi benedictionem deferant, & Epiſtolam hanc reddant, ac peculiarem in Ægyptios charitatem noſtram Tibi ſignificent. Potiſſimùm verò eis præcepimus, ut diligenter Tibi exponant, quantam fiduciam habeamus in virtute, & probitate tua. Ut intelligas, quod nihil aliud quæramus, quàm Dei gloriam, & animarum veſtrarum ſalutem, pro quibus etiam, quoties opus eſſet, ſanguinem perlibenter effunderemus. Tu vero Religioſos iſtos Viros ſic audias, volumus, ut exiſtimes, quicquid Tibi noſtro nomine ſignificabunt, ex Nobis accipere. Dominus Te in ſuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare dignetur, & nos tibi Apoſtolica benedictione noſtra benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris tertio Nonas Aprilis MDCVI. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Ex Arch. Vaticano Reg. Brevium ad Principes *Pauli Papæ V. Anni* 1. *Epiſt.* 506.

Necnon Secretario Patriarchæ Alexandrini.

Dilecto Filio Secretario Patriarchæ Alexandrini.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VOluimus tibi peculiari benedictione benedicere, & noſtras has ad te litteras deferri per dilectos Filios Religioſos Viros, Fratres Hieronymum à Caſtro Feretto, Procuratorem Generalem, Felicem Maceratenſem, & Bernardinum de Appignano, Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum, quos mittimus in Ægyptum, quia intelligimus, quanta fide, atque zelo ſervias Dei cauſæ in officio, quod obtines à Venerabili Fratre noſtro Marco, Patriarcha Alexandrino, ac etiam, ut facilè conjicere poſſis, id omne humanitatis & auxilii, quod exhibueris piis iſtis hominibus, nobis pergratum fore: quos ut conſilio, induſtria, & opera tua in eorum miſſione ſedulò adjuves, te hortamur, ac ſimul tibi Apoſtolica Benedictione noſtra benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris tertio Nonas Aprilis MDCVI. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Ex Arch. Vaticano Reg. Brevium ad Principes *Pauli Papæ V. Anni* 1. *Epiſt.* 507.

Ac Georgio Comus.

Dilecto Filio Georgio Comus Alexandriæ.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAlutis animarum ſolliciti, quarum procuratio ita diſponente Divina providentia nunc humilitati noſtræ demandata eſt, ſtudioſè ſatagimus, ut, quantùm cum Domino poſſumus, paſtorali officio noſtro ſatisfaciamus. Illud potiſſimùm curamus, ut, qui procul à Nobis diſtant, nullo modo expertes ſint paternæ noſtræ charitatis, quod cum nos ipſi præſentes efficere non poſſimus, per homines ſaltem nobis ſanctitate vitæ, ac præſtanti doctrina probatos ſedulò conamur. Hac de cauſa mittimus ad vos dilectos Filios noſtros, Hieronymum à Caſtro Feretto, Procuratorem

rem Generalem Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum, & Felicem Maceratenſem, & Bernardinum de Appignano, Fratres ejuſdem profeſſionis Sacerdotes, & veritatis Prædicatores, Religione, doctrina, pietate, præſtantes, Nobis verò ſummoperè charos, qui Vobis paternum affectum noſtrum abundè ſignificabunt; præcipuè verò tibi exponent, quantâ te charitate in Domino proſequamur. Nam quæ de tua virtute, ac probitate nobis renunciata ſunt, faciunt, ut te non vulgariter diligamus. Planè opinioni noſtræ reſpondebis, quam de tua erga nos, atque Sanctam hanc Sedem obſervantia habemus, ſi venientes ad vos Fratres perhumaniter exceperis, & peramanter tractaveris: quibus etiam volumus, ut in his, quæ noſtro tibi nomine ſignificabunt, fidem adhibeas non ſecus, ac ſi nos ipſi tecum loqueremur. Quod ut facias petimus, ac ſimul tibi noſtram Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris tertio Nonas Aprilis MDCVI. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Ex Arch. Vaticano Reg. Brevium ad Principes *Pauli Papæ V. Anni* 1. *Epiſt.* 507.

NOTA

JAm aliàs & quidem *tom.* 1. *Bullar. fol.* 59. *&* 60. de P. Hieronymo, Orbis & Ordinis ornamento, in hac, & præcedentibus litteris Apoſtolicis commendato, cum periocha de virtute & merito illius actum eſt; curioſo tamen Lectori plenè non ſatisfactum eſſe crediderim, ni & cauſam, ob quam P. Hieronymus eo ipſo tempore, quo in Curia Romana grave Procuratoris Generalis munus exercebat, ab hujus proſecutione fuerit diſtractus, & ad remotam Alexandriæ Miſſionem ſelectus, hîc notanter ſubjungerem. Facili negotio id præſto, dictam cauſam, cum alia de itinere non ſubſecuto, ex tomo tertio Annalium noſtrorum, in quo P. Marcellinus præclaram hujus Viri vitam ſusè recenſet, *fol.* 614. ita exſcribendo = *Idem Paulus V. litteris acceptis ab Alexandria, Græcos omnes Schiſmatici Eccleſiæ Catholicæ manus daturos, ſi quis homo peritus, qui illos inſtruere poſſet, in illas Orbis Regiones mitteretur; nemo Pontifici occurrit Hieronymo aptior, quem Procuratoris Generalis onus gerentem huic tanti ponderis operi deſtinavit, ut ſcilicet vaſtiſſimas Orientis plagas ad Romanæ Sedis obedientiam reduceret. Sed cum expedita navis rebus omnibus ad ſubeundum munus neceſſariis onuſta cum exſpectaret, alias Papa accepit Epiſtolas, quibus certior reddebatur, primas, quæ pro Schiſmaticorum converſione induſtrium hominem à Summo Pontifice poſtulabant, fuiſſe fictitias, ſicque re infecta in ſuum officium Curiæ Procurator incubuit, quem unum Orientis reductioni idoneum Summus Pontifex judicaverat.*

Rectoribus Eccleſiarum Ægypti adventum Capucinorum de Regno Galliæ ſelectorum annuntiat, illiſque hos omni ope fovere inculcat.

Dilectis Filiis, Rectoribus Catholicis Eccleſiarum Ægypti,

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AUdite flumina Nili, cunabula Moyſis, audiat Ægyptus, perfugium Chriſti; neque veſtrarum aquarum gurgitibus abſorbeantur Prophetæ, & contra hoſtilem barbariem veſtræ latebræ tutantur Deum. Quare nulla periculorum facies deterrete debet Sacerdotes iſtuc proficiſcentes; & inter impietatis ſævitiam non modò delitescit, ſed etiam regnat Deus in cordibus veſtris. Omnes quidem fluctus cœleſtis ultionis videtur induxiſſe ſuper Ægyptum, fluminis impetu lætificatam, indignatio Omnipotentis. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia veſtra, & ſanctitas pertimeſcere iſtic coacta eſt graviora, quàm ſcelus ipſum, ſupplicia. Areſcet tamen prius aqua de mari, & fluvius veſter omnino deſolabitur, quàm exareſcat æternus fons Divinæ Miſericordiæ è vulneribus Crucifixi Domini manans, ut decor Carmeli, & gloria Libani floreat in ſenticetis Ægypti. Sperate in Domino, dilecti Filii. Quid? eaſtimatiſne veſtræ ſalutis in Regno Beatitudinis oblitum Antonium illum, quem Diabolicarum Legionum domitorem Chriſtiana Reſpublica veneratur? Putatis à veſtris Regionibus miſericordes oculos unquam dimovere à Beatis illis Thebaidos & Eremi cultoribus, quos Ægyptia ſolitudo jejuniorum epulis pavit, ut ex Ægyptio receſſu genus humanum peteret exempla humilitatis,

tis, opes & delicias deſpicientis? Hic certe in hac Nationum omnium parente, Romana Eccleſia, vota quotidie ſuſcipiuntur pro felicitate animarum veſtrarum, quas à charitate Chriſti & Pontificis, non itinerum longinquitas, non Tyrannorum erudelitas poterit unquam ſeparare. Itaque & Sanctorum preces in Cœlo, & Pontificum officia in Terris veſtræ ſemper ſaluti proſpicient. Confidite Filii: Aſcendet Dominus ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum & erit Altare Domini in medio terræ Ægypti. Interea dum tempus Divini beneplaciti exſpectatur, torpeſcere non debent officia Apoſtolicæ ſollicitudinis. Olim quidem ex Ægyptiis litoribus ſolvebant Navigia ſertilitate Nili victricem gentium Urbem paſcentia, nunc autem ex Eccleſia veritatis Magiſtra ablegantur Sacerdotes, panem Angelorum ad eſurientem Ægyptum deferentes. Nos certè in hac altiſſima totius Orbis ſpecula proſpectum petimus Regioni veſtræ & veſtræ ſaluti, omni, qua poſſumus, ope, in Regali Sacerdotio famulamur. Selegimus Viros pietate inſignes, ſapientia pollentes, qui in ſocietatem ſolicitudinum veſtrarum mittuntur, dilecti Filii, qui diſperſiones Iſraelis congregatis, & lapides Sanctuarii colligitis in Ægypto. Hos omnes omni officiorum genere colere debetis; præcipuè verò Sacerdotes Capucinos è Galliæ Regno ſelectos. Ex ea enim familia ſunt, cujus voluntaria paupertas avitis potentium theſauris antefertur; ex eo Regno accerſuntur, cujus Reges inter bellorum minas, & peſtilentiæ fauces dedignati propriæ vitæ diſpendio non ſunt Ægyptiorum ſalutem curare. Obliviſceretur non modò Religionis, ſed etiam humanitatis, qui iſtic peramanter non exciperet Sacerdotes, exteram terram nobilibus patriis veſtrâ cauſâ anteferentes. Auxiliariis eorum viribus uti poteritis tum ad reſtituendos in Ægypto muros Jeruſalem, tum ad nutriendas manna Cœli reliquias credentium. Noſtram certè voluntatem nulla ratione poteſtis melius in præſentia demereri, quàm his Chriſtis Domini à Pontifice miſſis è Vaticano prodeuntibus, omnem opem veſtram gratificantes in charitate non ficta in ædificationem Eccleſiæ. Patrocinium ſuum offerens benedicit Pontificia auctoritas Vobis, dilecti Filii, quibus benedicat Dominus exercituum, dicens, Benedictus populus meus Ægypti.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Februarii MDCXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Autogr. in Secret. Brevium ad Principes *Reg. menſis & anni præd. fol.* 80. *à tergo.*

Fr. Roberto à Ventellet Miſſionis Smyrnenſis Superiori duos ſuorum Miſſionariorum ad Inſulam Satoliæ prope Cyprum pro inſtituenda ibi Miſſione ablegari committitur.

In Congregatione de Propaganda Fide habita die 7. Martii 1656.

REferente Eminentiſſimo Ludoviſio, Sacra Congregatio ad inſtantiam Dominorum Conſulum Gallorum in Inſula Satoliæ prope Cyprum degentium licentiam conceſſit Fr. Roberto à Ventellet Ordinis Capucinorum Superiori Miſſionariorum Smyrnarum, ut duos ex ſuis Miſſionariis cum ſolitis facultatibus ad dictam Inſulam mittere valeat, dummodo per dictos Dominos Conſules prouideatur Hoſpitio, aliiſque commoditatibus & rebus neceſſariis in eorum manutentionem, juxta piam prædictorum oblationem; Declarando dictam licentiam ad triennium duraturam, & ſub directione Præfecti, ſeu Sub-Præfecti earumdem Miſſionum ejuſdem Ordinis.

Extract. ex Actis Sac. Congreg. de Propagan. Fide de anno 1656 *pag.* 28. *num.* 20.

Simeonem, Patriarcham Chaldæorum Antiochenum, è Sede ſua à Schiſmaticis ejectum ſolatur, & rationes ſuæ reſtitutionis curæ Fr. Gabrielis à Cainono, vulgò *Chinon* &c. commiſſas eſſe eidem ſignificat.

Venerabili Fratri, Simeoni, Patriarchæ Chaldæorum Antiocheno.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UBi primum ſe præbuit occaſio conſulendi rationibus Fraternitatis tuæ pro recuperanda Sede, è qua per ſummam Schiſmaticorum injuriam dejectus es, eam pro charitatis Pontificiæ ſollicitudine ſtatim arripuimus, & egregium pietate, prudentiaque Virum iſtuc hujus negocii tantùm cauſâ mittere non diſtulimus. Verùm eo fluminis cujuſdam undia in itinere, quod ſcire potes, abſorpto, Venerabili Fratri Epiſcopo Neocæſareæ, Coadjutori Babyloniæ, qui profectionem ad iſtas partes adornabat, injunximus,

mus, ut alloquio tecum habito, & communicatis conſiliis, ſi quovis modo ſpes aliqua bene gerendæ rei affulſiſſet, ſedulò negotium aggrederetur, & Regi Perſarum litteras, & officia noſtra deferret. Porro cum Epiſcopi, diſceſſus è Gallia longiùs quàm oporteret, differri videamus, Apoſtolatûs noſtri patrocinium, & opem à Te diutius deſiderari noluimus. Eandem igitur curam dilecto Filio, Gabrieli de Chinon, Religioſo Capucino, qui, licèt in ætate gravi conſtitutus, animam ſuam pro Dei gloria & proximi ſalute tam longæ viæ, rerumque cæterarum diſcriminibus exponere non dubitat, in præſenti demandamus, ut unà cum dilecto Filio, Dionyſio, Spineæ Coronæ Carmelitano Diſcalceato, munus idem explere, quamajori poterit, diligentia, ſtudioque contendat; Cum enim in Religione Catholica jam ſuſcepta firmum, & conſtantem ſore Te planè ſperemus, nihil prætermittere decrevimus, quò cauſam tuam tot animarum æternæ ſaluti conjunctam juvare poſſimus. Interim jacta cogitatum tuum in Dominum, & in Sanctæ Fidei propoſito, ac bonis virtutum Chriſtianarum operibus confirma Fratres, & univerſos filios in Chriſto tuos, ut poſt legitimum certamen immarceſcibilem cœleſtis vitæ coronam cum eis feliciter conſequaris. Sed quoniam Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide litteræ de recta Fidei Orthodoxæ ratione Te diligenter admonebunt, & idem Pater Gabriel Miſſionarius noſter Tibi, Epiſcopis Suffraganeis, aliiſque Catholicis iſtis, quorum litteras libenter accepimus, & attentè profectò legimus, voluntatis paternæ noſtræ luculentum teſtimonium, & Benedictionem Apoſtolicam à Nobis impertiet: ejus verbis Fraternitas Tua cum cæteris aliis fidem plenam habere velit, quos univerſos in Chriſto peramanter amplectimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Iulii MDCLXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 166. *à terg.*

NOTA

DE præmemorato Fr. Gabriele Cainonenſi meminit Iouet *in Hiſtor. Relig. edit. Ital. tom.* 2. *pag.* 144. *col.* 1. eidemque conſtructionem novæ noſtræ Domûs Taurinii adſcribit, cum enim Filios Miezæ Ibrahim in Philoſophiæ & Matheſeos ſcientiis inſtrueret, adeo illius captivavit affectum, ut non ſolùm ſitum ære ſuo emeret, verùm etiam partem expenſarum pro fabrica liberaliter ſolveret.

Eundem Fr. Gabrielem de rebus prædicti Patriarchæ acturum benignè recipi, à Rege Perſarum requirit.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi Perſarum

ALEXANDER PAPA VII.

Illuſtris, ac Potentiſſime Rex ſalutem, & lumen Divinæ Gratiæ.

REgia Iuſtitiæ Virtus, qua Majeſtas Tua ſpectatè excellit, ac erga Nos perſpecta benevolentiæ ſtudia, pollicentur Venerabili Fratri Patriarchæ Chaldæorum Antiocheno, qui per ſummam injuriam à Schiſmaticis è Sede ſua dejectus eſt, omnem auctoritatis Tuæ opem pro ea quamprimùm recuperanda præſtò futuram, quod etiam atque etiam à Te ſummis precibus poſtulamus. Sed quoniam dilectus Filius, Gabriel de Chinon, Religioſus Capucinus Miſſionarius noſter, rem univerſam, & rationes, quibus in ea Nobis laborandum eſſe cenſeamus, coràm latiùs, & diſtinctiùs ediſſeret, ejus verbis ut fidem habere velis, planè cupimus. Majeſtati Tuæ perfectam, omnibuſque numeris abſolutam felicitatem, & lumen ad eam conſequendam prævium ab immenſa ſummæ Dei bonitate jugiter enixèque poſtulamus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Iulii MDCLXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 167.

Sac. Rit. Congregatio.

De Martyrio FF. Agathangeli Vindocinenſis, & Caſſiani Nannetenſis in Æthiopia ob Fidem Catholicam conſulit ac reſcribit.

ORDI-

ORDINIS CAPUCINORUM, SEU GALLIARUM.

Servorum Dei offerti Martyrii Agathangeli, & Caſſiani Ordinis Capucinorum.

ACceptis & perlectis relationibus à Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 17. Februarii 1648. coram Sanctiſſimo, & de ordine Sanctitatis Suæ ad hanc Sac. Rituum Congregationem remiſſis ſuper morte ob Fidem Catholicam in Æthiopia juſſu Regis violenter illatâ duobus Patribus Capucinis, ſcilicet P. Agathangelo de Vendoſme, & P. Caſſiano de Nantes, Gallis, eadem Sacra Congregatio reſpondit cum Domino Promotore.

Autog. in Arch. Secret. Sac. Congreg. Rit. Reg. menſ. & anni præd. fol. 65.

Ex Documentis à Fr. Bonaventura ad Almam Urbem allatis à Joſepho, Patriarcha Chaldæorum, profeſſionem Fidei Catholicæ emiſſam, gaudenter à ſe perceptum fuiſſe eidem Patriarchæ reſpondet, eumque ad ſtrenuè aſſumenda laborum certamina hortatur.

Venerabili Fratri, Joſepho, Patriarchæ Chaldæorum

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX litteris Fraternitatis Tuæ, & ex documentis ipſis, à probato, multaque prædito virtute Viro Bonaventura, Ordinis Capucinorum, ad Urbem allatis magno cum animi noſtri gaudio cognovimus, emiſiſſe Te Catholicæ Fidei profeſſionem, atque huic Sanctæ Sedi, Eccleſiarum omnium Matri ac Magiſtræ, obedientiam præſtitiſſe; eam enim de pietate, zeloque tuo opinionem gerimus, ut uberèm, Deo bene juvante, iſtis in Regionibus meſſem, planè Nobis polliceamur. Illud verò perſuaſum habebis, nihil nos prætermiſſuros, quod ad Paſtorales conatus tuos juvandos promovendoſque conducere poſſe exiſtimabimus. Age itaque Venerabilis Frater, dignos miniſterio, quod ſuſcepiſti, ſenſus indue, nec Te deterreat certamen laborum, quos ſubire neceſſe eſt, memor, non eſſe repromiſſam in Cœlis Coronam gloriæ, niſi legitimè certantibus. Fraternitati interim Tuæ, benevolentiæ noſtræ teſtem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Octobris MDCLXXXIII. Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 20.

Quod idem, & Ignatio Petro, Syrorum Patriarchæ renuntiat.

Venerabili Fratri, Ignatio Petro, Patriarchæ Syrorum

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JUcundæ atque omni ex parte gratæ acciderunt Nobis litteræ, quas per probatum, multâque præditum virtute, Virum, Bonaventuram, Ordinis Capucinorum, Procuratorem tuum, unà cum documentis editæ à Te profeſſionis Catholicæ Fidei, & obedientiæ, quam huic Sanctæ Sedi, Eccleſiarum omnium Matri ac Magiſtræ profiteris, ad Urbem tranſmiſiſti; Quemadmodum autem Fraternitatem Tuam intra ſinum Pontificiæ charitatis recepimus, ita promptè ac alacriter quæcumque ſe dederint occaſiones, amplexuri ſumus in dies magis declarandi propenſam noſtram erga Te voluntatem. Nec minus liberaliter, quicquid ad procurandam animarum ſalutem, quæ præcipua noſtra, & perpetua cura eſt, adjumenti ac auxilii proficiſci à Nobis poterit, Tibi præſtabimus, de pietate zeloque tuo planè confidentes, fore, ut dignos expectatione noſtrâ fructus facias. Reliquum eſt, ut confidenter ſuſceptum præclarum munus exequaris, adverſiſque omnibus, quæ Tibi in eo implendo evenire poſſent, paſtorale pectus opponas, tecum ipſe ſubinde reputans, non eſſe condignas paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in Nobis. Fraternitati interim Tuæ Divinam opem præſentem uſque precamur, ac Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Octo-

Octobris MDCLXXXIII. Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præſ. fol.* 20.

Conſtantem Nationis Chaldęæ zelum à Fr. Joan. Baptiſta Aurelianenſi ſibi relatum commendat.

Dilecti Filii, univerſi Chriſtifidelibus Nationis Chaldęæ Catholicam Religionem profitentibus

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REpleta ſunt ingenti gaudio paternæ noſtræ charitatis viſcera, Deoque bonorum omnium Auctori in humilitate cordis noſtri gratias egimus, ubi audivimus à dilecto Filio, Religioſo Viro, Joanne Baptiſta Aurelianenſi, Ordinis Capucinorum, nihil apud Vos profeciſſe prava eorum conſilia, qui Vos ab amantiſſimæ veſtræ Matris Eccleſiæ gremio avellere, atque aliò abducere nitebantur, propoſitâ ſcilicet Vobis ad ſacra Myſteria obeunda nominatione hæreticorum hominum, qui doctrinam à Sacris Œcumenicis Conciliis univerſaque Catholica Eccleſia dudum damnatam profitebantur. Cum enim probè ſciretis, non boni Paſtoris, ſed Mercenarii vocem eſſe illam, quæ Dominicas Oves à ſalutaribus Eccleſiæ paſcuis, & à Chriſti Ovili, quod diviſum eſſe non poteſt, avocare curabat, ut eas in Schiſmatis laqueum impelleret, piè ac conſtanter, ut par erat, obſtitiſtis, atque per hoc explicaſtis, vos memores eſſe, non alibi, quàm in hac omnium Eccleſiarum Matre ac Magiſtra reperiri poſſe veritatem atque ſalutem. Nos itaque, quibus, licet immerentibus, imperſcrutabili Dei judicio fidelium cura demandata eſt, debitis in Domino laudibus virtutem veſtram extollentes, Vos hortamur, ut, quemadmodum agnoviſtis, vos tenere manentem ſubſtantiam, ita egregium hoc propoſitum perpetuò retineatis, quatenus boni operis fructum, ampliſſimam ſcilicet, neque interiturum mercedem à bonorum omnium Retributore aſſequamini. Interim verò ſcire vos volumus, nihil eſſe, quod de propenſa in vos voluntate noſtra, & Pontificia charitate polliceri Vobis non debeatis, dilecti Filii, quibus omnia bona precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IX. Decembris MDCCII. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & an. prædict. fol.* 1. *à tergo.*

Luget perſecutionem motam in Chaldæa contra Catholicos, & Fratres noſtros Miſſionarios, propterea ad Civitatem Aleppienſem ſecedere coactos; conſtantem Patriarchæ virtutem laudat; & neceſſitatibus opitulatur.

Venerabili Fratri, Joſepho Tertio, Patriarchæ Chaldęorum

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX pluribus ad Nos, tum etiam ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum à Fraternitate Tua perſcriptis litteris, magno cum animi noſtri dolore cognovimus, Te, Clerumque Tuum, ac omnes Catholicos Tibi ſubditos in tribulatione verſari, propterea quod à Schiſmaticis, aliiſque Orthodoxæ Religionis hoſtibus dira in Vos perſecutio commota fuerit, eorumque criminationibus & dolis incitati Turcæ carcerum anguſtiis, violenta pecuniarum exactione, aliiſque ærumnis Vos ita afflixerint, ut earum metu perculſi ipſimet Apoſtolici Miſſionarii, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſores, iſthinc in Hierapolitanam, ſeu Aleppienſem Civitatem auſugerint. Non leve tamen dolori noſtro ſolatium ex eo comparatum eſt, quod Fraternitas Tua ſapienter cum Beato Hieronymo ſecum reputans, non qui injuriam patitur, ſed qui facit, verè apud Chriſtianos miſerum eſſe, ejuſmodi calamitatem non ſolùm impavido, ſed etiam alacri, lætoque animo exceperit, & murum pro Domo Iſraël fortiter opponens, ſtationem ſuam minimè deſeruerit, afflictiſque Fidelibus omnia Paſtoralis charitatis officia, atque ſubſidia tam neceſſario tempore exhibere non prætermiſerit. Levantes itaque manus noſtras ad Dominum

minum homiles ei gratias egimus, quod tantâ cor tuum pietate, conſtantiâ ac zelo roboraverit, ut Apoſtolorum exemplo, qui ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſoreot pro nomine Jeſu contumeliam pati, pro iis, quæ pertuliſti, nullum in tuis litteris mœroris ſenſum oſtendas, quio potiùs lætari quodammodò videaris, quod tam præclara oblata Tibi fuerit occaſio virtutis tuæ exercendæ. Ea igitur, quæ piè, fortiterque geſſiſti, uberi ac planè meritâ laude proſequimor, & quamvis firmiter exiſtimemus, Religioſæ menti tuæ non aliam propoſitam fuiſſe mercedem, niſi illam magnam niſi, quam Deus perſecutionem pro juſtitia patientibus repromiſit, perſuaſum nihilominus habere Te volumus, Nos & neceſſitatibus Tuis pro viribus opitulari paratos eſſe, & nullis unquam defuturos opportunitatibus luculenter teſtatam faciendi ſingularem, ac verè paternam, quâ Te, Gregemque Tibi commiſſum in Domino complectimur, charitatem, ejuſque interim nonnulla accipies argumenta, quæ à memorata Congregatione ad Te mitti mandavimus. Læta demum cuncta cum cœleſtis gratiæ incremento, atque perpetua in ſancto propoſito conſtantia ex animo apprecamur Fraternitati Tuæ, Clero, aliiſque omnibus, qui iſthic quævis adverſa pro Fide ſuſtinuerunt, vel adhuc ſuſtinent, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Januarii MDCCXXI. Pontificatûs Noſtri Anno vigeſimo primo.

Ex Tomo IV. Epiſt. & Brev. ejuſd. Pontif. fol. 786.

EPISTOLA

Sac. Congregat. de Propaganda Fide.

Officia Fr. Damiani à Lugduno in ultima Georgianæ perſecutione interpoſita peculiari laude commendantur.

A tergo. *P. Diamano à Lugduno, Ordinis Minorum Capucinorum Miſſionario Apoſtolico.*

LIteris Summi Pontificis Benedicti XIV. quæ nuà ad Paternitatem Tuam perferentur, cum nihil addendum putem ad excitandum eximium, quo ſerves, zelum pro curandæ animarum ſalutis, unum ſupereſt, ut Sac. hujus Congregationis mentem paucis exponam. Gratiſſimum accidit Eminentiſſimis Patribus gratiam & beoevolentiam, quam apud Perſarum Regem inviſti, ceſſiſſe bona Miſſionariorum è Familia Capucinorum, cui adſcriptus es, & Miſſionis Thæopolitanæ. Hinc ope, ſtudioque tuo reſtitutos eos fuiſſe in priſtinam libertatem Sacra faciendi, reddita eis Templa, Ædes, & quicquid ipſis fuerat ereptum. Cum itaque ſperandum ſit fore, ut benignitatem ejuſdem Regis io dies magis aſſequaris, Patri Præfecto, cæteriſque in Provincia iſta collaborantibus datum eſt io mandatis, ut, quoties opus fuerit, ad emoliendas Schiſmaticorum inſidias, opem à Te quæraot. Hoc verò faciliùs præſtabis, ſi à Rege eapoſtulaveris, ut conceſſa jam Tibi Regia Diplomata ſuum ſortiantur effectum. Quspropter in id ſunt Tibi vires omnes intendendæ, ut hanc ſpem à Te excitatam omni virtute ſuſtineas, ac potius vincas: ea quo, cum non exiguam Sac. hujus Congregatio. nis benevolentiam ſis experturus, immarceſcibilis erit expectanda à Jeſu Chriſto retributio, qui reddet unicuique, ſecundùm opera ſua. Hunc, ut Te tueatur, & cœleſtibus theſauris augeat, dum exopto, precibus tuis apud eumdem me apprimè commeodo.

Romæ 21. Sept. 1743.

Exempl. in Arch. Ord. Arm. Miſsiones Provinciæ Turonen. *Vide ſuprà fol. 247. & alias Pontificias litteras ad hunc Religioſum datas.*

Decreta circa Cœmeteria particularia Miſſionariorum renovantur, & abſque licentia Sacræ Congregationis ea Aleppi non conſtrui poſſe declaratur.

Decretum Sac. Congreg. Gener. de Propaganda Fide habitæ die 10. *Martii* 1744.

CUm aliàs ſub die 7. Februarii 1735. decretum ſuerit ab hac Sacra Congregatione, ut ſequitur = *Referente Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino, Dom. Cardinali Petra Præfecto, Sacra Congregatio ad tollenda jurgia & diſſenſiones, quæ non rarò oriri ſolent in partibus Syriæ & Paleſtinæ occaſione tumulationis Cadaverum Miſſionariorum Ordinum Regularium, confirmavit & renovavit Decreta ſuper hujuſmodi re aliàs edita, & præſertim anno* 1692. *itemque con-*

firmata anno 1702. per quæ ſancitum fuit, quod deferatur privatè Cadaver à propriis Religioſis: in Cœmeteriis autem tantùm adeſſe debeat Parochus cum Stola & Cruce, & alicat orationes juxta formam præſcriptam in Rituali, permittendo poſtea, ut reliquæ orationes dicantur à Superioribus Religionis, & per ipſum ac ſuos Religioſos dari ſepulturam.

Præſens autem Decretum renovatorium & confirmatorium prædictorum Decretorum, eadem Sacra Congregatio præcepit notificari Superioribus Generalibus eorum Ordinum, ttiam Societatis Jeſu, quorum Religioſi Miſſionariorum munus in antedictis partibus obeunt, ut ab omnibus, & quibuſcumque ſuis reſpectivè ſubditis illud omnino & inviolabiliter obſervari curent =.

Cumque his non obſtantibus ad ejuſdem Sacræ Congregationis notitiam noviter pervenerit, quod ad eludendam præfatorum Decretorum obſervantiam a Patribus Miſſionariis Ordinum Capucinorum & Carmelitarum Diſcalceatorum, necnon Societatis Jeſu, Aleppi degentium, extructa fuerint particularia Cœmeteria pro ſuis reſpectivè Religioſis; Hinc eſt, quod referente Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Domino, Dom. Cardinali Proſpero Columna, eadem Sacra Congregatio decrevit & ſtatuit, obſervanda omnino eſſe ſupradicta Decreta aliàs edita, ideoque expreſsè prohibendo Cœmeteria particularia à Regularibus noviter introducta declarat, ipſis non licere nova Cœmeteria conſtruere abſque licentia ejuſdem Sacræ Congregationis.

Datum Romæ die 13. Aprilis 1744.

Exempl. in Archivo Ord. Armor. Miſſiones Provinciæ Turonenſis.

MISSIO

IN SYRIA & PALÆSTINA, ÆTYOPIA &c.

PROVINCIÆ BRITANNIÆ.

PRomiſcuâ ſorte Capucini Turonenſes & Britones ab anno 1625. ad Miſſiones in Syria, Palæſtina, aliiſque Orientis Provinciis fundandas fuerunt ſelecti, commixtoque zelo illas per plures annos excoluerunt, ceu individuo unius ejuſdemque Provinciæ vinculo copulati; hinc & Miſſiones utriuſque Provinciæ, pace P. P. Normannorum, qui aliàs juxta meum inſtitutum & Provinciarum tabulam, medium inter utramque locum hîc occupare deberent, connecto. Cum autem anno 1641. diviſio Miſſionum inter utriuſque Nationis Fratres fuiſſet ſubſecuta, & à Sacra Congregatione 9. Septembris ejuſdem anni approbata, Patres Britanni, præter Ætyopiam, in Syria ac Palæſtina Miſſiones Damaſci, Sydoniæ, Berithi, Tripolis, ac Montis Libani ſuo ſolo charitatis ſudore ſuſceperunt rigandas, quemadmodum & illas in præſentia non modico Fratrum diſpendio, abſque alterius Provinciæ concurſu rigant. Nec eſt, quod conſtantem hanc laboris fidem miremur: heroica enim facinora, quæ de primis hujus Provinciæ Miſſionariis tum in Provinciæ manuſcriptis, tum in publico typo extensè celebrantur, ſuerunt ſtimuli, quibus illorum Succeſſores fuerunt incitsti ad continuandam Evangelizantis virtutis viam & curſum: fuerunt fæcunda radix, ex qua gloriosâ ſerie repullulârunt Viri, ſpirito apoſtolicæ charitatis incenſi. Hinc non contenti anguſto Hoſpitiorum ſuorum incolstu, excurrunt in algoſa deſerta, penetrant horridas ſylvas, aſcendunt montium juga, luſtrant valles, accedunt Domos vel, ut novellas olivarum & virtutis, ad Evangelicæ perfectionis germen maturent, vel, ut eos, qui aquâ regenerationis quidem mundati, adhuc tamen ſine intellectu, & duræ cervicis ſunt, veſano ſuperſtitionum, vel ſchiſmatis errore ſeducti, in lege Domini conſolident, vel, ut terram olim ſanctam, terram promiſſionis, terram Salvatoris noſtri Dei nativitate, prædicatione & miraculis ſanctificatam, terram Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac SS. Apoſtolorum veſtigiis calcatam, jam verò ſuperſeminatis falſæ doctrinæ, Thracici ritûs, & liberioris vitii zizaniis pollutam repurgent.

Protractum hoc jam ultra Sæculum Britanni apoſtolatûs ſtudium eò glorioſius micat, cum in igne vel Schiſmaticæ, vel Turcicæ perſecutionis haud aliter ac aurum in fornace variè fuerit probatum. Provinciæ annales ſi intueamur, jam in ipſo Miſſionum limine vel anno 1626. P. Adrianum Briocenſem, & anno 1627. Macarium Gienenenſem in carceres Conſtantinopolitanos reperimus coniectos. Alii cum FF. Blaſio Nannetenſi, Pacifico à Provinio, Servo Dei Caſſiano Nannetenſi, Doſitheo Rhedonenſi, Fideli à Caſtro novo &c.

dum

dum animas Chriſto in Sylvis & foris quærebant, ſub vario tormentorum apparatu vitam perdiderunt: alii, ut ſæpius & lentius morerentur, cum Fr. Hilarione à Roſcovio, diutius in mancipatûs ærumnis & catenis vivere debebant. Fr. Tuſſano Landerienſi Gubernator Babyloniæ, in ipſa inſigni die ſolemnitatis, *Portiunculæ* dictæ, venenum propinari juſſit, ne diutius, qui eum diſſolutæ vitæ argueret, audire deberet. Alii in plebe cachinnos, in ſocis opprobria, in occurſibus maledicta, & in congreſſibus contradictiones experti ſunt &c. Tam dura tamen inſenſatorum ferocia non minuit Miſſionariorum zelum, ſed econtra magis illum accendit: plus ſemper gloriæ quàm ſanguinis ex inflictis manavit vulneribus, manſitque hucuſque Miſſionis triumphus inſignitus uberi converſionis fructu, tum inter adultos & infantes, tum inter nobiles & plebejos, tum inter infideles & ſchiſmaticos collecto.

Ut etiam poſt mortem Capucinus Britannus aſſumptæ Miſſionis fructum coadjuvaret, vel perenniter curaret, varios libros vel conſcripſit, vel impreſſit, huic Miſſioni potiſſimùm aptatos. Compoſuit F. Accurſius à Caſtro novo, linguæ Arabicæ & Gallicæ Dictionarium, quod in lingua Arabica addiſcenda, plurimùm novellos Miſſionarios juvat. Tranſtulit F. Bonaventura Ludenſis ad Arabicam linguam, vitas plurium Sanctorum ab Orientalibus ſpeciatim cultorum, & opera P. Ludovici Granatenſis, ac varios de Myſteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis, de Primatu Romanæ Eccleſiæ &c. vulgavit tractatus. F. Britius Rhedonenſis Epitomen Annalium Eccleſiaſticorum Cardinalis Baronii, ac Epitomen Annalium veteris teſtamenti Jacobi Saliani ab Adamo uſque ad Chriſtum eâ perfectione conſcripſit, ut Sacra Congregatio de Propaganda fide anno 1653. utramque ſuo typo & expenſâ pubblicaverit. In correctione quoque Bibliorum Arabicorum ab anno 1650. uſque ad an. 1655. ad uſum Eccleſiæ Orientalis idem P. Britius impigrè laboravit, & deſuper in prima Ephemeride Franciſci Nazarii 29. Jan. 1671. ſpecialem memoriam promeruit. Edidit & eruditum de Sacramento Matrimonii tractatum, quo Schiſmaticos Damaſci commorantes confutavit. F. Franciſcus à Romorantio Anatomen Alcorani Mahumetis compoſuit, hujuſque errores ſtolidos detexit. F. Ivo Trecorenſis ad Miſſionis bonum reliquit (præter alios libros in Bibliotheca Scriptorum Ordinis noſtri recenſitos) Flores Hiſtoriarum &c. ad confutandos Hæreticos, Schiſmaticos & Turcas: Conciones modo catechiſtico contra peccata, quæ committuntur paſsim in Syria ac Palæſtina &c. ac opus de reſurrectione mortuorum. F. Michaël Rhedonenſis, ut cæteros ſileam, Maronitas Markalitam incolentes, plurimùm ſibi devinxit, dum Rituale Romanum, libros Regum, Sapientiæ &c. Arabica lingua adornavit. Quæ, & noviſſimè P. Dorotheus à S. Trinitate tempore, quo in hac Miſſione deſudavit, eique quatuor vicibus ceu Cuſtos præfuit, intrepidè egerit, nuntiabunt Annales, & infra minutim tangentur. Hinc Britonum Operariorum progenies in Syria & Palæſtina æternaturâ glorioſi nominis famâ clareſcet.

Miſſio hæc impræſentiarùm numerat loca ſequentia:

Sidoniam, vulgò Seydam, locum Cuſtodiatûs, *Abbetiam*, *Antourin* noviſſimè à Miſſionariis occupatum, *Berythum*, *Damaſcum*, *Gazeram*, *Solymam*, & Tripolin Syriæ.

Archiepiſcopo Edeno Miſſionarios Capucinos è Gallia ablegatos commendat.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SYriam, Palæſtinam, & Ægyptum, Regiones olim Cœli indulgentiâ, & miraculorum gloria dominantes, nunc autem ſub alienigenarum jugo captivas, petunt à Galliarum Regno à Pontificia charitate evocati, Sacerdotes Capucini, ut animas Chriſti ſanguine redemptas afferant in adoptionem filiorum Dei. Itineris difficultas, & charitatis magnitudo facilè illis conciliabunt benevolentiam Fraternitatis Tuæ, quæ non poterit certè non lætari tam eximios cultores in partem ſollicitudinum veſtrarum iſtuc à Romana Eccleſia ablegari. Commendavimus diligentiſſimè cœleſte hoc negotium Venerabili Fratri Patriarchæ Antiocheno. Cupimus in præſenti rerum opportunitate enitere officia Fraternitatis Tuæ, quibus debeatur benedictio Eccleſiæ, & beneficentia Pontificia: noſtram planè voluntatem demereberis, ſi omnes Apoſtolicum munus fungentes, præcipuè verò Gallicos Capucinos, perfrui voluerit uberi proventu benevolentiæ Tuæ, quod Officium Deo petenti debitum, dum Roma ſperat, Paternam benedi-

ctio-

ctionem Fraternitati Tuæ impartiri, & Pontificium patrocinium pollicemur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Decembris MDCXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 83.

Commendat eoſdem Patriarchæ Antiocheni præſidio.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COrocata ſcuto bonæ voluntatis, & opulenta commeatu Virtutum Chriſtianarum charitas Apoſtolica, per fluctus non minùs piratis, quàm tempeſtatibus metuendos ad Orientales Regiones deduxit è Vaticano Sanctuario Sacerdotes, propriam vitam pro veſtrorum populorum ſalute ſacrificantes: ii verò Patriæ benevolentiâ poſthabitâ, diverſa exilia, & barbarica Regna perambulant paraturi viam Domino, & rectas facturi ſemitas ejus inter nationes aberrantes: contemptores divitiarum juxtà & periculorum, iſtuc in præſentia ablegantur Capucini, nobilia Galliarum germina, ut Divinæ gratiæ, ac, ſi opus ſit, proprii ſanguinis ratione fœcundata, fructus vitæ perferant habitaotibus in umbra mortis. Cauſa itineris, & animi magnitudo eos ſatis ſuperque commendat Fraternitati Tuæ, quæ in Diœceſi Antioebena Paſtorale ſceptrum gerens, non poteſt non gaudere, tam inſignes à Pontificia ſollicitudine ad ſe ablegari Socios laboris, ac pietatis. Excolis, Venerabilis Frater, Terram olim fluentem lacte & melle, nunc autem inuodatam felle, & veneno, ubi inebriari abundè poteſt ſollicita Antiſtitum charitas vino compunctionis, & pane lachrymarum; etenim nihil eſt ducente Chriſto, & præeunte Cruce deſperandum; potens eſt Deus, peregrinantibus his Sacerdotibus favens, elicere è lapideis Infidelium cordibus fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, cujus rivis floreant ſpecioſa deſerti, & hilarentur convivia Angelorum. Jam verò non uſque adeo virtutibus veſtris invia eſt famæ vox, ut Roma non ſuſpicetur eſſe ab Orientis Epiſcopis, & populis officiorum genere coleodos hos Satores bonorum operum, quibus ſalus veſtra eſt quàm propria vita pretioſior, præſertim cum è Galliarum Regno prodeant, unde armata Legionibus prodiit Religio, Chriſtianiſſimos Reges deducens ad confriogenda gladio victorum vincula Sion, & reficiens Muros Ieruſalem; proinde deeſſe non poteſt patrocinium Fraternitatis Tuæ tam piis Regni Cœleſtis propugnatoribus; neque ſolummodo eorum virtute poteris uti ad elimioandam infidelitatem ex ſchiſmaticis cordibus, ſed etiam ad ſapientiam in Catholicis iogeniis diſſeminandam; neque etiam iſtic paſſim patefieri poſſunt Gymnaſia Theologica, quæ armamentaria cœli ſunt; hoc autem ad cœleſte vobis beneficium deferendum non ſolùm religioſi, ſed etiam grati animi lege compellimur; pertinet enim ad Apoſtolicum Principatum curare, ne in captivo Oriente inter minitabunda impietatis ludibria ignorentur oracula Divinitatis, quæ Apoſtolorum Princeps ex Eccleſia iſta olim prodiens aſſiduè loquitur io Romana Cathedra per os Pontificum Maximorum. Cæterùm litteras has ad Fraternitatem Tuam deferri voluimus potiùs, ut charitatis Pontificiæ teſtimonio perfruaris, quàm ut aliena hortatione egere Te arbitremur in negotio, in quo & Tuæ gloriæ, & publicæ ſaluti conſulitur; teſtamur nullum à Te confici Nobis poſſe ſolatium illuſtrius, quàm ſi omnes à Nobis iſtuc ad Apoſtolicum muous ablegatos, ſed præcipuè Gallicos Capucioos, tantâ benevolentiâ complectaris, ut nomini Tuo ob id debeatur plauſus in benedictionibus Eccleſiæ. Quod autem à Te poſtulamus, idem Te hortante, & Nobis exigentibus ſperamus ab uoiverſo tuorum Antiſtitum, & Sacerdotum Choro, cui, ac Fraterpitati Tuæ coociliare ſempee conabimur adjutorium Altiſſimi, & Paternam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Decembris MDCXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Autog. in Areh. Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. pag.* 83.

Item Rectoribus Catholicis Eccleſiarum Syriæ & Palæſtinæ.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COntritio, & infelicitas in viis uoiverſæ earnis, flagella Diviæ Ultionis ſævi-

viunt in Europa, & hæreditatem Domini in Oriente dirripuerunt latrones animarum; non tamen obliviſcitur Omnipotens miſericordias ſuas, cujus vulnera, medicamenta, cujus ira, clementia eſt. Quare adeamus, dilecti Filii, cum fiducia Thronum Cœleſtis indulgentiæ, patefient iterum cataractæ Cœli, nubeſque pluent juſtum, & ſalus animarum germinabit: non exareſcet unquam, ô Syria, ô Palæſtina, fons Divinæ pietatis, irrigans univerſam terram, ſed præcipuè Regiones iſtas, ubi olim Regem, ac Conditorem ſuum ſydera contuebantur. O' felices Provincias toties divinorum pedum veſtigiis conſecratas! ad vos ê cœleſti Regia deſcendit Deus homo, ut exoriretur habitantibus in umbra mortis oriens ex alto, lux Evangelii affulgeret. Commeant quotidie ad vos ex Orbe univerſo peregrinantes, & fluctuum procellas, tyrannorum minas contemnunt, ut religioſis oculis venerabundi colant ſolum iſtud, ubi legiones Angelorum, & Apoſtolorum cœtus Chriſto Domino famulabantur: quin aquæ veſtrorum fluminum, perinde atque optima Balſama, & gemmæ in exteras terras avehuntur, eoque pretio Religio Fidelium non rarò viſa eſt emiſſe beneficia Divinitatis: oblivioni detur dextera noſtra, ſi non meminerimus veſtri, ô Syria, & Palæſtina! in Cathedra Sacerdotalis Principatûs; cum hominibus veſtris converſatus eſt Deus, & ê littoribus veſtris Romam adnavigavit Princeps Apoſtolorum, conſtituturus in Vaticano oraculum Sapientiæ Orthodoxæ, & ad vos ſemper Pontificia charitas non commigrabit? & iſtarum Regionum cauſam à ſuis rationibus unquam ſejunctam arbitrabitur? non ita planè eſt, dilecti Filii, ſolicitis Apoſtolicæ charitatis excubiis luſtramus Eccleſias veſtras in Solio Regalibus obſequiis exculto, ſaluti veſtræ ſervientes. Cum autem ad Vos progredi ipſi nequeamus, hos ſeligimus Sacerdotes virtutibus opulentos, Sapientia claros, qui per minitantes pelagi procellas, properant in portus tyrannicâ ſævitiâ formidatos, non aurum, aut argentum quærentes, ſed, ut animas Vobis cum Jeſu Chriſto lucrentur. His planè debetis omnem opem atque operam veſtram adjungere, ne ingratiſſimi mortalium, eos charitatis veſtræ fructibus carere, in aliena terra patiamini, qui Patrias exiliis, pacem periculis mutant, ut vobis militent ſub trophæo Crucis in ſalutis veſtræ & Divinæ gratiæ ſpem. Præcipuè verò Vobis commendamus Sacerdotes Capucinos, quos Roma iſtac profecturos vocat è Galliæ Regno, unde non ſemel felicitas & victoria ad captivum Orientem in Chriſtianiſſima Claſſe navigavit: iis quaſi hæreditate videtur relicta eximia quædam charitas in Orientalem Eccleſiam, eoſque credimus, & Patriæ gloriâ, & Profeſſione Religionis, & conſilio charitatis ſatis vobis commendari. Neque in illis deerunt populis veſtris, aut exempla virtutum, aut dogmata Sapientiæ. Utimini Dilecti Filii, tantis Viris, vocate in Arces Eccleſiarum veſtrarum auxiliarios hos milites, Vobis non minus ê Cœlo, quàm Vaticano donatos, ita enim & animarum ſaluti conſuletis, & Pontificatûs maximi patrocinium promerebimini. Complectimur vos brachiis Apoſtolicæ dilectionis, dilecti Filii, quibus beneficentiam Omnipotentis ſemper flagitabimus, & Paternam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Decembris MDCXXX. Pontificatûs Noſtri Anno Octavo.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 83.

Sac. Rit. Congregatio.

De Martyrio Servi Dei, Fr. Caſſiani Nannetenſis &c. in Æthiopia reſcribit.

ORDINIS CAPUCINORUM, SEU GALLIARUM.

Servorum Dei aſſerti Martyrii Agathangeli, & Caſſiani Ordinis Capucinorum.

ACceptis, & perlectis relationibus à Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 17. Februarii 1648. coram Sanctiſſimo &c. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 305.

Prætenſio ſeu inſtantia R. P. Guardiani Hieroſolymitani de Miſſa in Eccleſiis Miſſionariorum ante Miſſam in Eccleſia Parochiali celebratam prohibenda rejicitur.

Decretum Congregationis Particularis aliquorum ex Emis Patribus negotiis Fidei Propagandæ præpoſitis ſpecialiter deputatis ſuper rebus Sanctorum Locorum habita die 26. Januarii 1668.

RElata inſtantiâ Patris Guardiani Hieroſolymitani, ut Miſſionariis Sac. Congre-

gregationis in locis ſuæ Juriſdictioni ſubjectis prohibeatur Miſſa in eorum Capellis diebus feſtis celebrare, niſi prius celebrata Miſſa in Eccleſia Parochiali. Sacra Congregatio mandavit, ſervandas eſſe infraſcriptas declarationes Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, videlicet:

Primò. Baren. Iunii 1597. Congregatio cenſuit Presbyterum in ſua Eccleſia Miſſam celebrantem, non teneri differre celebrationem, donec in Eccleſia Parochiali Miſſam Parochus celebraverit.

Secundò. An Ordinarius ad inſtantiam Rectoris Eccleſiæ Parochialis poſſit præcipere Rectoribus aliarum Eccleſiarum non Parochialium, ne Miſſas celebrent, antequam abſoluta fuerit Miſſa Cõventualis, quæ in ipſa Parochiali quotidie celebratur, die 6. Octobris 1625. Congregatio cenſuit, Ordinarium non poſſe id prohibere.

Datum Romæ die 26. Iannarii 1668.

Exempl. in Archivo Ord. Armar. Miſſio Palæſtinæ.

Miſſionariis in Quadrageſima inter Maronitas muneri Miſſionis vacantibus, tertiâ hora poſt meridiem Miſſam celebrare indulgetur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ 22. Aprilis 1682.

INter alia dubia à FF. Capucinis Gallis Miſſionariis Apoſtolicis in partibus Orientis pro reſolutione propoſitum fuit Dubium ſequens:

Utrum Sacerdos Miſſionarius in Quadrageſima vacans muneri Miſſionis, & inter Maronitas degens, eo tempore ad Miſſionem maximè congruo, poſſit celebrare Miſſam juxta eorum conſuetudinem tertiâ horâ poſt meridiem, quia, ſi antea celebraretur, vel pauciſſimi, vel potius nulli aderunt confeſſuri, & Verbum Dei audituri, vel certè ſubitò dictâ Miſſâ jejunium ſolvent contra eorum ritum illos obligantem ad jejunium protrahendum uſque ad horam tertiam pomeridianam?

Quod ſi non liceat, talem diſpenſationem Oratores humiliter poſtulant.

Et Sac. Congregatio reſpondit Affirmativè.

Ex tom. 2. reſolut. Archivi Sac. Congreg. pag. 94.

Eutimio Metropolitæ &c. factam ab eo errorum Græcorum Damaſci abjurationem, ac illius in perſecutione conſtantiam, tum ex ipſius litteris, tum ex ore Fr. Aceurſii ablegati gaudenter ſe percepiſſe ſignificat, ejuſdemque erga Sanctam Sedem ſtudium commendat.

A' tergo. *Venerabili Fratri, Eutimio, Metropolitæ Tyri, & Sidonis.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INgentis ſanè argumentum lætitiæ cœpimus ex litteris Fraternitatis Tuæ, à dilecto Filio, Patre Accurſio Ordinis Capucinorum redditis, intelligentes ex iis, ac uberiùs ex ejuſdem Accurſii ſermone, Te poſt ejuratos jampridem Damaſci Græcorum ab hac Sancta Sede ſejunctorum errores, in quibus verſabaris, invicta animi conſtantia tolerâſſe duriora quæque, quibus ab Adverſariis impetitus fuiſti, ut à ſententia recederes. Profuſis autem Miſericordiarum Patri, qui fideles ſuos eonſortat, perſolutis gratiis, quod tribuerit Tibi virtutem ac fortitudinem ad rempeſtates adverſus Te excitatas ſtrenuè ſuperandas, jugiter ipſum rogare non omittemus, ut validam Tibi aſſiduamque ad munus, ad quod aſſumptus es, implendum, opem præſtare velit. Perſuaſum interim habebis, nulli Nos occaſioni deſuturos re ipſa declarandi, quâ Te in Domino charitate complectamur, & quàm præclarè ſentiamus de ſtudio, quod erga præfatam Sedem, Eccleſiarum omnium Matrem ac Magiſtram profiteris. Cætera à Venerabilibus Fratribus noſtris Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide Præpoſitis, abundè cognoſces, Ac Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ &c. die XIX. Auguſti MDCLXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes Reg. menſ. & anni præd. fol. 97.

Hoſpi-

Hoſpitium, à Principe Abdalla in Oppido Solimæ apud Druſas in Monte Libano oblatum, à Miſſionariis acceptari, & Miſſionem ibi exerceri indulgetur.

Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ ſub die 30. Junii 1704.

REferente Emo, & Rmo Domino Cardinali Spada inſtantiam P. Dorothei à Trinitate, Ordinis Capucinorum Cuſtodis Miſſionum Provinciæ Britanniæ in Syria, & Paleſtina petentis facultatem recipiendi Hoſpitium PP. Capucinis earum Miſſionum oblatum à Principe Abdalla in Oppido Solimæ, ibique Miſſionem exercendi, Sac. Congregatio hujuſmodi Oratoris precibus benignè indulgens petitam facultatem conceſſit, ita tamen, ut ab iiſdem Patribus ſerventur omnino Decreta circa Sacramentorum, præcipuè verò Parochialium, adminiſtrationem aliàs edita, iidemque hac in re caveant ab exceſſu ſuarum facultatum.

Datum Romæ die & anno, quibus ſuprà.

Exempl. Auth. in Arch. Ord. Arm. Miſſ. Paleſtinæ.

NOTA.

LItteræ, quibus Princeps ſupradictus Hoſpitium Miſſionariis noſtris obtulit, fuerunt tenoris ſequentis:

Reverendo Patri, Dorotheo, Amicorum chariſſimo, ſalutem plurimam à Deo Optimo exoptamus. Nos hîc favente Deo bene valemus, teque optima valetudine frui ſperamus. Datis jam ad Te litteris mentem noſtram patefecimus tibi, quod in iſto Dominio noſtro Religioſis tuis Capucinis Hoſpitium ſumptibus noſtris excitare cupimus. Nullo tamen adhuc reſponſo habito, iteratis epiſtolis tibi hanc rem commendamus. Da igitur operam, ut meus noſtra impleatur, quæ ad plurimorum Maronitarum, qui hîc incolunt, bonum dirigitur, tibique mercedem apud Deum augebit, ac Religioſis tuis utile erit ac jucundum pium hoc opus, noſtris impenſis perficiendum. Hoc idem Illuſtriſſimo Domino Conſuli datis litteris declaravimus. Votis noſtris celeriùs indulgeas velim, & rem ad optatum exitum fac ut perducas. Vale.

Emir Abdalla.

Motiva autem, quæ Principem ad hoc pietatis conſilium incitârunt, pandunt litteræ Gabrielis, Archiepiſcopi Maronitarum, ad eundem P. Dorotheum ita datæ:

Benedictio Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & S. Petri Apoſtolorum Principis deſcendat ſuper te, Dilecte Fili Dorothee, Patrum Capucinorum Cuſtos, ſuperque tuos Religioſos. Anno proximè elapſo litteris ad te datis certiorem te fecimus, quod Princeps Emir Abdalla ſuis ſumptibus ſine ulla veſtra impenſa vult tuis Religioſis Miſſionariis Hoſpitium extruere in Oppido Solimæ, ut ipſemet datâ ad te epiſtola planè promiſit. Igitur Paternitas Tua det operam, ut ad exitum perducatur hoc opus, quod in bonum horum fidelium cedit, & majorem Domini Noſtri Jeſu Chriſti gloriam, veræque fidei dilatationem, quæ inibi per tuos Religioſos ampliabitur. Nil ad hoc pium opus Principem Abdallam impellit, niſi ſtudium & amor, quo tuos Religioſos, noſtroſque Chriſticolas impenſè proſequitur, quibus Sacras Ædes impenſis ſuis excitavit omni vectigalium onere immunes. Hocce tibi ſignificandum, Nobis declaravit, quod liberaliſſimè facimus ob ſummam tui æſtimationem.

Die 10. Julii anni 1703.

Ex Arch. Ordin. Armor. Miſſio Paleſtinæ.

Fr. Dorotheo à Sanctiſſima Trinitate, profeſſionem Fidei à Cyrillo, Patriarcha Antiocheno Græcorum recipere, huncque in Patriarchatu confirmatum declarare committit.

Dilecto Filio, Dorotheo à Sanctiſſima Trinitate, Ordinis Fratrum Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUamquam ſollicitudini omnium Eccleſiarum, Domino adjuvante, pro viribus reſpondere, ac ſatisfacere nitimur & curamus, niſi tamen fides, & ſedulitas eorum, quibus mandata noſtra perficienda concredimus, Apoſtolicæ providentiæ officiis obſequatur, curarum noſtrarum fructus facilè intercidit. Quoniam verò ſatis Nobis compertum eſt, quàm impigrè ſuſceptos pro Catholica Religione labores impendere, quantamque huic Sanctæ Sedi obedientiam probare pergas, bono animo alacritatem, Religionemque tuam ad proſperum conſilii, judiciique noſtri ſucceſſum advocamus. Cum itaque electionem Venerabilis Fratris, Cyrilli, Catholici Patriarchæ Antiocheni Græcorũ, confirmare decreverimus, Tibi, dilecte Fili, poteſtatem facimus, etiam cum facultate ſubdelegandi, ut ab eodem Cyrillo Catholicæ Fidei profeſſionem excipias ad formam præſcriptam à ſel. rec. Urbano Papa Octavo Prædeceſſore noſtro, Tibique præcipimus, & mandamus, ut ab eo jusjurandum exigas, quo polliceatur, nihil in ſe, aut ſubditis ſuis immutaturum in ritibus, & conſuetudinibus Græci ritûs hac Sancta Sede prius non conſultâ, rebuſque communicatis cum S. R. E. Cardinalium Congregatione Propagandæ Fidei negotiis præpoſita, ſeque operam daturum, ut in priſtinum morem, & obſervantiam reſtituantur, quæ fortè vel ab ipſo, vel ab Euthymio hoc nomine Archiepiſcopo Tyri, & Sydonis fuerint immutata, præſcripta quoque, & mandata ejuſdem Congregationis, quorum exemplar ipſi reddes, aut reddendum curabis, ſe fideliter impleturum. Emiſſâ igitur ad eam, quam diximus, formam Fidei profeſſione, præſtitoque antedicto de ſervandis conditionibus jurejurando, volumus, ut auctoritate noſtra pe Te ipſum, vel per Subdelegatum tuum, confirmatam à Nobis Patriarchalem electionem declares; eique verbis noſtris præcipuæ charitatis, & gratulationis ſenſus ſignifices. Dum autem in tua obſervantia, ſoſertiaque inſignem fiduciam reponimus, Tibi, Dilecte Fili, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Auguſti MDCCXXIX. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *menſ. & anni præd. fol. 76.*

NOTA

INter merita, quibus Fr. Dorotheus ſupradictus Apoſtolicæ Sedis plauſum ſibi comparavit, & nominis ſui memoriam in Palæſtina perennavit, dignè recenſeri debet ſollicitudo, qua electionem Cyrilli Fanas in Patriarcham adjuvit, & Synodum Nationalem Græcorum, in qua congregatos Prælatos, Abbates, Sacerdotes & Monachos ad obſervantiam ritûs Græci, ac conſuetudinum juxta Sanctæ Sedis Decretum reſtituendum induxit, die 25. menſis Auguſti 1730. in Monaſterio S. Salvatoris celebravit. Acta hujus Synodi aſſervat Archivum Ordin. Armario *Miſſio Palæſtinæ*, ſicut & alia, quæ hunc Religioſum Virum, ejuſque Apoſtolicos labores concernunt.

Eandem auctoritatem in hypotheſi mortis, aut aliàs abſentiæ Fr. Dorothei prædicti, in Fr. Ambroſium Rhedonenſem transfert.

Dilecto Filio, Ambroſio Rhedonenſi, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PEr litteras in ſimili forma Brevis datas die 13. proximè ſuperioris menſis Auguſti, dilecto Filio, Dorotheo à Sanctiſſima Trinitate, ejuſdem tui Ordinis in Syria, & Palæſtina Miſſionario facultatem mandavimus, ut Apoſtolica noſtra auctoritate, certis conditionibus adjectis, Venerabilem Fratrem Cyrillum Antiochenæ Eccleſiæ electum Patriarcham Græcorum confirmatum declararet. Cum tamen renunciatum deinde Nobis ſit, eundem Dorotheum gravi morbo decumbere, ne diuturniori mora ju-

di-

dicium noſtrum de Patriarchali confirmatione retardetur, eandem Tibi operam injungimus, eandemque facultatem largimur, Tibi mandantes, ni, ſi antedictus dilectus Filius, Dorotheus, ſupremum diem obierit, aut à Miſſionibus Syriæ & Palæſtinæ abſens fuerit, omnia, quæ illi demandavimus, expleas, & cum iiſdem conditionibus & facultatibus, quas ex authentico exemplo noſtrarum ad Dorotheum litterarum, quod hiſce adjungimus, deprehendes, perinde, ac ſi tibi litteræ illæ inſcriptæ eſſent. Officium autem, quod prudentiæ ac ſedulitati tuæ libenter committimus, argumento Tibi erit, quàm præclaram geramus de tua virtute opinionem. Ae Tibi, dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Septembris MDCCXXIX. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *menſ. & anni præd. fol.* 139.

Eccleſiæ Fratrum Miſſionariorum Civitatis Damaſci in tribus expreſſis feſtis indulgentiam plenariam largitur.

CLEMENS PAPA XII.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendum Fidelium Religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam ſub Titulo SS. Pauli, & Georgii Martyrit Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Miſſionariorum nuncupatorum Civitatis Damaſcen. in Syria, in Converſionis, & Commemorationis ejuſdem Sancti Pauli, necnon ejuſdem Sancti Georgii Martyris feſtis diebus à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem in Domino concedimus. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Decembris MDCCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

Autogr. in Secret. Brevium Reg. *menſis & anni præd.*

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide circa tumulanda Miſſionariorum Regularium cadavera editum confirmat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum ſuper tumulatione Cadaverum Miſſionariorum Ordinum Regularium in partibus Syriæ & Palæſtinæ emanavit decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die VII. Februar. MDCCXXXV. Referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Petra, Præfecto: Sacra Congregatio, ad tollenda jurgia, & diſſenſiones, quæ non rarò oriri ſolent in partibus Syriæ, & Palæſtinæ occaſione tumulationis cadaverum Miſſionariorum Ordinum Regularium confirmavit, & renovavit decreta ſuper hujuſmodi re aliàs edita, & præſertim anno MDCXCII, itemque confirmata anno MDCCII, per quæ ſancitum fuit, quod deferatur privatè cadaver à propriis Religioſis: In Cœmeterio autem tantùm adeſſe debeat Parochus cum Stola, & Cruce, & dicat Orationes juxta formam præſcriptam in Rituali, permittendo poſtea, ut reliquæ Orationes dicantur à Superiore Religionis, & per ipſum, ac ſuos Religioſos dari ſepulturam. Præſens autem Decretum renovatorium præfatorum Decretorum, eadem Sacra Congregatio præcipit notificari Superioribus Generalibus eorum Ordinum, etiam Societatis Jeſu, quorum Religioſi Miſſionariorum munus in antedictis partibus obeunt, ut ab omnibus, & quibuſcumque ſuis reſpectivè ſubditis illud omnino, & inviolabiliter ob-

ſervari curent. Datum Romæ ex Ædibus ejuſdem Congregationis die XIX. Martii MDCCXXXV. V. Cardinalis Petra Præfectus. Ph. de Montibus Secretarius. Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut dilectus Filius, Cherubinus de Noves, Frater expreſsè profeſſus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum in Romana Curia Miſſionariorum Gallorum ejuſdem Ordinis in Infidelium partibus exiſtentium Procurator Nobis ſubinde exponi fecit, *ipſe* Decretum hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio com. muniri plurimum deſideret, Nos ſpecialem ipſi Cherubino gratiam facere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomineNobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, &c. Quibus omnibus, & ſingulis &c. dero gamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Aprilis MDCCXXXV. Pontificatûs Noſtri Anno Quino.

Autog. in Arch. Secret. Brev. Reg. menſ. & anni præd. fol 3.

Servanda circa abuſum uſuræ in Ante-Libano, Syria, Palæſtina &c. vigentem præſcribuntur.

Emi, & Rmi Domini.

PFr. Cherubinus à Noves, Procurator Miſſionum Capucinorum Gallorum, EE. VV. reverenter exponit, uſum legi Divinæ, Canonicæ, atque Civili evidenter repugnantem in Ante-Libano, Syria, & Palæſtina &c. & præſertim apud Maronitas tum Sæculares, tum Sacerdotes Civitatis Gazia, impunè vigere exigendi octo, vel etiam amplius pro centum in ſingulos annos ex mutuo, ſecluſo quocumque legitimo titulo, imò prius acceptis plerumque munuſculo atque pignore pro aſſecuratione ſortis: & quod gravius eſt, termino pro ſolutione mutui ad feſtum Beatæ Virginis in Cœlum Aſſumptæ communiter conſtituto, ita ut quocumque anni tempore rem mutuò acceperit mutuarius, teneatur recurrente dicta die feſto, capitale atque intereſſe pro integro anno reſtituere mutuanti; ſin minus, novam obligationem contrahere, in qua auctarium unitur capitali, & ex utroque poſtea intereſſe exigitur, idque ſingulis annis renovatur.

Quos abuſus, qui in ſcandalum cedunt nedum Catholicorum, ſed & Infidelium, Hæreticorum atque Schiſmaticorum, ut de medio illius Nationis tollerent, nullum lapidem non moverunt Miſſionarii; aſt tempus & operam hactenus perdiderunt, ne quidquam ſe unquam profecturos apprimè intelligunt, quamdiu præciſam deſuper reſolutionem ab hac Sacra Congregatione non habuerint, cujus auctoritati præfatos Fideles obtemperaturos confidunt. Quapropter eam dicti Patres Miſſionarii ab EE. VV. enixis votis poſtulant, ut illius Nationis ſaluti ſecuriùs providere, necnon tot ſcandalis, quæ in Eccleſiam refundi ægrè ſuſpiciunt, finem demum efficaciter imponere valeant. Et pro gratia &c.

Feria v. die 29. Auguſti 1748.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Dom. Benedictus Divinâ Providentiâ Papa XIV. cui in ſolita audientia per R. P. D. Aſſeſſorem Sancti Officii facta fuit relatio ſupradictorum, mandavit, quod dentur litteræ Apoſtolicæ ad Ordinarios Italiæ incip. *Vix pervenit ad aures* = diei 1. Novembris 1745. in ejus Bullar. num. 143. fol. 578. Necnon tranſcribatur per extenſum caput 47. in ejus Tractatu de Synodo Diœceſana ſub titulo = quid de uſuris, & contractibus in Synodo decerni poſſit, ubi ſpecialiter de mutuo.

Autograph. in Arch. Ordin. Armar. Miſſio Palæſtinæ &c.

NOTA

LItteræ Apoſtolicæ, quas Summus Pontifex communicari juſſit, ſunt tenoris ſequentis:

BENE-

BENEDICTUS PAPA XIV.

Vix pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe, an quidem contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur; cùm ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejuſmodi, temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret; aditumque ipſi intercludere, ne latiùs ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientiâ, & Canonicæ Diſciplinæ ſtudio ac peritiâ plurimùm commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utroque facultate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus; Præſulem quoque Juris utriuſque laurea præditum, & in Foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterìit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perſpectumque deprehendimus.

Poſtea præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accuratè perpenderent, ſuaſque opiniones ſcripto exararent; non tamen expectavimus ab ipſis, ut judicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſariò ad id requirebantur; Sed, ut certam de uſuris doctrinam conſtituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus ſpargi cœperunt: Juſſa fecerunt univerſi; nam ſuas ſententias palam declarârunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Julii, altera verò die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt; ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. *Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantundem duntaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quàm eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.*

II. *Neque verò ad iſtam labem purgandam, allum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non exceſſerit & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, à quo id lucrum ſolitus cautâ matuì depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuò ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſimè ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſariò in dati atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid à quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt, in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſanctè ſervare, & non ſervatam exactè reparare.*

III. *Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque unà cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minimè innatos & intrinſecos fortè concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat quidquam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam ritè exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ à mutui natura contractus, rectè collocari & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negociationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.*

IV. *Quemadmodum verò in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus, ad uſuram, (ea quod nunc mutuum tam apertum, quàm palliatum abſit), at certè ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; Ita ſi ritè omnia peragantur, & ad Juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus & ratio ſuppetat humana commercia & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim à Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtimemus; cum contrà ea*

ipſo

ipſo Oraculo Divino diſcamus, quod Iuſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.

V. *Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falsò ſibi quemquam, & nonniſi temerè perſuaſuram, reperiri ſemper, ac præſtò ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, totics ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modò Divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de Uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Nemiuem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus teuetur homo, ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente* = Volenti mutuari à te, ne averearis =, *& quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, verène cum mutuo juſtus alius titulus; verène juſtus alter à mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers & immune reddatur.*

His verbis complectantur, & explicant Sententias ſuas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus; Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eandem cauſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; Nam præſtantium Virorum Suffragia, quæ modò commemoravimus, diligentiſſimè perturrimus. Cum hæc ita ſint, adprobamus, & confirmamus, quæcunque in Sententiis ſuperiùs expoſitis continentur; Cum Scriptores planè omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plana Sacrarum Literarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad eaſdem Sententias comprobandas penè conſpirare videantur. Inſuper apertiſſimè cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent, & eos poriter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur; Neque ignoramus, quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controverſiæ ejuſmodi principium habuerunt. Quare has Literas Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innoteſcerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque ſacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas ſuperiùs recenſuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Diœceſibus audeat Literis, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contemnerint ac violaverint.

De contractu autem, qui unus has controverſias, excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus; Nihil etiam decernimus modò de aliis contractibus, pro quibus Teologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt ſententias; Attamen pietatis veſtræ ſtudium ac Religionem inflammandam exiſtimamus, at hæc, quæ ſubjicimus, exactioni demandetis.

Primùm graviſſimis verbis Populis veſtris oſtendite, uſuræ labem ac vitium à Divinis Literis vehementer improbari; Illud quidem variat formas atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti Sanguine reſtitutos in libertatem & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potiùs ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium expoſcant.

Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ſtu confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt;) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longè ſe abſtineant: Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam acceptam, tanquam illicitam, & cum uſura conjunctam; Contrà verò nonnulli induigentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcunque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtimeut. Suis privatis opinionibus ne nimis adhærcant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; Deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tùm auctoritate planè confirmatas intelligent. Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omuino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam ſententiam ſequuntur, neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minimè careat; Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chriſtianæ charitatis infringunt, & graviſſimam Populo offenſionem, & ſcandalum præferunt.

Tertio

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuomque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodò percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſſalent: Hæc magnoperè conferunt non modò ad animi ſollicitudinem & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſam contractuum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non ſemel concitatæ ſunt, ut clarè pateat, utrum pecunia, quæ ritè data alteri eſſe videtur, revera tamen pollutam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui diſſitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ quolibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quàm falſum id ſit, & à veritate alienum, planè deprehendimus, ſi perpendamus, uſuram unius contractûs ab alterius natura prorsùs diverſam & ſejunctam eſſe; Et ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ à diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, ac mandatis executioni quæcunque per has Literas à Nobis perſcribuntur: Opportunis quoque remediis conſuletis, uti confidimus, ſi fortè ob hanc novam de uſuris controverſiam in Diœceſi veſtra turbæ concitentur, vel correptæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Poſtremò vobis, & Gregi curæ veſtræ concredito, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die prima Novembris MDCCXLV. *Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.*

Caput autem, quod ex opere ſuo de Synodo Diœceſana Sanctiſſimus tranſcribi juſſit, ita in eo extenditur.

CAPUT XLVII.

Quid de uſuris, & contractibus in Synodo decerni poſſit; ubi ſpecialiter de Mutuo.

1. *Optabat Faguanus in ſæpius* cit. cap. Sicut olim, num. 82. de accuſat. *nihil à Synodis Provincialibus quoad uſuras decerni, & tamen vix erit Concilium Provinciale invenire, à quo non fuerint uſuræ expreſsè damnatæ, eaſque exercentes ſeveriſſimis pœnis ſubjecti; hunc eumdem morem imitatæ Diœceſanæ Synodi, præſertim recentiores, ab anno ſcilicet 1698., uſque ad hanc diem habitæ, quas ſummo ſtudio collectas, utcunque perlegimus, ſpecialem de uſuris ſermonem inſtituerunt, eaſque iterum, iterumque improbârunt; nec proinde, uni hæ auctoritati Faguani refragantur, aut Faguanus communi Synodorum uſui, & praxi adverſatur; Quod enim Faguanus volvit, hoc unum eſt, ne à partitioribus Synodis quæſtiones dirimuntur*, in caſibus uſurarum, aliorumque vitiorum, quibus timoratæ conſcientiæ irretiri poſſunt, *quales ſunt quæſtiones circa contractus, inter graves Theologos controverſæ, & nondum ab Eccleſia definitæ; Non verò prohibuit, ne uſura verè, & propriè talis, aut contractus certò ſæneratitii proſcribuntur, atque è quolibet diœceſi exterminentur. Qua autem nominatim prioris, aut poſterioris generis ſint, per ſummam capitu innuemus.*

2. *Omne lucrum ex mutuo, præciſe* ratione mutui, *uti loquuntur Theologi, hoc eſt lucri ceſſantis, damni emergentis, aliove extrinſeco titulo remoto, uſurarium, atque omni jure, naturali ſcilicet, Divino, & Eccleſiaſtico illicitum eſſe, perpetuo fuit, & eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, & Theologorum unanimi conſenſione firmata. Huic contradixêre Graci ſchiſmatici, qui, teſte Guidone Carmelita* in Catalogo Hæreticorum, *quodcumque lucrum ex mutuo permittunt: Græcis ex parte conſenſit Calvinus, qui* ad cap. 18. Ezechielis, *licere dixit, aliquod moderatum lucrum, non quidem à pauperе, ſed à divite, præciſè ratione mutui, exigere: Errorem à Calvino obiter inſinuatum, ex profeſſo propugnavit Carolus Molinæus* in ſuo tract. de uſuris, *ubi* num. 10. *audaciter affirmat, uſuram non eſſe prohibitam*, niſi in quantum eſt contra Charitatem; *diſtinguit deinde* num. 85. *tres hominum gradus: Primus complectitur pauperes, mendicetu ſtipe viventes, quibus non mutuo, ſed eleemoſynâ ſuccurrendum ait: Alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis pares ſint mutuo poſſeu reſtituendo; atque his quoque mutuum gratuitò dandum, aſſerit: Tertius gradus complectitur divites, & Mercatores, qui nihil indigent, ſed rem ſuam negotiatione amplificare ſtudent, & ab his uſurum moderatam, ratione mutui, juſtè, ne ſanctè exigi poſſe, tradit Molinæus. Eamdem pravam opinionem ampiexatus, alia ratione defendit Claudius Salmaſius, in duplici tractatu, altero inſcripto* De uſuris, *altero* De trapezitico fœnore, *quibus in locis uſurum, niſi Charitatem ladat, ab omni cuipiam abſolvit, eò quod ſit merces locatæ pecuniæ. Verùm, quamquam plurimi Heterodoxi, Calvini, Molinæi, & Salmaſii ſyſtemati ſtabiliendo allaboraverint, inter quos Petrus Helingius* lib. 2. q. 5. *Gerardus Noodt* de fœnore, & uſuris lib. 1., *Gronovius, & Barbeyrac* in notis ad Hugonem Grotium, lib. 2. cap. 12. *Boehmerus* jur. Eccleſ. Proteſt. tom. 5. lib. 5. tit. 19., *rationem tamen, quæ eum Salmaſium tutatus eſt, fere omnes refellerunt, reſtè arbitrantes, mutuata pecuniæ dominium transferri in mutuatarium, ac propterea, non poſſe mutuum locationi, ullo pacto comparari, ſicuti teſtatur Gottfridus Maſcovius* in notis ad Pufendorf lib. 5. cap. 7. §. 5.

3. *Impia*

3. *Implæ Calvini, & Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam Doctores Catholici; distinguunt & isti duplex genus mutui: unum, quo pecunia, aliave res datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus, pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant &c.: alterum, quo datur ad negotiationem, ut cum Mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuò pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant: in primo casu usuram esse fatentur, quidquid exigitur ultra sortem; At à fanoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, motumque servet, à patria legibus definitum.*

4. *Novam hanc distinctionem, ab Hæreticis primùm excogitatam, præverterant Ecclesiæ Patres, qui uno ore; absolutè, atque indefinitè fœneratitium pronuntiaverant, quidquid ex mutuo, ultra sortem exigitur: Tertullianus* lib. 4. *contra Marcionem* cap. 17. *ita explicat Ezechielis locum*: Pecuniam inquit, suam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non sumet; fœnoris scilicet redundantiam; quod est usura. *S. Basilius* in Psalm. 14. (tom. 1. oper. pag. 107.) *allegato pariter Ezechielis loco, ait*: Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus, & quidpiam ultra sortem accipiatur. *S. Ambrosius* lib. unic. de Tobia, cap. 14. num. 49. (tom. 1. oper. col. 607.): Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque forti accedit, usura est. *S. Hieronymus* in cap. 18. *Ezechielis* (tom. 5. oper. col. 210.): Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari, & superabundantiam, quicquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint. *S. Augustinus* in Psalm. 36. serm. 3. num. 6. (tom. 4. oper. col. 285.): Si fœneraverit homini, ideò mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid, plusquam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid, plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive oleum, sive quodlibet aliud, si, plusquam dedisti expectas accipere, fœnerator es: *Concilium Agatheuse relatum à Burchardo* lib. 2. cap. 126., *Ivone* part. 6. cap. 200., *& à Gratiano* caus. 14. qu. 3. can. 4.: Usura est, ubi amplius requiritur, quàm datur, v. g., si dederis solidos decem, & amplius quæsieris: *Ex quibus Gratianus libidem concludit*: Ecce evidenter ostenditur, quod, quidquid ultra sortem exigitur, usura est. *Patribus adhæsere veteres Theologi, qui, duce D. Thoma* 2. 2. q. 78. art. 2., *adeo districtè omne lucrum ex mutuo, jure naturali, & Divino vetitam asseruêre, ut ne munus quidem* ab obsequio, aut à lingua, *quod certè quid minimum est, nullique onerosum, à mutuatario, solius mutui causâ, exigi posse docuerint.*

5. *Neque verò Calvini, & Molinæi Asseclis suffragantur, aut loca sacræ Scripturæ speciatim à prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur, uti Exodi* 22. vers. 25., *& Levitici* 25. vers. 35.; *aut sententiæ Patrum, usuras dumtaxat redarguentium immoderatas; aut Canones Concilliorum, puta* 36. *ex Apostolicis*, 17. *Nicæni, & 12. Concilii Arelatensis primi, solos Clericos fœneratores severè pœnis subjicientes: Etenim antiqui Testamenti pagina, in ipsismet in contrarium adductis locis, & adhuc clarius Deuteronomii* 23. vers. 19. *Ezechielis* 18., & Psalm. 14., *omnem omninò usuram, absque ullo personarum, à quibus exigatur, discrimine, prohibet, & detestatur; Pauperes autem alicubi expressè nominat, vel tantùm exempli causâ, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis alienæ, & necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immoderatum fœnus solvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput admonuit etiam Hugo Grotius; vel quia usuræ, quæ à pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam, & immanitatem, speciali nota, & reprehensione dignam, sicuti ratiocinatur Gibalinus de* usuris, lib. 1. cap. 7. art. 2.

6. *In novo autem Testamento* Lucæ 6., *illis Christi Domini verbis*, Mutuum date, nihil inde sperantes, *præceptum tradi, seu veritis naturalem legem iterum inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo, ab ullo, sive paupere sive divite exigendi, non solùm docet D. Thomas* 2. 2. q. 78. art. 1. ad 4., *sed concors fuit Concilliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia, præcipuè Urbani III.* in cap. Consuluit, de usuris, *qui præfati Textus auctoritate, omnem quantumvis minimam usuram, universim vetitam pronuntiavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi, ait*, omnem usuram, & superabundantiam. *Dicere autem, summos Pontifices, & Concilia prædicti Textûs verum, & genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos muscitare non puduit, & temerarium, & fere hæreticum est: quidquid enim sit, an Ecclesia, non solùm infallibili poliear auctoritate, in definiendis quæstionibus, Fidem, aut mores respicientibus, quod nullus Catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum, quas ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnulli Catholici dubitârunt, certum, & indubitatum est, eam errare non posse, in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu Fidelibus aperiendo.*

7. *Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum: hi siquidem, licèt vehementius invehantur in usuras immoderatas, atque à pauperibus extortas, veluti culmen scelleris, ad quod homines pertrahit fordida, atque insatiabilis avaritia, non idcirco tamen approbant moderatas, à divitibus exigendas; quinimmo etiam istas aliis in locis expressè condemnant: Enimvero Ambrosius* cit. lib. de Tobia, cap. 6. (tom. 1. oper. col. 597.) *de iis agens, qui pecuniam suam fœneratur non indigenti, sed diviti, sed Negotiatori, cui uberes proventus pariat, eos in hunc modum increpat*: Nihil nequius fœneratoribus, cui aliena damna sua lucra arbitrantur, & dispendio suo deputant, quidquid ab aliis possidetur, Aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant, per suos adjungunt, se simulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domesticis eorum cognoscere necessitates . . . . Sin verò nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas, ajunt, nobile prædium esse venale, amplam domum, accumulant proventus fructuum, annuos redditus exaggerant, hortantur, ut coemant, similiter faciunt pretiosas vestes & monilia nobilia prædicantes. Negant se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: Utere, ut tua; de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes; & cap. 14. (col. 607.): Et putas te piè facere, qui à Negotiatore, velut munus fuscipis? Inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit, quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque forti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est. *Similiter Hieronymus* in cit. cap. Ezechielis (col. 208. tom. 5. oper.) *perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus, sanus reprobat, etiam ex re percipiendum, quæ ingentem fructum mutuatario attulit, inquiens*:

quient: Solet argumentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui ſatis fecit decem modios, nonne juſtum eſt, ut medium modium de meo plus accipiam; cum ille mea liberalitate novem, & ſemis de meo habeat? *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur*. Reſpondeat enim nobis breviter fœnerator miſericors, utrum habenti dederit, an non habenti? Si habenti? utique dare non debuerat; ſed dedit quaſi non habenti. Ergo quare plus exigit, quaſi ab habente &c.

8. *Ad canones quod attinet, ſi argumentum, quod ex illis inſtaurant, quidquam haberet roboris, & efficacitatis, probaret etiam fornicationes, & adulteria eſſe Laicis permiſſa, quia plerique Canones in ſalos Clericos fornicarios, & adulteros, nullâ factâ Laicorum mentione, animadvertunt, quæ ſanè argumentatio inepta; & ridicula foret: novum quippe non eſt, Eccleſiam ſeverius in Clericis punire delicta, quæ etiam in Laicis execratur; ſicuti opportunè, & ad rem appoſitè monuit Concilium Carthaginenſe* 1. can. 13.: Quod in Laicis reprehenditur, id multò magis in Clericis oportet prædamnari. *Ceterùm non deſunt alii innumeri Canones, Clericos usquè ac Laicos uſurarios redarguentes, atque ut alios prætereamus, antiquiſſima Synodus Eliberitana* can. 20. (tom. 1. collect. Hard. col. 252.) *hunc habet*: Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari, & abſtineri. Si quis etiam Laicus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correctus, jam ſe ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si verò in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſia eſſe projiciendum: *Ac Leo Magnus* epiſt. ad Epiſcopos per univerſam Italiam, relata can. 7., XIV., q. 4., *exagitans uſuræ peccatum, ait*: Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in Clericali officio conſtituti, ſed in Laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus.

9. *Jure itaque ac meritò Auctores permittentes moderatum lucrum ex mutuo, à divite, & Negotiatore exigere, veluti adverſantes communi, & perpetuæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ, inclamârunt, & validiſſimis argumentis confutârunt Navarrus* comment. de uſuria, num. 8. & ſeqq., *Gibalinus, & Leotardus, in ſuo quilibet* de uſuria *tractatu, Cardinalis de Lugo* de juſt. & jur. tom. 2. diſput. 25., *Jacobus Gaytte egregio opere, quod concinnavit adverſus Molinæum, Salmaſium, Auctoremque libelli Gallicè du* traitté de la pratique des Billets, *Saintbeuve in reſolut. caſuum conſcientiæ*, tom. 2. ultim. edit. Pariſ. anni 1700. caſ. 210. pag. 422. & ſeqq., *Aloyſius Bulteau, ſeu Bultellas* in apologia pro Lactantio in materia uſurarum, edita Pariſiis anno 1677., *Pouget* in ſuis Canonic. inſtit. tom. 1. pag. 760.; *Natalis Alexander* Theolog. dogmat. & moral. tom. 8. part. 2. cap. 7., *Gennett* Theolog. moral. tom. 1. trac. 4. de mutuo, & uſura, quæſt. 6. & ſeqq., *Pontas* in dictionar. caſ. conſcient. tom. 3. verb. Uſura, *Continuator* prælect. Theologic. Honorati Tourneely, tract. de contract. part. 2. cap. 3., *aliique plurimi*.

10. *Verùm, quoniam tot Doctorum auctoritate, & argumentis minimè perterriti, pruditiam exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitârunt, propterea Nos ad Petri Cathedram evecti, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depoſitum Nobis eſt à Chriſto concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Epiſcopas encyclicis litteris ſub die prima Novembris* 1745., *hæc inter cetera declaravimus*: *Primò, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, uſurarium, & illicitum eſſe*: *ſecundò, ad uſuræ labem purgandam, nullum arceſſiri poſſe ſubſidium, vel ex eo, quod id lucrum non exceſſivum, & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit: vel ex eo, quod is, à quo id lucrum, ſolius cauſa mutui, depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuò ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prudiis, vel quæſtuoſis agri ſaudis negotiis, utiliſſimè ſit impenſurus: tertiò, quanquam und cum mutui contractu poſſint quandoque alii tituli, ut ajunt, fortè concurrere, ipſi mutuo extrinſeci, è quibus juſta oriatur cauſa, aliquid, ultra ſortem ex mutua debitam, exigendi, attamen falsò, & temerè affirmari diximus, ejuſmodi titulos ſemper reperiri, ac ubique præſto eſſe, ita ut illorum ratione, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri euiemquo creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram, ſalvamque recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus ſervanda commendavimus* (*quæ in Epiſcopales Synodos utiliter inſeri poterunt*) *ne uſuræ maculâ inficiantur, ſicuti videre eſt* in præfatis noſtris litteris impreſsis tom. 1. noſtrar. Conſtitut., Conſtit. 143., *quas nuperrime Theologico commentario illuſtravit Daniel Concina, Ord. Prædicat. Theologus*.

11. *Quamobrem ſi jampridem aliquot Epiſcopi, inter quos Cardinalis de Camus, Epiſcopus Gratianopolitanus, Cardinalis de Biſſy, tunc Epiſcopus Tullenſis, Jacobus Benignus Boſſuet, Epiſcopus Meldenſis, & Bragadinus Epiſcopus Veronenſis in ſuis edictis, & Paſtoralibus inſtructionibus, præfatam proſcripſerant erroneam opinionem, utpote quam noverant jam à Conciliis, ſummorumque Pontificum Conſtitutionibus prædamnatam, multò magis integrum nunc erit Epiſcopis illam, poſtquam iterum nominatim, & expreſsè eſt ab Apoſtolica Sede reprobata, novis, ſi opus fuerit, Conſtitutionibus, è ſua diœceſi exturbare, eamque temerè diſſeminantes, aut uſu ipſa approbantes ſeveris pœnis coercere*.

12. *Poſt eliminatum Hæreticorum errorem, qui paucarum fraudulentia, etiam in Catholicam rempublicam irrepere cœperat, abs re non erit abiter detegere falſam doctrinam, qua ſunt imbuti Judæi, inter Chriſtianos degentes. Ex illis Deuteronom. verbis* cap. 23.: Non fœnecaberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec frugem, nec quamcumque aliam rem, ſed alieno, *inferunt Hebræi ſibi licere fœnerari Chriſtianis, quas, licet inter eos verſentur, pro alienis habent, & extraneis. Facilè quidem eſſet hanc Judæorum fallaciam retundere, aut dicenda cum Ambroſio* cit. lib. de Tobia cap. 15., *in allegato textu, permiſſum duntaxat fuiſſe Judæis, uſuras exigere ab Amorrhæis, Amaleeitis, aliiſque vicinioribus populis, à quibus Deus dominium abſtulerat rerum omnium, quas poſſidebant, & Judæis contulerat; aut dicendo cum D. Thoma* 2. 2. cit. quæſt. 78. art. 2., *non fuiſſe permiſſum Hebræis uſuras exigere ab extraneis, ſed toleratum, tanquam minus malum, eo pacto, quo, propter duritiam cordis eorum, fuit in illis toleratum uxarum repudium; quod etiam ante Divum Thomam ſenſerat Alexander De Hales* part. 3. quæſt. 86. art. 2., *ubi ait*: Nunquam fuit Judæis licitum fœnerari alieno, ſed permiſſum fuit illis, ſicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis ſui. Peccabant tamen mortaliter fœnerando alieno; ſed permittebatur eis duplici de cauſa, ſcilicet ne facerent pejus, ideſt, ne fœnerarentur fratribus ſuis; & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem: *At quoniam res eſt eum Hebræis, qui Theologorum, & SS. Patrum auctoritatem irrident, nec ullus nobis ſuppetit modus evellendi pravam illam opinionem, quæ in eorumdem mentibus altas egit radices; unum faciendum ſupereſt, nimi-*

rum, ut falsæ illius opinionis uſum, qui in detrimentum cedit, & oppreſſionem pauperum Chriſtianorum, pro viribus impediamus; neque aliter id præſtari poteſt, quàm conſtitutionibus Epiſcoporum, & Chriſtianorum Principum editis, quibus ſevere prohibeantur Judæi Chriſtianorum loca incolentes, ne ratione mutui, quidquam à Chriſtianis extorqueant, & certa ſimul præſcribatur quantitas lucri, ultra quam, nihil impune exigere poſſint ex aliis contractibus, cum Chriſtianis initis.

13. *Primum ſtatutum fuit in Concilio Albienſi anni 1254., edito à Luca Dacherio* tom. 2. ſpicilegii, *in cujus cap.* 19. (pag. 643.) *habetur*: Statuimus, & mandamus, in his, quæ deinceps mutuaverint Judæi Chriſtianis, Chriſtianorum ipſorum ſtetur ſimplici juramento, an quidquam uſurarium ſit in eis; & in eo, quod uſurarium eſſe dixerint, ſic jurati abſolvantur. *Quod decretum renovatum legimus in Concilio Montis Peſſulani, anni* 1258. cap. 5., eod. tom. 2. ſpicilegii. *Alterum edixit Innocentius III.* in Concilio Generali Lateranenſi cap. 67., relat. in cap. Quantò magis, de uſuris, *ubi diſtrictè vetuit, ne Judæi, obtentu cujuslibet contractûs, quem ecteroquin licitè cum Chriſtianis inire queunt, graves, & immoderatas uſuras exigant*: Synodali decreto ſtatuimus, ut ſi de cetero, quòcumque prætextu Judæi à Chriſtianis graves, & immoderatas uſuras extorqueant, Chriſtianorum eis participium ſubtrahatur, donec de immoderato gravamine ſatisfecerint competenter. *Utrumque verò ad compeſcendos faneratores Judæos, in temporali ditione Eccleſiæ commorantes, iterum decernendum conſuluit Marcellus Severolus, facri Conſiſtorii Advocatus, Nobis, dum viveret, ſingularis amicitiæ nexu conjunctus, in ſua elaborata ſuffragio, edito apud Paſſerinum* in cap. Quanquam, 2., poſt num. 84., de uſuris in 6. : *& ne à Synodis recedamus, ita nuperrimè ſtatuit Epiſcopus Piſaurienſis* in ſua Diœceſana Synodo habita anno 1742. tit. 4. num. 17., *cujus exemplum poterunt alii Epiſcopi imitari.*

MISSIONES

IN AMERICA.

PROVINCIÆ NORMANNIÆ.

DUm Provinciæ, Pariſienſis, Turonenſis, & Britanniæ Minoris, zelum ſuum per convolutas in ſemetipſas pelagi tempeſtates, per nauſeantiſque naturæ & mundi Regiones ad partes Aſiæ, Africæ, ac Orientis transferunt, ſeu dilatant, in his contra cultrum Circumciſionis, Idola ſuperſtitionis, & hæreſum ſectarumque hydram perenni ſtudio dimicant, ac gloriam Fidei Romano-Catholicæ multiplici actione virtutis, fructuſque ubertate exaltant, Provincia Normanniæ illum in novo Americæ mundo, ſtrenuè exercet, ac in hujus parte Meridionali ejuſdem Fidei commoda Miſſionariâ facultate quærit, curat, & ampliat. Campum laboris pandunt Inſulæ Antillæ (aliis Camercanæ) quæ à Chriſtophoro Columbo anno 1492. detectæ, juxta Bautrandum tom. 1. Geographiæ verb. Antillæ pag. mihi 67. *Jacent inter continentem Americæ Meridionalis, & partem Orientalem Inſulæ S. Joannis de porto dicitæ*, & quarum triginta ab eodem Bautrando *loc. cit.* recenſentur. Ejectis potiſſimùm, qui priùs illas incoluêre, Caribdis (Guianæ Regionis populo) diverſo jam juri ſubſunt, & diverſæ quoque Religionis exercitium explicant.

In illis, quæ Regi Chriſtianiſſimo obediunt, Capucinus Normannus laborat, ac in illarum quindecim Parochum agit, qui ob diſtantiam Epiſcopi Quebecenſis, in Curia Romana de veritate libellorum ſupplicûm pro diſpenſationibus Matrimonialibus teſtatur, ac expeditas deſuper Bullas exequitur. Harum Miſſionum Præfectus à Sacra Congregatione inſtituitur P. Provincialis Normanniæ pro tempore, qui & illas, vel otio Provinciæ permittente, vel neceſſitate vocante (prout anno præterito à R. P. Carolo Franciſco Rothomago factum eſſe ſcio) inviſit, & aliàs Vice-Præfectum, in Inſula Martinicæ, & Portu Fortalitii Regii reſidentem tenet. Huic eidem Præfecto (ſicut cuilibet aliarum Miſſionum Superiori) ſuper eſu carnium & lacticiniorum tempore jejunii & quadrageſimæ diſpenſandi ſpecialis facultas conceſſa eſt, de qua Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione incipiente *Libentiſſimè quidem*, in ſui Bullatii *tom. 1. pag.* 528. videnda, ita loquitur = *Re ſubinde maturè diſcuſſâ coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis die* 12. *Aprilis anno* 1742. *habitâ ratione Regionis nimis remotæ, à quo quolibet anno impoſſibilis erat ad Sedem Apoſtolicam recurſus, indulgentes neceſſitati fidelium degentium in Inſulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem conceſſimus Præfectis Miſſionum illarum partium, ut in caſu veræ, & ineluctabilis neceſſitatis, & tantùm de anno in annum, præfatâque vera neceſſitate durante, & non aliter, nec alio modo, uti poſſint & valerent cum fidelibus populis ipſorum regiminî commiſſis diſpenſare ſuper eſu ovorum & lacticiniorum, & etiam carnium tempore quadrageſimali, indictâ ſimul cum hujuſmodi diſpenſatione obſervantiâ jejunii per unicam comeſtionem, oneratoque prædictorum*

Præ-

Præfectorum conſcientia ſi adamuſſim juxtra præſcriptum conceſſa facultate uſi non fuiſſent: Eâ hæc Miſſio ſemper claritate & famâ fuſuit, ut ulteriore præconio hîc non indigeat, & alia addi non debeant, quàm præſens illius ſtatus, ut ſequitur:

In Inſula Martinicæ

Portus Fortalitii Regii, ubi quinque morari ſolent Miſſionarii, quorum unus Vice-Præfectum Miſſionum, alius Parochum Europæorum, alius Parochum Captivorum, ſeu Mancipiorum, alius Parochum Militum, & alius Concionatorem pro Dominicis, & Feſtis per annum agit. Parochiæ aliæ ſunt:

Le Lamentin, le Trou au chat, la Riviere Salée, les trois Ilets, les ances d'Arlets, le Diamant, S. Luce, la Riviere Pilote, le Cul de S. Marin, ſac Anne de Saliniers.

In Inſula S. Bartholomæi.
Parochia ſola.

In Inſula S. Chriſtophori.
Parochia ſola

In Inſula Granatæ.
Les Sauteurs, le Marquis, le baſſe Terre.

In Inſula Guadalupiæ.
S. François de la baſſe terre, les Habitans, la Gruyere, le Petit cul de ſac, Hovelbourg, le Port Loüis, l'ance Bertrand, le Mancenitier, le Meule, S. François de la grand terre, S. Anne de la grande terre, le Gozier, les Abyſmes.

In Inſula S. Martini.
Parochia ſola.

In Inſula Teſtudinis.
Parochia ſola.

In Inſula Marigalante.
Parochia ſola.

DECRETO

S. Congregationis Officii Inquiſitionis.

Facultates aliàs Præfecto Miſſionum in America exiſtentium conceſſæ ad Parochiam Inſulæ Marigalantæ cũ poteſtate eas communicandi extenduntur.

Feria 5. die 19. Januarii 1730.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo Domino Noſtro, Domino Benedicto Divinâ Providentiâ Papa XIII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus Dominus Noſter prædictas facultates in formula quarta contentas, aliàs conceſſas P. Præfecto pro tempore Miſſionum Ordinis Capucinorum Provinciæ Normanniæ, & ſignanter P. Joſaphat Cadomenſi moderno earumdem Præfecto pro Miſſionibus externis ipſius Provinciæ in America exiſtentibus, etiam ad Parochiam Inſulæ Marigalantæ pariter in America exiſten. & noviter à Rege Chriſtianiſſimo erectam, ac præfatorum Patrum Capucinorum dictæ Provinciæ Normanniæ curæ commiſſam extendit, cum poteſtate eaſdem communicandi.

Exempl. in Arch. Ordin. Armar. Miſſiones Normanniæ.

P. Superiori Miſſionum Martinicæ, & adjacentium ſub Dominio Regis Chriſtianiſſimi in defectu Miſſionariorum Ordinis aliis Sacerdotibus, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, exhibitâ Ordinariorum approbatione, facultates ſuas intra fines Miſſionis communicandi licentia conceditur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 27. Apr. 1739.

REferente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali ab Alſatia preces Superioris Miſſionum Patrum Capucinorum in Inſula Martinicæ, aliiſque adjacentibus Chriſtianiſſimi Regis Dominio ſubjectis, petentis facultatem utendi in defectum Miſſionariorum ſui Ordinis operâ aliorum Sacerdotum ſive Sæcularium, ſive Regularium in adminiſtratione Sacramentorum, etiam Parochialium, eiſque opportunas ad eumdem effectum facultates communicandi; Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, Oratoris precibus eſſe annuendum ad ſexennium, & intra fines ſuæ Miſſionis dumtaxat, ſi Sanctiſſimo placuerit, cum clauſula tamen, dummodo præfati Sacerdotes exhibeant approbationem ſuorum reſpectivè Ordinariorum ad confeſſiones audiendas.

Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Divinâ providentiâ PP. XII. per R. P. D. Philippum de Montibus Secretarium relatam in audientia habita die 30. ejuſdem menſis, Sanctitas Sua benignè approbavit.

Datum Romæ ex Ædibus præfatæ Sacræ Congregationis die 9. Maji anno, quo ſuprà.

Exempl. in Arch. Ord. Arm. prædicto.

Miſſionariis in Inſulis & locis expreſsis in tertio & quarto Conſanguinitatis & affinitatis gradu quoad futura Matrimonia cum Catholicis natis diſpenſandi facultas conceditur.

Die 17. Octobris 1750.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Dom. Benedictus Divinâ Providentiâ Papa XIV. cui in extraordinaria audientia data R. P. D. Aſſeſſori Sancti Officii, prout ipſe retulit, relata fuerunt vota Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, Patri Carolo Franciſco Rothomagenſi, Ordinis Capucinorum Præfecto Miſſionum dicti Ordinis in Inſulis S. Chriſtophori, Granadæ, in Parochia Inſulæ Marigalantæ, Martinicæ Cajennæ, S. Dominici, Tortuæ, & Guadalupæ, necnon in Inſulis S. Bartholomæi, & Martini Regi Chriſtianiſſimo ſubjectis in America, facultatem conceſſit diſpenſandi in tertio, & quarto gradu conſanguinitatis, & affinitatis quoad futura matrimonia cum Catholicis natis, & in prædictis locis degentibus (legitimis urgentibus cauſis, & pro verè pauperibus) duraturam pro tempore, quo facultates formulæ quartæ conceſſæ eidem P. Carolo, duraverint, & gratis exercendam, ac cum poteſtate eam communicandi Fratribus ſuæ Miſſionis, quâ nullo modo uti poſſint, extra fines ſuæ Præfecturæ.

Excmpl. in Arch. prædicto.

Modernis Miſsionum Præfecto Fr. Carolo Franciſco à Rothomago, ac Vice-Præfecto, Sacramentum Confirmationis, anriquo etiam Chryſmate, ab Epiſcopo tamen Catholico benedicto, in Parochiis ſub cura Fratrum noſtrorum exiſtentibus conferendi facultatem largitur, ad 20. annos duraturam, ſi interea Reſidentiales Antiſtites, aut Vicarii Apoſtolici Epiſcopali charactere inſigniti ibi non conſtituantur, ac ab iiſdem Præfecto, aut Vice-Præfecto, Miſsionariis, ac omnibus Chriſtifidelibus Parochiarum ſuarum Apoſtolicam Benedictionem cum plenariis Indulgentiis conjunctam, Pontificio nomine, ſemel concedi indulget.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

IMmenſa Jeſu Chriſti, cujus ſupremas in terris vices plsnè immerentes gerimus, charitas quemadmodum quidem facit, ut Nos de æterna animarum pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati redemptarum ſalute ſolliciti maximopere lætemur, cum audimus barbaros, infideleſque utriuſque ſexûs homines ab ipſa Europa longiſſimè remotos accipere

Ver-

Verbum Dei, & per Sacrum Regenerationis Lavacrum in Chriſto renatos viam mandatorum Dei currere, ita urget Nos etiam, ut minimè patiamur opportuna Apoſtolicæ providentiæ, auctoritatiſque noſtræ commoda ab ipſis Catholicam Fidem amplexis deſiderari, quibus & ad eamdem Fidem ſtrenuè profitendam, & ad pugnam contra poteſtatem tenebrarum fortiter ſubſtituendam per Spiritûs Sancti plenitudinem Sacramenta Confirmationis collatam magis magiſque roborentur & confirmentur. Quoniam autem dilectus Filius, Carolus Franciſcus à Rothomago Ord. Min. S. Franciſci Capucinorum Frater expreſsè profeſſus, & Provincialis Provinciæ Normanniæ, qui Præfectus Miſſionis in Inſulis Americanis chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Francorum Regi Chriſtianiſſimo ſubjectis, per ejuſdem Ord. FF. Min. Capucinorum Alumnos peragendæ, conſtitutus, ad Miſſionem hujuſmodi viſitandam, illuc profectus, inde munere ſuo laudabiliter perfunctus in Galliam rediit, nuper per Epiſtolam Rothomagi die duodecima menſis Martii proximè elapſi currentis anni ad Nos datam, atque à dilecto pariter Filio, Cherubino de Noves, laudati Ordinis Fratre itidem expreſsè profeſſo, ac Definitore Generali, ejuſdem Miſſionis in hac Alma Urbe noſtra Procuratore Nobis exhibitam ita de ſtatu, conditione, & profectu illius Miſſionis Nos edocuit, ut non leve Pontificio animo noſtro propter perſecutiones adverſus alias Miſſiones in Sinis, Concincina, aliiſque Regnis, & Ditionibus motas exagitato allatum fuerit ſolatium. Nonnulla præterea ſtatuta & ſanctiones, quas pro Miſſione Americana antedicta ipſe Carolus Franciſcus præſcripſerat, eidem Epiſtolæ adligavit, atque inſimul expoſuit, in memoratis nimirum Inſulis Americanis Gallicæ Ditioni ſubjectis, nullum adhuc Antiſtitem conſtitutum eſſe, à quo Neophyti Sacramento Confirmationis hactenus inſigniri potuerint; unde fere omnes Sacro Baptiſmatis Lavacro dumtaxat abluti, aliiſque muniti Sacramentis viam univerſæ carnis ingreſſi ſunt; & deinceps quoque, niſi aliter proviſum fuerit, cæteros Chriſtifideles ſine Sacra Confirmatione de humanis fore exceſſuros non eſt dubitandum: ea propter ſupplices inſuper preces addidit, ut hac in parte de Apoſtolica benignitate & auctoritate, ut infra, providere & indulgere dignaremur. Nos itaque, à quibus Supremo Paſtorum Principi Jeſu Chriſto æterno Judici, ipſius in terris vices gerentibus, graviſſima omnium animarum ſuo ſanguine redemptarum ratio reddenda eſt, ſummas tot populorum anguſtias, ærumnas, ac tantam infelicitatem ex animo commiſerantes, atque eoſdem Miſſionarios, qui ſuam pro lucrandis Fratribus animam ponunt, Apoſtolicis laudibus commendantes, ſupplicationibus ab eodem Carolo Franciſco à Rothomago ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ipſumque Carolum Franciſcum, necnon cæteros inibi Miſſionarios Capucinos amplioribus gratiarum favoribus proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, attentis præſertim præmiſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium modernis, & pro tempore Præfecto & Vice-Præfecto ejuſdem Miſſionis Americanarum Inſularum exiſtenti, ac Præfecti & Vice-Præfecti muneribus durantibus, cum ad viſitandam hujuſmodi Miſſionem acceſſerint, ut Sacramentum Confirmationis Sacro Chriſmate etiam antiquo, ſi novum haberi non poſſit, per Catholicum Antiſtitem gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem benedicto, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus illarum dumtaxat Paræciarum, quæ reperiuntur ſub cura & regimine Fratrum Capucinorum ejuſdem Miſſionis, juxta Ritualis Romani Ritum liberè & licitè conferre & adminiſtrare poſſint, & valeant, eâ tamen lege, ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo præſentes noſtras in forma Brevis litteras acceperint, computandos, tribuimus & impertimur; ut, ſi interea temporis, nempe viginti annorum contingat in iiſdem Inſulis Americanis Gallicæ Ditioni ſubjectis, vel Reſidentiales Antiſtites, vel Apoſtolicos Vicarios Epiſcopali charactere, & auctoritate inſignitos ab eadem Apoſtolica Sede deputari, impertita hujuſmodi facultas nulla ſit, & nullus prorſus roboris ac momenti habeatur; ſecus verò rata, ac firma intelligatur, cum vel Reſidentiales Antiſtites, vel Apoſtolici Vicarii charactere, & auctoritate Epiſcopali inſigniti legitimis, Canonicique impedimentis detenti iiſdem Præfecto, & Vice-Præfecto conceſſerint, ut in iis locis dumtaxat, ad quæ ipſi Antiſtites nullo pacto, ac tempore accedere volucrint, Sacramentum Confirmationis, ne Chriſtifideles eodem deſtitutos ex hac vita migrare contingat, conferre poſſint. Inſuper omnibus & ſingulis ejuſdem Miſſionis Miſſionariis Sacerdotibus Capucinis eamdem conferendi Sacramentum Confirmationis cuilibet Chriſtifideli ſuarum dumtaxat Paræciarum in periculo, vel ar-

ti-

ticulo mortis conſtituto facultatem tribuimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras, &c. ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices &c., ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his &c. Non obſtantibus Apoſtolicis &c. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis &c. adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Cæterùm cœleſtis præſidii auſpicem ipſi Carolo Franciſco Præfecto, cæteriſque Miſſionariis illarum Inſularum Apoſtolicam Benedictionem, quam cum plenariis Indulgentiis, peccatorum Remiſſionibus, pœnarumq; relaxationibus conjunctam ab ipſis dumtaxat Præfecto, & Vice-Præfecto ſemel Chriſtifidelibus ſuarum Paræciarum in unum in diverſis licèt locis convenientibus noſtro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Aprilis MDCCLII. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. in Arch. Ord. Arm. prædicto.

Ejuſdem Fr. Caroli Franciſci zelum laudibus effert, illum ad hunc continuandum animat, ac petitam Sacramentum Confirmationis adminiſtrandi facultatem, per Apoſtolicas litteras conceſſam eſſe nuntiat.

Dilecto Filio, Carolo Franciſco à Rothomago, Ordinis S. Franciſci Minorum Capucinorum Fratri expreſsè profeſſo, & Provinciæ Normanniæ Ordinis hujuſmodi Provinciali.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dilectus Filius, Cherubinus à Noves, Ordinis tui Minorum Capucinorum Frater expreſsè profeſſus, ac Diffinitor Generalis, & Miſſionis Inſularum Americanarum Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Francorum Regi Chriſtianiſſimo ſubjectarum, cui tu, dilecte Fili, magna cum nominis tui laude, & ejuſdem Miſſionis utilitate Præfectus exiſtis, in hac Alma Urbe noſtra Procurator, de eodem Ordine benemeritus, Nobis gratus & acceptus, ad Nos detulit Epiſtolam, quam Tu Rothomagi die duodecima menſis Martii proximè elapſi currentis anni ad Nos dederas. Quam propenſa verò, ſtudioſaque voluntate exceperimus demiſſas preces eidem Epiſtolæ conſignatas, ex aliis noſtris in ſimili forma Brevis litteris, ac ipſa die ad futuram rei memoriam datis, facilè intelliges. Nobis ſanè, qui in ſublimi hac Sacroſancti Apoſtolatûs ſpecula planè immerentes per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam conſtituti ſumus, nihil accidit gratius, & jucundius, quàm cum ſupremas Apoſtolici Miniſterii partes, quoad Nobis integrum eſt, ad majorem Divini honoris cultum, & æternam Chriſtifidelium ſalutem impendimus, & collocamus. Perge porro, dilecte Fili, & dilectos Filios Miſſionarios earumdem Inſularum Fratres tuos confirma; atque invicem ſatagite, ut opus Dei, ſalutem ſcilicet animarum, tanto cum animi ardore ſuſceptum, tantaque cum laborum patientia continuatum, ſalutari cum profectu, ſemper ad majorem Divini Nominis gloriam, majorem laborum remunerationem Vobis à Supremo Paſtorum Principe, Jeſu Chriſto, juſto Judice reddendam, & majorem Catholicæ Eccleſiæ conſolationem magis magiſque perficiatur. Nos interim ad optatiſſimi ſucceſsûs auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Tibi, dilecte Fili, atque omnibus Miſſionariis peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Aprilis MDCCLII. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. in Arch. prædicto.

NOTA

Litteræ hæ in forma Brevis vocant alias, & prævias ejuſdem Patris Provincialis ad Summum Pontificem datas, quas ita ſubjungo:

BEA-

BEATISSIME PATER.

Cogitanti mihi ſæpenumero, quanta, & quàm indefeſſa ſolertique ſollicitudine Petri Navem regat Sanctitas Veſtra, Chriſtique Gregem ad extremas uſque Orbis, quantus eſt, oras diffuſum per ſe, ac per Operarios ſuos paſcere, ut decet, paternis affectibus apprimè ſtudeat, ſubit in mentem non injucundum ſibi fore, ſi de Miſſionum portione, cui invigilare mihi, licet indigno, commiſit, quid rerum enarrarem. Ut me in Provincialem concordibus noſtrorum votis aſſumptum vidi, nec non à Sanctitate Veſtra Præfectum Miſſionis in inſulis Americanis Ditioni Gallicæ ſubditis inſtitutum: ex hoc inivi, Deo aſpirante, conſilium, per memetipſum viſitandi omnes tum Miſſionarios noſtros, tum Paræcias ab illis directas; Nec aequievi, donec conceptum opus, quod hactenus à Dec efforibui meis fuerat intentatum, felicibus ſanè auſpiciis, & optulante Domino Rovillé, Regio rerum Navalium Adminiſtro revera complevi ſſem. Nec me mea navigatio, & peragratio inanem ſolatii dimiſere. Veni, vidi, auſim & addere: vici. Ingenti animi cum gaudio vidi Miſſionarios noſtros zelo Domûs Dei æſtuantes & plenos, & quidquid Apoſtolici eſt muneris, adimplere pro virili ſatagentes: in docendo fedulos, in adminiſtrandis Sacramentis tam infirmis; quàm ſanis vigiles, Divina Divinè perſolventes, pietate fua reverentiam & pavorem erga ſanctiſſima Religionis noſtræ myſteria in animis tum veterum Fidelium, tum Neophytorum cientes; verbo dicam, teſtimonium bonum, ab omnibus, qui forſi ſunt, habentes. Irrepſerant equidem, non diffiteor, longo temporum lapſu (primi enim omnium ad has Inſulas Capucini lucem Evangelicam invexerunt) harum plagarum, & colonorum indole, ac demum fragilitate humana abuſus quidam, quos nullo negotio, ſed Miſſionarii, charifmata meliora æmulantibus, planè vici, ac Deo dante eliminavi. Qui ne renaſcantur impoſterum, ſtatuta ac ſanctiones divino, uti confido, aſtante ſpiritu condidi, ac typis mandari curavi, quibus muniti ſinguli Miſſionarii præoculis, quæ agenda, quæ cavenda, ſemper habeant. Et hæc eadem ſtatuta efficaceem fortituva ſemper effectum ex eo eſt augurari, quod nullum Miſſionarium in illis acceptandis invenerim reluctantem, aut frigidum. Horum tenorem ſi dignabitur Sanct. Veſtra perluſtrare, R. P. Cherubinus Ord. noſtri Definitor Generalis, Miſſionumque Procurator Romæ commorans, exemplar mox exhibebit. Aſt hîc liceat mihi, Beatiſſime Pater, exponere Sanctitati Veſtræ, hunc Chriſtiani Orbis tractum (quod forte ipſa ignorat) magno ad perfectionem chriſtianam ſubſidio privari, Confirmationis videlicet Sacramento, quod licet abſolutè ad ſalutem non ſit neceſſarium, Chriſto tamen & Eccleſiæ non inane quoddam viſum eſt. Congruentiſſimum enim verò & prope neceſſarium catholica tenemus fide, ut, qui Baptiſmatis tinctione renati Eccleſiæ adſeruntur, Chriſmatis unctione corroborentur, adoleſcant, & ſolidentur; præſertim, ubi tot ac tanta ſunt nutandi in fide ac deſeiendi occaſiones, quemadmodum in illis plagis frequentes occurrunt, tam ob imbecillitatem ingeniorum, quàm varietatem nationum, & maximè cum Infidelibus commercium ac convictum. Hoc ab his illarum plagarum incolis deſiderabitur ſemper remedium, niſi Sanctitas ipſamet Veſtra id præfiet, & adhibeat. Epiſcopum, qui ſolus eſt Ordinarie Sacramenti Confirmationis Miniſter, ibi ereari conſtitutio regiminis politici in ea parte Ditionis Gallicæ non patitur, nec vel etiam Epiſcopum exterum ibidem munia Epiſcopalia tranſeundo exercere, (quod non ſemel jam tentatum incaſſum fuerat). Eam igitur ob rem ſalutari hoc beneficio privo abuntur ſemper Regionum illarum incolæ, ni Sanctitas Veſtra dignatione miſericordi ac ſpeciali privilegio indigenam Miſſionarium in extraordinarium ad hoc provideat, atque inſtituat Miniſtrum, Præfectum nempe, aut, ſi huc ſe conferre is nequiret, Miſſionis ibi commorantem Vice-Præfectum. Ad hæc audire mihi videor, Beatiſſime Pater, Sanctitatem Veſtram reponentem: Fili, non eſt commune, quod optas. At ſi quid imprudens auſu temerario dixerim, benignè ignoſcat mihi, liceatque cum Chriſto dicere: Ego autem non quero glorlam meam; & cum Divo Paulo: Sed gloria Dei, ut gloriſicetur filius Dei; cujus Tu, Beatiſſime Pater, es tam dignus Vicarius, & quem ſpeciali in Nos miſeratione, ac providentia dedit Paſtorem Eccleſiæ ſuæ, Epiſcopumque animarum noſtrarum conſtituit. Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex difficillimis hiſce temporibus, qualem Te Orbis univerſus non chriſtianus modò, ſedet politicus, & litteratus jure ac meritò mirabundus ſuſpicit, ac prædicat. Tu Leones, & Gregorios Magnos vigilantia, zelo, doctrina, ſanctitate preſſo ſequeris veſtigio; Tu varias inter ac turbulentas Principum diſſenſiones Pater æquus adeo à partium ſtudiis abſtinuiſti, ut favoris ſcopulos, in quos non impegerant pauci, mira dexteritate declinaveris, ſicque omnibus omnia factus, omnibus fueris acceptiſſimus. Tu rem litterariam ingenii tui ſacibus auxiſti, exquiſitiſſimiſque lucubrationibus de rebus hactenus, aut intentatis aut vix deguſtatis locupleteſti: quæ, utinam ad tenuitatem uſque noſtram perveniſſent, aut tandem aliquando perveniren t! quò majori eam ea fama prægeonio extollit, eò majorem earum in nobis ciet, & acuit eſuriem. Faxit Deus Optimus Maximus, qui attingit à ſine uſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, ut ad elavum

Ee-

Eccleſiæ ſuæ, cujus Sanctitatem Veſtram, decus ſplendidiſsimum ac firmiſsimum columen miſericordi in nos dilectione poſuit, quàm dutiſsime fedeas; votiſque annuat omnium Chriſti fidelium, totiuſque in primis Capucinorum humilis familiæ, cum qua ad Sanctitatis Veſtræ pedes, quos devotiſsimè oſculor, provolutus, ut Apoſtolicam Benedictionem mihi impertiri benignè dignetur, ſupplex exoro.

Beatiſsime Pater.

Sanctitatis Veſtræ.

Rothomagi die 12. menſis Martii Anni 1752.

Humillimus obſequentiſsimuſque ſervus ac devotiſsimus in Chriſto filius.
F. Carolus Franciſcus à Rothomago, Provinc. Capucinor. Prov. Normanniæ (l. 3.)

Exemplar cum aliis Miſſionis Documentis in Arch. præd.

MISSIO

LUDOVISIANA, SEU MESSISIPPIANA PROVINCIÆ CAMPANIENSIS.

IN AMERICA OCCIDENTALI.

FErtur & ſpiritus evangelizans noſtræ Provinciæ Campaniæ ſuper aquas, & poſt exactas ultra 2000. leucas in eadem, de qua ſuprà dictum eſt, America Occidentali, ad Fluvium Meſſiſippium, jam S. Ludovici appellatum, laborioſa quieſcit, ut in hanc novæ Franciæ partem veterem inducat fidem, ac fidem veterem novis ibi adornet moribus. Tempore, quo Gallia haſce detexit plagas, ſuæque ſubjecit ditioni, invènit quidem eas rore coeli, pinguedine terræ, & clementiâ aëris benedictas, & inſimul quoque in iis populum ſuperſtitioſo Solis & Lunæ cultui deditum, fabulâ metempſychoſeos faſcinatum, ac eouſque barbarum vidit, ut in pluribus locis carnis humanæ eſu luxuriaretur. Nihil inde ſanctiùs judicavit, quàm, ut terra à natura felix, ſpinis carduiſque infidelitatis per Viros induſtriâ, doctrinâ, & virtute prædítos purgaretur, Catholicæ Religionis trophæa erigerentur, ac ii, qui creationis beneficio fruerentur, *ſocii radicis, & pinguedinis olivæ*, ſeu Redemptionis humanæ fierent. Elegit Regia Indiarum Societas, cui gubernaculum Provinciæ hujus demandatum eſt, Provinciæ Campaniæ Capucinos per Diploma ſequens:

Cum Societas Indiarum repræſentari fecerit Decreta per Commiſſarios Conſilii à Rege ad jus regium ſeu regaliam negotiorum Societatis Indiarum deputati, 16. & 19. Decemb. 1722. emanata, fundationem PP. Capucinorum Provinciæ Campaniæ in Ludoviſiana, ſeu novâ Francia concernentia, vigore quorum expenitur, quod hi Religioſi ſub auctoritate Epiſcopi Quebecenſis omnes Parochias & Miſſiones in omnibus locis per dictæ coloniæ Concilium iis intimandis ab ore fluvii S. Ludovici in aſcenſum, ac etiam in complexu fluminis Oyabache, ſicut etiam in omnibus aliis locis juxta Ludoviſianam & flumina in mare cadentia occupatis, ſint adminiſtraturi, & per quæ ordinatur, quod expenſis dictæ Societatis tum in nova Aureliana, tum in Civitate Mobili *Eccleſia Parochialis cum Domo adjuncta pro 4. Religioſis eſſet conſtruenda, petium terræ pro horto, & area ſufficiem eſſet aſſignandum, quatenus prædicti PP. Capucini in poſſeſſionem poſſent induci, quibus pariter in aliis Coloniæ locis, in quibus eſſent collocandi, habitatio, ac omnia pro Divino cultu neceſſaria, forent ſubminiſtranda. Cumque eadem Decreta id, quod pro cujuslibet Religioſi ſuſtentatione in dictis locis à Societate erogari debeat, ſtabiliant, & Societas fundationem prædictorum PP. Capucinorum incremento Divini cultûs, populique in enuntiata Colonia exiſtentis ſaluti proficuam recognoverit, ita, ut rem magni ponderis eſſe judicet, illos in eſtatu collocandi, quatenus illo ſucceſſu, qui de eorum zelo expectari debet, laborent, ac à ſe melius ági non poſſe credat, quàm ut loca ſpirituali eorum curæ commiſſa ad terminos minus extenſos, ac Religioſorum ibi applicandorum numero proportionatos reducat.*

Atten-

Attentis proin hiſce cauſis Societas prædicta virtute litterarum patentium à Regia Sua Majeſtate menſe Aprilis 1717. datarum declarat & ſtatuit, ut omnes Parochiæ ac Miſſiones, quæ in Ludoviſiana, ac in tota extenſione dictæ Regionis, & à Flavio S. Ludovici aſque Natchez incluſivè, & ad flumina, quæ infra Natchez in dictum flaviam cadunt, & ad omnia alia, quæ mare intrant, inſtitutæ ſunt, aut inſtituentur, ſub auctoritate Epiſcopi Quebecenſis, vel illius Coadjutoris, à Capucinis Provinciæ Campaniæ occupentur & adminiſtrentur, quia alius Religioſus, aut Presbyter Secularis abſque illorum conſenſu ibi ſtabiliri poſſit, ſub conditione tamen ſupplendi per eos, omnes illos Sacerdotes, ab iis, vel pro Parochiis, vel pro Miſſionibus petitos, quos in hac Regione ſtabiliri conſultum duxerit.

Vult inſuper Societas prædicta, ut PP. Capucini in poſſeſſionem Eccleſiarum, Presbyteriorum & Capellarum pro Miſſionibus in memorata Regionis extenſione conditarum, & condendarum inducantur, iiſque gaudeant abſque ullo impedimento aut moleſtia, juxta conſiſtentiæ & limitationis dicturum Eccleſiarum & Presbyteriorum proceſſus verbales, à Concilio ſuperiore Ludoviſianæ, à tempore captæ poſſeſſionis inſtituendos, at in dicto Concilio regiſtrandos. Addit & Societas, quod cuilibet Presbyterio terrenum pro area & horto congruum juxgatur, & in nova Aureliana juxta Parosbiam Conventus ſat amplus, tum pro Religioſis, qui ibi ſubſiſtere debeat, tum pro aliis, qui ibi advenient, conſtruatur, complectens atrium & hortum magnitudinis ſufficientis, quo Capucini juxta proceſſus verbales formandos, uti ſupra dictum eſt, gaudeant.

Confirmat itidem Societas, quantùm opus eſt, ea omnia, quæ in decretis Commiſſariorum Concilii ſub 16. Maji, & 19. Decembris 1722. continentur, & quibus per præſentes nus eſt derogatum, valent, ut dictorum Religioſorum ſubſiſtentiæ, prout in dictis Decretis explicatur, provideatur, ſi deſuper aliter cum Societate convenire non maluerit. Mandat denique Societas Concilio ſuperiori Ludoviſianæ, ac Concilio Regiæ Generalis dictæ Coloniæ præſentes in acta referri, & à quolibet eorum executioni manum apponi, cum ita ſit intentio. In quorum fidem &c. Pariſiis in dictæ Societatis Prætorio 27. Junii 1725.

Tum expeditiùs, tum feliciùs ut hoc ſuo officio Capucini fungantur, ipſa Regia Societas illos ære ſuo potiſſimùm alit, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ſolitis & convenientibus facultatibus per ſuos pro tempore PP. Provinciales munit, & Rex Chriſtianiſſimus brachii ſui potentiâ tutatur vigore litterarum Auguſtalium ita ſonantium.

Hodie 15. menſis Julii 1725. cum Reu oſſet Chantilliaci, Suæ Majeſtati pro parte Patrum Capucinorum Provinciæ Campaniæ, vigore Decretorum Concilii à Majeſtate Sua pro Regia negotiorum Societate Indiarum ſub 16. Maji, & 19. Decembris 1722. deputati, in nova Ludoviſiana ſtabilitorum fuit præſentatum, quod, cum dicti Patres Capucini ſub auctoritate Epiſcopi Quebecenſis omni poſſibili conata ſe impenderint non ſolùm ad convertendos ſylveſtres, qui cognitione Dei, & legis Evangelicæ nondum ſint illuminati, verùm etiam ad functiones Parochiales, quæ eis incumbunt, exactè adimplendas, necnon ad Chriſtianos omnes tum exemplo, tum opere ad ſervanda Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ munera excitandos omni ſtudio ſe impendant, à Suæ Majeſtatis clementia eandem protectionem, quam omnibus aliis eiſdem exercitiis fungentibus impertitur, exſpectent. Hinc & Majeſtati Suæ humillimè ſupplicant, quatenus in pignus, quod illorum Miſſio Eidem ſit accepta, eorum inſtitutionem in Provincia Ludoviſianæ approbare dignetur. Ad quæ Majeſtas Sua ſpecialiter attendens, & ad incrementum gloriæ Dei contribuere cupiens, acceptationem conditionum ipſis à Societate Indiarum pro eorum in Regione Ludoviſiana inſtitutione præſcriptarum approbavit: eſtque Majeſtatis Suæ voluntas, ut omnibus iis, quæ à dicta Societate juxta pacta, vel eam inter & Patres Capucinos, facta, vel facienda promiſſa ſunt, abſque ullo moleſtia gaudeant. Hinc eos in ſuam recepit & recipit protectionem ac tutelam, & pro ſuæ voluntatis cujuſcumque præſens Diploma proprio ſua manu ſignatum expediri juſſit.

Ludovicus.

Fructum hucuſque collectum, necnon & laborem facilè metietur Lector ex numero Familiarum Catholicarum ibi inductis, ex relatione Miſſionis Romam à Patre Carolo à Rembervillers Superiore miſſa excerpto, ac annotato in ſtatu Miſſionis præſentaneo, qui ſequens eſt:

Aureliana nova, vulgò nouvell' Orleans; Civitas & locus Superioratûs, *Familiæ Catholicæ* —— 600.

Parochia *la Mobile*, *Familiæ Cath.* —— 60.
Parochia *les Appalages*, *Familiæ Cath.* —— 30.
Parochia *la Balize*, *Familiæ Cath.* —— 6.
Parochia, *les Allemands*, in qua Germani potiſſimùm morantur, *Familiæ Cath.* — 200.
Parochia *la Pointe coupée*, *Familiæ Cath.* —— 100.
Parochia *les Natchez*, *Familiæ Cath.* —— 6.
Parochia *les Natchitoches*, *Familiæ Cath.* —— 50.

Sunt & aliæ tres Parochiæ, in quarum qualibet, ſicut in recenſitis, Capucinus Parochus degit, & quarum nomina à me ignorantur.

MISSIONES

GALLICARUM PROVINCIARUM DERELICTÆ.

Miſſio Angliæ, & Scotiæ.

Miſsio Fratrum Capucinorum in majorem Britanniam, omneſque ejus Inſulas Pontificio oraculo confirmatur, eidem privilegia aliorum Ordinum Religioſorum communicantur, & aliàs quoad præcepta Regulæ &c. Miſsionariis providetur.

PAulus, Divina Providentia Quintus, Pontifex Maximus, præſente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Barberino Protectore Scotiæ, & Vice-Protectore Hiberniæ, Miſſionem Patrum Capucinorum S. Franciſci Aſſiſiatis in Majorem Britanniam, & omnes ejus Inſulas, quæ ad Angliam, Scotiam & Hiberniam reduci communiter ſolent, amplecti viſceribus Apoſtolicis, ad majorem Dei gloriam, & ſalutem periclitantium dignatus eſt. Necnon ejus propagandæ ſtudio (ne quid eis à neceſſariis deeſſe poſſet) vivæ vocis oraculo largiri placuit Suæ Sanctitati omnimodam communicationem cum privilegiis & facultatibus univerſis cum Ordine D. Benedicti, S. Franciſci, Dominici, Societatis Jeſu, aliiſque Religioſis quibuslibet, aut Seminariorum Alumnis, qui ſunt, vel erunt poſthac in partibus illis.

Iuſuper quoad præcepta Regulæ in Habitu, cæteriſque obſervantiis, ut, quando neceſſarium eſt judicio prudentis Viri, ac timoratæ conſcientiæ, liceat eis prætermittere illa ſimiliter, quando in partibus illis commorabuntur: demum gratiis, favoribus, ac privilegiis à Sede Apoſtolica datis generatim aut ſpeciatim Ordini ſuo, prout in uſu, probataque ſunt, frui, quoties erit opus. Unde Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dom. Cardinalis Præfectus ad faciendam hujus rei fidem, præſentibus manum, ſigillumque ſuum apponere dignatus eſt, hâc die 29. Maji Anno Domini 1618.

Cardinalis Barberinus.

Ex Volumine 6. Anglicana &c. *in Archivo S. Officii fol.* 248.

NOTA

QUantùm à funeſta epocha impuri amoris, quo Henricus nominis hujus octavus novam illam Herodiadem, Annam videlicet Bolenam, deperierat, Religio Catholica in Magna Britannia olim non minus cœleſtibus excubiis munitâ, ac acerrimâ Evangelici Sanctuarii vindice, fuerit agitata, & quàm pernicioſa idem Henricus mutato *Defenſoris Eccleſiæ* titulo in crudelis inimici nomen, ſui ad plures annos protracti furoris exempla in Filio ſuo impube Eduardo, ac ſpeciatim in Eliſabetha, ejus ex Bolena Filia, quæ juxta Cambden. ad annum 1579. pag. 27. *Caput Anglicanæ Eccleſiæ Orbe Chriſtiano mirante* ſe conſtituit, reliquerit, non ſolùm memorant Hiſtoriographi Proteſtantes Joan. Stow. *in præfat. Chron.* Spelman. *in dedicat. ad Concil. Maliſburg. lib. 3. de geſtis Regum pag.* 101. *in Wilhelmo* 1. Smith lib. 2. cap. 7. Brunet. in præfat. & lib. 3. fol. 213. & 242. &c. ſed etiam dolentes recenſent Laderchius *Annal. Eccleſ. ad annum* 1570. Sanderus *de Schiſmate Anglic.* lib. 3. fol. 420. P. Bartholus *hiſt. Anglic. fol.* 1. *& ſeq.* Boſſuet *hiſtoire des variations des Egliſes Proteſ-*

teſtantes lib. 7. §. 16. pag. 326. & tot alii Scriptores Catholici, ut ipſa horum copia me ab onere infandum dolorem renovandi diſpenſet.

Vix autem fidei Catholicæ Luciſer in primo naſcentis Eccleſiæ manè ortus, ſuperinducto Socinianæ, Quackeræ, Puritanæ &c. Sectarum peplo obfuſcatus comparuit, Sacra Romana Sedes ad primævum Religionis ſplendorem reſtituendum, Apoſtolicos eò ablegavit Viros. Partem horum conſtituerunt & Capucini, qui & illo ibi laborârunt zelo, ut Paulus V. eorum Miſſionem ſuprà poſita privilegiorum communicatione honeſtaret. Geſta Miſſionis ab anno 1630. uſque ad annum 1658. Pariſienſi prælo ſubjecit Fr. Cyprianus Gammachius, Provinciæ Pariſienſis Alumnus, Henricæ Magnæ Britanniæ Reginæ Sacrarii Præfectus, ac Filiæ ejus, Principis Aurelianenſis Confeſſarius, ac Miſſionarius; conſcripſit & Fr. Nicolaus Asboldus Hibernus in tomis duobus Latino idiomate ejuſdem Miſſionis Annales, & uterque magna ſerie commendat conſtantem noſtrorum Miſſionariorum animum, dum alii carceribus mancipati, alii è Regno exulare juſſi, alii verberibus excepti, alii alio malitiæ tormento, aut paſſionis ingenio fuerunt vexati. Reſtrinxit jam à tempore noſtra Religio Evangelicum laborem, huncque potiſſimum in Hiberniam tranſtulit, uti *tom. 5. Bull. pag.* 271. legere eſt, ubi & plura alia Miſſionis Documenta extenſa reperiuntur.

Fr. Archangelum Leslæum Scotum de impictis calumniis vindicatum in Scotiam ad Miſsionem remitti indulgetur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitę die 12. Aprilis 1631.

REferente Reverendiſſimo Dom. Tornielli litteras P. Leonardi Pariſienſis Capucini, Præfecti Miſſionis Orientis & Angliæ, atteſtationeſque ab eo miſſas pro juſtificatione P. Archangeli Capucini Miſſionarii in Scotiam, & ſimul alias atteſtationes diverſorum Catholicorum Scotiæ, qui non ſolùm teſtimonium perhibent luculentiſſimum de vita exemplari dicti P. Archangeli, ac de illius diligentiis ac ſtudiis in confutandis hæreticorum deliriis per libros publicè editos, iiſque convertendis, ita ut ipſe ſolus plus apud ipſos profecerit, quàm cæteri Religioſi Miſſionarii, ſed etiam magnâ inſtantiâ petunt, ut dictus Pater ad ſuam remittatur Miſſionem in Scotiam. Sacra Congregatio auditis juſtificationibus ac atteſtationibus præfatis cenſuit remittendum eſſe hujuſmodi negotium Reverendiſſimo P. Vicario Generali Capucinorum, ut viſis juſtificationibus, ac atteſtationibus prædictis circa præfati Patris remiſſionem in Scotia pro ſuo arbitrio decernat.

Exempl. in Arch. Ordinis.

NOTA

PRodigioſam, & virtute illuſtrem Fr. Archangeli prædicti vitam deſcripſit, primus Joan. Baptiſta Rinuccinus, Epiſcopus Firmanus, quæ poſtmodum à P. Chriſtophoro de Almeida Auguſtiniano, Regis Portugalliæ Concionatore, notitiis à Patre Didaco Gomez Carneiro collectis adaucta in editione Brixienſi anni 1736. memoratur. Hanc verò ad ſynopſin reduxit noviſſimè P. Bernardus Bononienſis *in Bibliot. ſcript. Ordinis fol.* 28. *& ſeq.* ad confutandos illos, qui eandem vitam ob mirabiles caſus levi judicio ceu mendacem ſparſerunt.

Miſsionariis Scotiæ nonnullæ facultates ab iis petitæ conceduntur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitę die 30. *Januar.* 1634. *coram Sanctiſſimo.*

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali S. Honuphrii inſtantiam Fratrũ Capucinorum Miſſionis Scotiæ pro infraſcriptis facultatibus, videlicet: Primò, conſecrandi calices, & patenas. Secundò, utendi habitu ſæculari, etiam in itinere. Tertiò, habendi famulum & equum. Quartò, retinendi, & utendi pecunia, ubi aliter fieri non poterit = Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, præter primam conſecrandi calices & patenas, reliquas facultates Oratoribus concedendas eſſe in Scotia, ubi eſt prohibitum exercitium Catholicæ Religionis tam publicum, quàm ſecretum.

Eodem die SS. D. N. ſententiam Sacræ Congregationis probavit, ſi aliàs hujuſmodi facultates Capucinis conceſſæ fuerint.

Exempl. in Arch. Ord.

FF. Richardo & Anſelmo Anglis de Miſſione Scotiæ in Angliam cum facultatibus Miſſionariis ſe transferendi facultas datur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide die 30. Januarii 1634. coram Sanctiſſimo.

REferente Eminentiſs. Domino Cardinali S. Honufrii inſtantiam FF. Capucinorum Richardi & Anſelmi Anglorum, ad Miſſionem Scotiæ deſtinatorum pro licentia transferendi ſe à Scotia in Angliam, cum commodè potuerint, ad procurandam ſuorum Conſanguineorum & Affinium hæreticorum converſionem, & pro uſu facultatum eis pro Scotia conceſſarum in prædictorum ſuorum Propinquorum & Affinium, & aliorum hæreticorum, qui voluerint Fidem Catholicam amplecti, beneficium, Sac. Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, Oratorum petitioni eſſe annuendum.

Eodem die SS. D. N. Decretum Sac. Congregationis approbavit.

Exempl. in Arch. prad.

Miſſio Veteris Guineæ in Africa.

Fr. Angelicus Nannetenſis cum tribus Sociis in veterem Guineam Miſſionarius ablegatur.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Urbanus, Divina Providentia Papa VIII. omnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te Fratrem Angelicum Nannetenſem Capucinum cum tribus ſociis ejuſdem Ordinis in veterem Guineam Africæ mittere decrevit, & mittit, ut cum facultatibus Vobis per alias litteras concedendis, Evangelium Domini Jeſu Chriſti annuntietis, & gentes illas doceatis ſervare, quæcunque S. Mater Eccleſia Catholica, & Apoſtolica Romana præcipit, & præſertim, ut judicium univerſale futurum eiſdem conteſtemini. Vos itaque *reſiduum vide ſupra fol. 194. c. 2.*

Datum Romæ ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 21. Nov. 1634. Pontificatûs ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris anno duodecimo.

Regiſt. in Regeſto Patent. S. Congregationis menſis & anni prad.

Fr. Franciſcus Mervillenſis, Præfectus Miſſionum in Americæ Provinciis Guineæ antiquæ, & Tartariæ Majoris declaratur.

Decretum Sac. Congreg. Generalis de Propaganda Fide habitæ die 17. Julii 1662.

REferente Eminentiſs. D. Card. Sfortia, Sac. Congregatio Præfectum Miſſionum FF. Capucinorum in Provinciis Americæ, Tartariæ Majoris, & Guineæ antiquæ, Provinciæ Normanniæ ejuſdem Ordinis ad quinquennium declaravit Fr. Franciſcum Mervillenſem ejuſdem Ordinis cum authoritate ea, quæ ad Miſſionis regimen pertinent, ad præſcriptum Decretorum Sac. Congregationis & facultatum eidem conceſſarum exercendi, & non aliàs &c.

Extract. ex Reg. Patent. S. Congreg. ab anno 1657. uſque ad annum 1667. f. 33.

Miſſio Civitatis Neo-Cæſareæ Ponti.

Novam Miſsionem in Civitate Neocæſareæ Ponti erigi, & à Provincia Lugdunenſi adminiſtrari conceditur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 28. Martii 1651.

PRoponente Eminentiſs. Domino Cardinali Spada libellum ſupplicem Patris Procuratoris Generalis Capucinorum petentis facultatem erigendi novam Miſſionem ſui Ordinis Religioſorum ex Provincia Lugduni in Civitate Neocæſareæ Ponti, occaſione, quod una Pia Perſona centum ſcuta annua ſua vita durante pro manutentione dictæ Miſſionis impendere promittit, cum conditione, quod Sacra Congregatio alia ſcuta viginti annua contribuat. Sanctiſſimus Dominus Noſter pietatem, & zelum præfatæ Piæ Perſonæ ſibi jam notæ laudando Miſſionem petitam, dixit eſſe inſtituendam ſub directione Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quæ ſcuta viginti annua pro ſubſtentatione Miſſionariorum impendere debeat, & pro facultatibus &c.

Extract. ex actis S. Congregationis de anno 1651. p. 30. n. 4.

MIS-

MISSIONES
PROVINCIARUM HISPANIÆ

MISSIO NIGRITIÆ
IN AFRICA ULTRA MARE.

MIrantes noſtræ Provinciæ Bæticæ Fratres effuſum gaudium, quo anno 1644. Fr. Bonaventura ab Aleſſano, ſuprà *pag.* 194. memoratus cum Sociis ſuis ad Miſſionem Regni Congi properaverat, & pari quidem zelo incenſi, ſe tamen illi ſociari haud poſſe quaſi indignantes, alium colligendæ Evangelicæ meſſis campum ſibi aperiri per Provinciæ Superiores inſtârunt. Libenter Sac. Cougregatio de Propaganda Fide conſenſit, iiſque excolendam aſſignavit Regionem Nigritarum in Africa ultra mare juxta fluvium Nigrum ſeu *Nigrim* ab ortu in occaſum extenſam, à Septentrione, Saaræ Deſerto, à Meridie, Regione Guineæ, & ab Occidente, Oceano Atlantico terminatam, & eouſque vaſtam, ut Bautrandus in ſua Geographia *tom.* 2. *verb. Nigritia* Regna 14., Martiniere in Dictionario geographico in diviſione Africæ *tom.* 1. *pag. mihi* 116. octodecim, & Jovet in *hiſt. Relig. tom.* 2. *pag. mihi* 397. *edit. Ital.* viginti quinque in illa numeret, Europæis vix nomine nota. Adorârunt hæc olim Deum *Guigbimo* appellatum, quod in vernacula eorum lingua Dominum Cœli ſignificat: ſucceſſu autem temporis, hebraicam ſuſcepêre legem, Mahometis ſectâ, & idolatrico cultu poſtmodum contaminatam, ita, ut, ſi qui Chriſtiani ibi reperirentur, non niſi inane gererent nomen. Ita jam ibi juxta dictum Jovet *loc. cit.* Religio confuſa viget, ut quodlibet Regnum in illius ſubſtantia & ceremoniis variet, & Idolatria Principem ibi habeat locum.

Actis proin tum Romæ, tum in Provincia agendis, habitoque à Rege Hiſpaniarum ſuæ protectionis verbo, & accepto 800. Ducatorum ſubſidio, ac aſſignata pro quolibet 12. Religioſorum rata ad ſex menſes portione, Miſſionarii in Luciferi Fani Conventu convenerunt, ex quo ſub maximo populi concurſu, ac etiam præſente Excellentiſſimo Domino Duce de Medina Cœli ad maris littus, ubi concio ad populum habebatur, proceſſionaliter ducti, 7. Decemb. 1646. conſcenſâ nave, viam maris, & Miſſionis ingreſſi ſunt. Poſt diverſum maris luſum attigêre tandem 24. Decembris prædicti anni portum Nigritiæ *Ale* dictum, ab Inſula Gæriæ parum diſſitum, ubi, cum Miſſionis fundamenta jacere jam in navi concluſum fuiſſet, P. Franciſcus de Ballecas, Seraphinus de Leon, Didacus de Guadalcanal cum Fr. Ildephonſo de Velez ad conſumationem operis ibi relicti ſunt, navi cum aliis curſum ſuum uſque ad notiſſimi in Africa fluminis Gambiæ portum *Bara* vocitatum proſequente, ubi & illi in nomine Domini ſiſtere ſtatuerunt.

In utroque loco à Catholicis, qui ibi vel commercii vel tranſitûs ergò morabantur, inſigni quidem charitate fuerunt recepti, illico tamen ſe in illa gente nihil acturos adverterunt; quippe cum potiſſimùm Mahumetis legem profiteretur, nec tamen illam fundatè calleret, omnes ſectas admiſit, & nullam vel exeluſit vel defendit. Nihil tamen, ut pro illius converſione intentatum relinqueretur, inter Præſidentem Alæ, & Præfectum Baræ, ut, quilibet regni ſui Regulum pro licentia Evangelium prædicandi requireret, fuit ſancitum. Uterque illam conceſſit, nullus tamen eorum verbum ſalutis audivit. Quantumque etiam Miſſionarii miniſterium ſuum intrepido ſtudio adimplere ſatagerent, præter fructum ex Baptiſmate infantibus ſolerter collato collectum, alium non reportârunt, Batavis, quos lucri, vel ditionis cupido eò copioſè traxerat, importuno conſilio ejectionem Miſſionariorum infideli populo ſuggerentibus.

Conſilio iniquitatis eodem tempore tum infelix caſus mortis Epiſcopi Inſulæ Capitis Viridis, tum defectio Luſitanorum à jure Regis Hiſpaniæ, Duce Brigantiæ in Regem adoptato, jungebantur; hinc Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, cui omnia Nigritiæ regna ſubjecta erant, Vicarium Generalem Luſitanum ad Oppidum *Cacheum*, ab Europæis valde frequentatum, & tum Eccleſiaſticæ, tum Sæcularis Luſitanæ poteſtatis ſedem ablegavit. Huic, dum P. Emmanuel Granatenſis Vice-Præfectus, ac P. Joſephus Ulyſſiponenſis ſe ſiſte-

ſiſtere, ac Sac. Congregationis Decreta exhibere ſtatuebant, longè alio, quàm ſibi adulabantur, modo fuêre excepti: Exploratores enim Regis Hiſpaniarum eos credidit utraque Luſitana poteſtas; hinc compe dibus conſtrictos Ulyſſiponem miſit, ubi, ſi Orator Gallus illorum cauſam in ſe non ſuſcepiſſet, mortis pœnam haud evitaſſent; juſſi tamen ſunt non ad ſuos redire Socios, ſed ad nativam Provinciam. Extremè percuſſit inopinus hic nuntius Miſſionarios alios Barræ & Alæ conſiſtentes; cumque alio Luſitano Edicto Hiſpanos omnes ex Nigritiæ regnis diſcedere oporteret, nec Miſſionarii inter Gentiles tum ob congeniam illorum ferociam, tum ob prævi ſam victûs penuriam longiores moras in ſuis locis trahere ſe non poſſe prævideront, ad flumen Gambiæ convenerunt in unum, de mutando Miſſionis ſyſtemate deliberaturi. Collatis diu inter ſe conſiliis duos illorum, P. Seraphinum videlicet à Leon, ac P. Antonium à Ximena, ibi relinqui, & ab aliis, excuſſo Nigritiæ pulvere, Miſſionem ad Fluvium de Maranon, ſeu rivum aut Regnum Amazonum ſub linea æquinoctiali, & in America Meridionali ſitum, juxta S. Congregationis mentem, aperiri fuit ſtatutum. Solutâ proin navi 25. Junii anni 1647. Miſſionarii novem, tranſactis in Nigritia ſex menſibus, Carthaginem versùs navigârunt. Conſtitutos in via maris dum hîc relinquo, ad prædictos Patres Seraphinum & Antonium, in regnis Nigritiæ firmatos regredior, filum Miſſionis ordinatè proſecuturus.

Diminutæ per 9. Sociorum receſſum Miſſionis vires, adauxerunt in hiſce Patribus Apoſtolatûs ſui curam, animum tamen non fregerunt, dexteræ potentiæ divinæ innixum. Evangelica libertate ſectam, quam Regio profitebatur, impugnârunt, & nomen Domini gentibus opportunè importunè nuntiârunt. Dum Luſitanus eos, ut Regis Hiſpani ſubditos, & Batavus, ceu Romanæ Sedis Miniſtros, dictis ac factis mordebat, ſat placidè econtra illos Gentilis tractavit, ita, ut regna illa peragrare, & uſque ad Montem Leonum, Hiſpanicè *Sierra Leona* inter oram Guineæ, & Nigritiæ ſitum excurrere iis licuerit, Gentiles ad Duliam, Acatholicos æquè ac Hebræos ad veræ Eccleſiæ gremium, Catholicos hinc inde diſperſos ad melioris vitæ rationem reducendo, ac plurimos parvulos aqua luſtrali abluendo. Læti quidem ex fructu, quo Deus illorum laborem fœcundavit, non parum tamen indolere debebant, dum ob caloris exceſſum, regiones illas inſpectantem, & regionis planitiem Incolis deſtitutam, ac ætatis ſuæ ſenium, continuando labori impares ſe agnoſcebant; Hinc à conſtituto novo Miſſionis Præfecto P. Fulgentio à Granata novas Operariorum ſuppetias, & à S. Congregatione finito jam primo decennio, Miſſionis ad aliud decennium prorogationem poſtulârunt. Conſenſit hæc & ille: hæc Decreto ſuo inſrà dando Miſſionem prorogando: ille verò prima vice PP. Auguſtinum de Ronda, Joſephum Malacitanum, & Joannem à Peralta, & ſecundâ PP. Theodorum à Bruſellas, ac Baſilium à Cabra eò ablegando. Antequam hi duo è Provincia diſceſſiſſent, P. Antonium è vivis jam anno 1662. diſceſſiſſe, ac Seraphinum morti vicinum eſſe rumor percrebuit, quos & in alio Miſſionis loco eodem anno 1657., quo mors P. Seraphini in Oppido *Cacheo*, S. Dominici rivo, contigit, ſecutus eſt in via æternitatis P. Auguſtinus prædictus. Porro cum PP. Antonium & Seraphinum ſanctioris vitæ, & pretioſæ mortis fama commendaret, ultimis 2. Miſſionariis illorum cadavera ad Provinciam tranſportari, ante receſſum ad Miſſionem fuit injunctum. Cum jam ſecundum decennium ad finem vergeret, & præter P. Auguſtinum vitâ functum, P. Joannes à Peralta articulari quoque morbo laboraret, reſidui Miſſionarii ad Provinciam ſuam regredi ſtatuerunt. Voluntati tamen P. Provincialis morem ut gererent, ſe ad enuntiatum Oppidum anno 1666. contulerunt, ab Eccleſiaſtico Judice oſſa dictorum Patrum exhumari, & ſibi conſignari flagitantes. Dato deſuper conſenſu, illa quidem quæſita, nec tamen reperta fuêre, prodigium tamen, quo in P. Seraphini funere campanæ feſtivum ſonitum per horæ quadrantem omnibus admirantibus reddebant, juratis teſtibus fuit firmatum. Exeuntes inde de Cacheo Miſſionis reliquiæ PP. Theodorus & Baſilius, pro ſtatuto ſuo ad Provinciam reditu navem conſcenderunt. Duram ſortem hæc duorum dierum ſpatio nacta eſt, dum coactæ in turbinem nubes, laxati in furias venti, & colliſæ in ſemetipſas procellæ in illius naufragium conſpirârunt. Tertia dumtaxat die reſtituta nonnihil malacia Inſulam S. Nicolai, quæ una ex illis Capitis Viridis in Oceano Atlantico eſt, iis detexit, inde ut jactatum periculis animum nonnihil reſocillarent, invito licèt Navarcho, illius littus intrârunt. Populationem ibi invenêre ex nongentis incirca Catholicis conſtatam, Paſtore tamen viduatam, cum nonniſi ſingulis annis ſemel Sacerdos Inſulæ Capitis Viridis Sacramenta ibi adminiſtrare conſueſceret. Subſtitêre hîc Viri miſericordiæ & Miſſionis, miſerti populo, illorum ſpiritualem opem & verbis ac lachrymis eſflagitanti: protraxeruntque moras per 13. menſes, Apoſtolicæ proviſionis munus ſollicita charitate explentes, ac Eccleſiæ fabricam, & decorem reſtaurantes. Avocante poſtea illos ad Provinciam obedientiâ temperârunt afflicti populi planctum dato promiſſo omnes vires ad id adhibendi, ut eorum ſaluti omni poſſibili curâ provideretur.

Hoc

Hoe & illico in ſuo Provinciæ adventu perſecerunt, ſtatum populationis S. Congregationi explicando, & ſe noviter ad regreſſum offerendo. Litteræ an receptæ ſint, ignoratur, certum autem eſt, actum ulteriùs eſſe nihil, & Miſſioni Nigritiæ per 20. annos protractæ impoſitum finem.

Eapropter remetior viam ad Miſſionarios, quos Carthaginem versùs navigantes ſuprà reliqui. Porro ante illorum ibi adventum ex felici fructu in navi per 120. Æthyopum, Nautarum &c. converſionem collecto, omen copioſioris ſegetis in Civitate conceperunt, quod & charitas, quâ Illuſtriſs. Dominus Chriſtophorus de la Farrega, Ord. Ciſtercienſis, ac loci Epiſcopus, D. Clemens Sorians, Civitatis Gubernator, P. Guardianus Conventûs S. P. Franciſci de Obſervantia, totuſque populus illos excepit, abundè confirmavit. Ad opus fructus præviſi ut properaretur, urſit Dominus Gundfalus, Ordinis D. Jacobi Eques, in vicinia S. Catharinæ Eccleſiam iis aſſignando: hinc & P. Caſparus Illuſtriſs. D. Epiſcopum adiit, litteras tum Sac. Congregationis de Prop. Fide, tum Regis Catholici exhibendo, tum illum obſecrando, ut, quamdiu in ſua Diœceſi illos morari contingeret, in aſſignatæ ipſis Eccleſia facultates à S. Congregatione conceſſas exercere permitteret, quod & Illuſtriſſimus eò libentiùs conceſſit, quò utiliorem illorum laborem populo ſuo agnovit. A propoſito ad flumen Maragnonis ſecedendi, penitus illos removere, variâ quidem ratione prudentiores Civitatis Viri conati ſunt; cum tamen ſe ad converſionem Infidelium à Sacra Congregatione deſtinatos meminiſſent, Patres Didacus de Guadalcanal, & Ludovicus de Priego, firma jam valetudine pollentes, relictis Carthagine Sociis, reliquias infirmitatis adhuc patientibus, ad vicinos Infideles ad fluvium Darienum & Sinum Uradæ habitantes ſe transferre ſtatuerunt. Conſenſit P. Præfectus, Epiſcopus litteris abeuntes communivit, & Gubernator, cum aliàs ad dictos Barbaros transſretare vetitum eſſet, non ſolùm benignâ Epikeja dictos Patres à lege abſolvit, ſed inſuper Navarcho illorum, Didaco de Ochoa rerum tranſvehendarum immunitatem conceſſit.

Expleta 15. dierum navigatione Portum S. Sebaſtiani in Provincia Uradæ attigerunt, ubi cum vela legerentur, Barbarus copioſè affluxit: qui de fine adventûs edoctus, & donis in obſequium allectus, ſarcinas navis propriis humeris ad Domum Reguli, Andreæ, ex Baptiſmo, olim per tranſeuntem Miſſionarium recepto, & per regreſſum ad idolatriam prophanato vocati, ſervandas portavit.

Adeo trucem populum illum Miſſionarii non reperientes, incunctanter cum illo de Eccleſia erigenda agere ceperunt. Nec adfuit contradictio; hinc intra modicum tempus fabrica fuit completa, & tugurium tabulatum die 4. Octobris Benedictione ſacra in Eccleſiam converſum, & D. Franciſco noſtro, cujus feſtum eo die Eccleſia celebrat, dedicatum, erecto deſuper Inſtrumento, quod in tabulariis Provinciæ aſſervatur.

Charitas, qua laborem incultæ vineæ Miſſionarii ceperunt, ita captivavit Infidelium animos, ut plures Chriſtiana Dogmata complecterentur. Ex quo felici principio colligendo fructui ſe duos duntaxat impares judicantes, Carthagine alios Miſſionarios in partem laboris vocare ſtatuerunt. Cum eadem proin Didaci navi eò P. Ludovicus, ipſo prædicto Andrea Regulo, alioque Socio ſtipatus rediit, ſtatumque novæ Coloniæ tum Epiſcopo, tum Gubernatori, tum Præfecto nuntiavit. Albicantem Meſſem hi quidem omnes novo Operariorum ſubſidio confovendam eſſe concluſerunt, eundemque P. Ludovicum tribus aliis Miſſionariis ſociatum ad S. Sebaſtianum relegârunt. Secundo velo cum hic Inſulam omnium Sanctorum dictam, à S. Sebaſtiano non adeo diſitam, attigiſſet, novam Miſſionem in Oppido Tucunaca ſtabilire decrevit, & ſtabilivit, ejuſque curam & in ſe ipſum cum uno ex ſociis ſuſcepit, aliis duobus ad ſtationem S. Sebaſtiani dimiſſis.

Triplex jam Evangelici laboris campus, videlicet Chartaginenſis, Portus S. Sebaſtiani novo ſubſidio fultus, & Tucunacæ noviter apertus multiplicem fructum ſpondebat, & non modico gaudio Miſſionarios replevit, dum ecce conglobatæ anguſtiarum nubes ſiniſtris caſibus amœnum illius aſpectum involverunt, omniſque ulterioris conatûs ſpem ademerunt. Mors Epiſcopi Chartaginenſis, neceſſarius à Miſſione Tucunacæ Miſſionariorum receſſus, & demum Miſſionariorum vel infirmitas vel mors ipſa ſuperſtites in eo collocârunt ſtatu, ut ſe continuandæ culturæ impares agnoſcerent. Inde unicum reſtabat medium, ut novi è Provincia advenirent Coloni; at eo tempore, quo hos popoſcit, illa per litteras ſorte retroverſa, omnes ad ſe revocavit. Adorârunt Miſſionarii in ſpiritu veritatis conſilia Dei, & obedientiam, Sacrificio perfectiorem, reminiſcentes, regreſſu ſuo Miſſioni, & Miſſionibus, pretioſa plurium Fratrum morte clarificatis, & ſemine fructûs non modici fœcundatis, finem impoſuerunt.

Manum nihilominus otioſum non tenuit Provincia Betica in Apoſtolico munere, ſed, quod inter Nigritas incepit, perenni ſtudio ad præſentem uſque diem proſequitur, dum Fratres

illius

illius tanquam fideles Satoris æterni Miniſtri ſemen gratiæ in ſterili Indiarum occidentalium agro inter animas non credentes ſerere non deſiſtunt, & corda Neophytorum in luce ſermonis, & operis confortant rectitudine, quemadmodum notitia ſtatûs Miſſionum &c. à Fr. Michaële Franciſco de Velez, Miſſionum Secretario, Hiſpanico idiomate typis impreſſa extensè enarrat.

Narrabit & omnis ætas ſingulare ſtudium, quo & aliæ Hiſpaniæ Provinciæ in iiſdem Indiis Occidentalibus gloriam Divini Nominis exaltant, & pullulantem Fidei puritatem nova ſemper filiorum adoptione corroborant. Provincia Cataloniæ excolit miſſionario labore Inſulam Trinitatis *de Barlovento*, & in hac duo loca, *Sabanilla* videlicet & *Gueſeria*, necnon Provinciam Guayanæ, & in hac loca decem, Succs, Amaruca, Caroni, Acta gratia, Cupapuy, Jucuari, Palmar, Amiano, Cununi, Tupuzuger. Numerant in America Provincia Valentiæ Miſſiones ſeptem, Aragonia in eadem Orbis parte, & quidem Regno Cumanæ Miſſiones plures. Provinciæ autem Navarræ noviſſimè Vaticanum Decretum ad Miſſiones itidem in iiſdem Indiis inſtituendas ſemitam pateſecit.

Documenta, quæ has concernunt Miſſiones, non juxta Provinciarum tabulam, ſed juxta Chronologicum Miſſionem & Documentorum Ordinem ſubnectentur, nonnihil ex neceſſitate confuſa. Dividentur autem facilè Provinciæ inter ſe ſpolia hujuſmodi Documentorum, & quælibet ſibi propria noſcet. Miſſionem Nigritarum poſui primam, cum fuerit inter Miſſionis Hiſpaniæ prima, vel ſaltem illi Valentiæ ad flumen Maranon, ſeu Rivum Amazonum contemporanea, de quo certiora ipſa utriuſque Provinciæ Armaria dabunt.

Miſſio in Nigritarum Regnis, P. Gaſparo de Sevilla, ſeu Hiſpali, Provinciæ Andaluſiæ Miniſtro Provinciali, ac Definitorio Provinciali committitur, Præfectus ejuſdem Miſſionis P. Gaſparus inſtituitur, eique Vice-Præfectum, in dictis Regnis cum Sociis reſidentem ſubſtituendi facultas conceditur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ ſub die 12. *Febr.* 1645.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinale S. Onuphrii litteras Nuntii Hiſpaniarum, & Provincialis, ac Definitorii Capucinorum Provinciæ Andaluſiæ; Sacra Congregatio Miſſionem decrevit Fr. Gaſparo de Sevilla, Andaluſiæ Provinciali cum infraſcriptis Sociis, videlicet, P. Fr. Emmanuele de Granata Concionatore, P. Fr. Antonio de Ximena Concionatore, P. Fr. Franciſco de Arevalle Concionatore, P. Fr. Franciſco de Iznaſar, Concionatore, P. Fr. Sebaſtiano de Sancta Fide Concionatore, P. Fr. Didaco de Guadalcanal Concionatore, P. Fr. Joanne de Sevilla Sacerdote. P. Fr. Ludovico de Priego Sacerdote, P. Fr. Joſepho Ulyſſiponenſi Sacerdote, P. Fr. Joanne de Vergara Sacerdote, Fr. Michaële de Granata Laico, Fr. Blaſio de Hardales, Laico, ad Regna Nigritarum, ejuſdemque Miſſionis Præfectum conſtituit & deputavit dictum Fratrem Gaſparum cum poteſtate Vice-Præfectum conſtituendi, qui cum aliis Sociis in dictis Regnis reſideat; Et pro facultatibus juſſit adire ad Sanctum Officium.

Romæ die & anno, quibus ſuprà.

Ex Archivo Provinciæ Beticæ.

Deſtinatis Miſſionariis aditum ad Nigritas habere non valentibus, in caſu hocce, Gentiles circa flumen, Maranon, ſeu Rivum Amazonum excolendi aſsignantur, ita ut Provincia Valentiæ unam horum Gentilium partem, & Andaluſia aliam partem inſtruendam aſſumant.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 3. *Julii* 1645.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Albornotio litteras Provincialis, & Diffinitorii Capucinorum Andaluſiæ, continentes quatuor petitiones; & quia pro prima, tertia, & quarta per Decreta præcedentia, in quibus datur facultas Nuntio ſubrogandi alios Miſſionarios loco nolentium, vel non valentium ad Miſſionem Nigritarum proficiſci, ac etiam facultas accipiendi Fratres ex aliis Capucinorum Hiſpaniarum Provinciis pro dicta Miſſione, & data, fuit Præfectura Miſſionis Provinciali tantùm ſub nomine proprio, ſatis ſuperque fuit proviſum. Ad ſecundam petitionem, quod iidem Miſſionarii ad Nigritas, ſi poſt factas omnes neceſſa-

ceſſarias diligentias, aditum ad Nigritas habere non poterunt, ad alias Regiones Indiarum Orientalium, vel Occidentalium ſe transferre valeant cum eiſdem facultatibus; Sacra Congregatio cenſuit in caſu propoſito, prædictis Miſſionariis aſſignandos eſſe Gentiles circa flumen *Maranon*, ſeu *Rio de las Amazonas* ab eis excolendos; & ſi Provincia Capucinorum Valentiæ eoſdem Gentiles excolendos ſuſcepit, Andaluſiæ Miſſionarii partem prædictorum Gentilium aſſument inſtruendos, & Valentioi aliam partem; nam cum ſint innumeri prædicti Gentiles, non ſolùm Andalucii & Valentioi Miſſionarii, ſed alii etiam Religioſi in ea Vinea Domini excolenda occupari poſſunt.

Ex Archivo prad.

Præfectura Miſsionis à P. Gaſparo de Sevilla, in P. Fulgentium Granatenſem Provincialem ſub nomine proprio, & non vi officii transfertur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 5. Novemb. 1646.

RElatâ inſtantia Provinciæ Capucinorum Andaluſiæ pro translatione Præfecturæ Miſſionum Capucinorum ad Nigritas, & facultatum pro dicta Miſſione conceſſarum, à P. Gaſparo de Sivilla in perſonam P. Fulgentii de Granata novi Capucinorum Andaluſiæ Provincialis; Sacra Congregatio præfatæ Miſſionis Præfectum ſub nomine proprio, & non officii, dictum P. Fulgentium declaravit & conſtituit: & pro translatione facultatum juſſit adiri Sanctum Officium.

Romæ die & anno, quibus ſuprà.

Ex Archivo prædicto.

Miſsio ad aliud decennium prorogatur.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ ſub die 12. Junii 1656.

PRoponente Eminentiſſimo Domino Cardinali Sforzia libellum ſupplicem Fratris Seraphini de Leon Capucini, petentis prorogationem Miſſionis ad Nigritas; Sacra Congregatio ad aliud decennium, dictam Miſſionem prorogavit cum iiſdem facultatibus, juribus, & privilegiis &c. In quorum fidem has præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſolito ſigillo Sacræ Congregationis muniri mandavimus, die 11. Junii 1657.

Ex Archivo prædicto.

Miſſio Portûs Sancti Michaëlis Marmora *dicti.*

Miſsio Fratrum noſtrorum. in portu S. Michaëlis, *Marmora* nuncupato, & in parte Africæ ultra mare ſito, inſtante Epiſcopo Gaditano approbatur.

Decretum Sac. Congregationis de Propogonda Fide habitę die 7. Maji 1646.

REferente Eminentiſſimo Domino Cardinali Matthæo litteras Epiſcopi Gadicenſis inſtantis pro Miſſione aliquot Capucinorum Provinciæ Andaluſiæ ad portum S. Michaëlis, *Marmora* in parte Africæ ultra mare nuncupatum, & Secretario ſubjungente ex litteris P. Gaſpari à Sevilla, Andaluſiæ Provincialis, jam fuiſſe ad inſtantiam dicti Epiſcopi, ac Regis Catholici miſſos ſex Capucinos prædictæ Provinciæ idoneos, aliaſque probatos occaſione Miſſionis Nigritarum ejus Provinciæ conceſſæ, Sacra Congregatio dictam Miſſionem approbavit, & pro facultatibus juſſit adiri Sanctum Officium.

Ex Archivo prædicto.

Miſſio Darienſis in Indiis Occidentalibus.

Miſsionem in Darienſi Indiarum Occidentalium Provincia per quatuor Capucinos Sacerdotes, & Fr. Franciſcum de Pampelona Laicum inſtituti decernitur.

Decretum Sac. Congregationis de Propogonda Fide habitæ die 3. Auguſti 1646.

REferente Eminentiſsimo Domino Cardinali Albornotio de neceſsitate unius Miſsionis ad Provinciam Indiarum Occidentalium Darien. nuncupatam; Sacra Congregatio decrevit, ut infrà.

Primò. Cenſuit in præfatam Provinciam auro abundantem, faciendam eſſe Miſ-

ſionem quatuor Capucinorum cum Fr. Franciſco à Pampelona Capucino Laico, cui eadem Sacra Congregatio decrevit ſcuta 50. monetæ pro unica vice tantùm.

Secundò. Prædictus quatuor Capucinos ſeligendos eſſe per Nuntium Hiſpaniarum cum conſilio & approbatione Provincialium, & unius ſaltem Definitoris, ex quibus erunt prædicti Patres ſeligendi.

Tertiò. Inter eos adſcribendum eſſe Fr. Bonaventuram de Aoyz, Provinciæ Aragoniæ, ſi ad eandem Miſsionem reperietur idoneus.

Quartò. Ex dictis quatuor Capucinis, illum eſſe declarandum Præfectum, qui magis idoneus ad Præfecturam à prædicto Nuntio cum conſilio, ut ſuprà, judicabitur, & pro prædicto Præfecto expediendas eſſe facultates, relicto albo pro nomine Præfecti in ipſis facultatibus à prædicto Nuntio deſcribendo.

Quintò. Scribendum eſſe eidem Nuntio, ut agat cum Rege Catholico, ac ejus Miniſtris pro tollendis difficultatibus, quæ forſan ab eis fient prædictæ Miſsioni, eiſdem ſignificando, quod Capucini Miſsionarii fuerint potiſsimùm ſelecti, quia Provincia illa abundans auro, requirit Religioſos à divitiarum cupiditate alienos, prout ſunt Capucini, & quod prædicti Patres Miſsionarii non facient ibi novas fundationes, cum Religio non patiatur, ut in tam longinquis partibus fiant Conventus, qui non poſſent à Generali viſitari, qui ſemper totam Religionem viſitare conſuevit.

Sextò. Eadem Sacra Congregatio rogavit eundem Eminentiſsimum Dominum Cardinalem Albornotium, ut ſcribere dignetur ad Miniſtros Regios pro tollendis prædictis difficultatibus.

Ex Archivo Sac. Congregat. pag. 178.

NOTA

QUi Ordinis noſtri Laicum ad munus Apoſtolici Miſsionarii electum & evectum ſuprà legit, non miretur, cum Fr. Franciſcus à Pampelona fuerit ille, qui prærogativâ mirabili inter ſublimia & humilia concordiam facere, & Miſsionarium cum Laico unire noverat. In tomo 5. Bullarii fol. 352. quinam in Sæculo fuerit, reſpice, & quinam in Ordine factus fuerit, mirari amplius nolis. Diutius tamen in Miſsione Franciſcus non manſit, cum Madriti illius commoda apud Regem Catholicum, ejuſque Miniſtros efficacius ab eo promoveri poſſe, Sacra Congregatio judicaverit.

De Miſſionis Darienſis ad conterminas partes extenſione cum P. Præfecto agi, & rem quantocyus perfici decernitur.

Die 24. *Auguſti* 1654.

REferente Eminentiſsimo Domino Cardinale Ludoviſio, loco Eminentiſsimi D. Cardinalis Ceſii abſentis, litteras R. P. D. Nuntii Apoſtolici Hiſpaniarum ſcribentis, valde expedire extenſionem Miſſionis Fr. Capucinorum Regni Darien. ad partes etiam dicto Regno adjacentes, Sacra Congregatio reſpondit eſſe per dictum D. Nuntium agendum cum Præfecto earumdem Miſſionum, ut eligat Religioſos ad hujuſmodi officium habiles, & quò citius fieri poteſt, res perficiatur ad majus Dei ſervitium, & animarum ſalutem.

Ex Archivo Provinciæ.

Miſſio Cumanæ, Caracas &c. In Indiis Occidentalibus.

Fr. Laurentius de Magdalion Præfectus Miſsionum in Indiarum Occidentalium Provinciis Cumanæ, Caracas, Guarapiche, Guacharæ, Araguæ & Amanæ deputatur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 9. *Maji* 1667.

REferente Eminentiſsimo Domino Cardinale Eſtenſi, Sacra Congregatio Præfectum Miſſionum Fratrum Capucinorum in Provinciis Cumanæ, Caracas, Gnarapiche, Guacharæ, Araguæ, & Amanæ in Indiis Occidentalibus declaravit ad decennium Fr. Laurentium de Magdalion Sacerdotem ejuſdem Ordinis, cum auctoritate, ea, quæ ad Miſsionis regimen pertinent, ad præſcriptum Decretorum Sacræ Congregationis, & facultatum eidem conceſſarum exercendi, & non aliàs &c.

Extract. ex Reg. Patent. Sac. Congregat. de Propag. Fide ab anno 1657. *uſque ad annum* 1667. *f.* 33.

NOTA

NOTA.

TUm miſerum, ac compaſſione dignum ſtatum, in quo Provinciæ prædictæ ante Patrum Miſſionariorum appulſum reperiebantur, tum laborem, quo hi ſpeluncas & nemora obumbrantia converterunt in tabernacula Iſraël, & gentem fœcundârunt ad ſanctimoniam legis immaculatæ, annotant luculenter litteræ, à quinque Regulis, quos Caziques appellant, ad Summum Pontificem ita exaratæ;

BEATISSIME PATER.

Multiplices gratias Deo ac Creatori noſtro agimus, ac agi deſideramus, dum per Patres Capucinos, quos ad præſens his in noſtris habemus Provinciis, Sancti Evangelii lucem Nobis miſericorditer communicavit, ac è tantis, ac tam profundis ignorantiæ tenebris nos eduxit: nam etiam ii, qui inter nos, interque Nationes nobis ſubditas, majore videbantur mente, & intelligentia præditi, prius neſciérunt, imò nunquam ad illorum venit cognitionem, quis eſſet Cæli & Terræ Creator, neque aliam poſt hanc, immortalem ac æternam vitam crediderant. Eamque Terræ noſtræ ita pauperes, ac auro, argento, aliiſque convenientibus ad vitam humanam fractibus careant, nos, qui eas hæreditate poſſidemus, earumque Domini & Caziques (Regali) ſumus, ſemper nudi, tam homines, quàm mulieres, viximus, indumenta, quibus noſtra cooperire corpora poſſemus, non habentes. Quamobrem Chriſtianorum nullus, imò nec Sacerdotes, qui ſuperioribus annis ad terrarum noſtrarum partes explorandas acceſſerunt, ut Dei notitiam nobis communicarent, dignati ſunt inter nos permanere. Eamque infeliciſtatis hujus cauſa principalis, peccata noſtra ſint, alia, quæ nos, terramque noſtram tam pauperem ac barbaram reddat, erronea nobis videtur.

Sed jam ergo nos pauperes, Domino noſtro placuit, ſua infinita pietate uti, Miniſtros nobis mittendo, etiam pauperes, qui animas noſtras indefeſſè quærunt, & pro earum converſione, montes & ſolitudines circumeunt, & Indos ſedulitate maximâ, ac vexatione pari inveſtigant, nam noſtrarum gentes Nationum in deſertis abſque Oppidorum commoditate, ac conſuetudine vivunt. Jam verò, Deo favente, aliqua habemus Oppida, in quibus ipſimet Patres Capucini præſidebit ſunt, qui etiam labore inexplicabili, proprliſque ipſorum manibus novem Eccleſias, ubi aſſiduè Verbi Dei, verumque Sacrarum cultus celebratur, aperuérunt: Et ut nos ad deſerta, barbaroſque mores noſtros deſerendos inducerent, ipſimet, ut domus in Oppidorum modum fabricaremus, opem dedêre.

Inter alia ipſi nos docuerunt, Sanctitatem Veſtram, Dei apud nos vicem obtinere, Eique, ſicuti ipſiuſmet Dei Vicario, debere nos ſubmiſſum animam conteſtari, ac ſub ipſius ſemper obedientia vivere, quod libentiſſimè amplectimur; Quapropter abhinc omni cordis obſequio, animæque reſignatione Sanctitatis Veſtræ arbitrio, ac poteſtati nos ſubjicimus, & in perpetuum devovemus. Nos autem Provinciarum harum Reguli, ſeu Caziques, *& Domini omnes, quorum una eademque eſt ſententia, animique conſpiratio, Veſtræ Sanctitatis pedes oſculamur, ac, ut de animarum noſtrarum ſalute earum miſerationis in ſe ſuſcipiat, ac pro nobis Deum oret, ſupplicamus. In cujus fidem hanc ſyngraphum, quam per Patres, qui nobis doctrinam hanc tradiderunt, nuntium mittimus, confici, ac propriis noſtris nominibus ſubſcribi fecimus, in Provinciis noſtris de Amanâ, Guaebara, Acarigua Indiarum Occidentaliam, die* 10. *Aprilis* 1666. *Veſtræ Beatitudinis ſervi humiles, ac obedientes filii, qui pedes veſtros oſculantur.*

Exem. in Arth. Ordinis.

Dominicus Nationis Anaqua Cazique.
Gaſpar Nationis de los Tapres Cazique.
Macarius Nationis de los Cores Cazique.
Stephanus Nationis Chayma Cazique.
Chriſtophorus Nationis de los Caribes Cazique.

Miſſio Maracaybi in Indiis Occidentalibus.

Conſraternitates ſub titulo Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, tum in Hiſpaniarum Regnis, tum in Indiis, præſertim in Civitate Maracaybo à Fr. Juſto à Valentia Miſſionario cum nonnullis Conſtitutionibus erectas, Apoſtolica authoritate confirmat, Archiconfraternitati ſub eodem titulo in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi de Urbe inſtitutæ aggregat, tum ejuſdem Archiconfraternitatis indulgentias, tum alias Viæ Crucis, Coronæ D. N. J. Chriſti, ac Coronæ & Lytaniis B. V. conceſſas ei communicat, ac F. Juſti Succeſſori Miſſionario, ac Conſraternitatis in Civitate Maracaybi fundatæ Directori alias hujuſmodi Confraternitates in Indiis erigendi, erectas Maracaybenſi Conſraternitati aggregandi, ac indulgentias communicandi facultatem tribuit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

DEbitus erga Sanctiſſimsm Dei Genitricem ſemper Virginem Mariam cultus & obſequium, quò frequentiori pietatis & Religionis ſtudio ac ſervore à Chriſtifidelibus ubique locorum exhibearur, ſupremas Apoſtolicæ auctoritatis, benignitatiſque partes libenter conferimus, & cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem tenuitati ooſtræ credidit Altiſſimus, uberiore largirate erogamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper humiliter feeit dilectus Filius Juſtus à Valentia, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. Frater expreſsè Profeſſus, quod ipſe demandatum ſibi Apoſtolici Miſſionarii primùm per Hiſpanias, deinde per Indias munus explens, quamplures tum in ipſis Hiſpaniarum Regnis, tum in Indiis, ac præſertim in Civitate Maracaybo Diœc. Caracenſis, ubi in præſentia reperitur, utriuſque ſexûs Chriſtifidelium Congregationes ſive Societates, ſive Coofraternitates nuncupatas ſub invocatione Cooceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ Immaculatæ ſub Titulo Diarii, petita & obtenta priùs à locorum reſpectivè Ordinariis Aotiſtitibus licentia & facultate inſtituit, fundavit & erexit, in quibus quamplurima Chriſtianæ pietatis opera, non ſine magna tum Chriſtifidelium, tum etiam infidelium ad Catholicam Fidem eapropter confluentium utilitate & incremento, juxta regulas & conſtitutiones ab ipſo præſcriptas, & ab eiſdem locorum Ordinariis Aotiſtitibus approbatas exercentur. Hujuſmodi autem Congregationes, Societates, & Confraternitates, atque aliæ per ipſum Fr. Juſtum à Valeotia deinceps inſtituendæ, fundandæ & erigendæ, quò firmius ſubſiſtant, & majori frequentia, ac religioſa obſervantia habeantur, idem F. Juſtus Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Apoſtolica auctoritate & benignitate, ut infrà, providere & indulgere dignaremur. Nos itaque dictum Fr. Juſtum ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes & à quibuſvis &c. ... abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Congregationes, Societates, & Conſraternitates, quas memoratus Fr. Juſtus inſtituit, fundavit & erexit, quaſque deinceps, ut præmittitur, inſtituet, fundabit & eriget, petitâ tamen & obtentâ licentia & facultate ab Ordinariis locorum Antiſtitibus, ſub eiſdem prorſus modo & forma, ſub quibus locorum Ordinarii Antiſtites approbârunt, Nos etiam (ſalva ſemper ipſorum auctoritate) teoore præſentium, auctoritate noſtra Apoſtolics approbamus & confirmamus. Præterea ſingulas hujuſmodi Congregationes, ſive Societates, ſive Confraternitates ex ſpeciali gratia Archiconfrateroitati ſub invocatione Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ Immaculatæ in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi de Urbe erectæ, Apoſtolica pariter auctoritate aggregamus, atque iis omnibus lodulgentiis, peccatorum remiſſionibus, pœnarumque relaxationibus, quibus ipſam Archiconfraternitatem, ejuſque Conſratres & Conſorores uti, frui & gaudere voluit fel. rec. Paulus Papa V. Prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Brevis litteras die v. Julii MDCVII. datas, ſæpe dictas Congregationes, Societates & Conſrsteroitates, ut præmiſtitur, sggregatas, earumque Confraires & Conſorores uti, frui, & gaudere declaramus, &, quatenus opus ſit, de novo concedimus, atque etiam ampliamus, ut ſequitur. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui quamlibet ex dictis Confrateroitatibus, ſive Societatibus, ſive Congregationibus de cætero ingredientur, die primâ eorum ingreſsûs, ſive die Dominica immediatè ſequenti, atque etiam die ſemel in ſingulos annos ad uniuſcujuſque arbitrium eligendâ, ſi vorè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam, ac tam ipſis

nunc

nunc & pro tempore deſcribendis, quàm jam deſcriptis in dictis Confraternitatibus, ſive Societatibus, ſive Congregationibus, Confratribus & Conſororibus in cujuſcunque eorum mortis articulo, ſi pariter verè pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ ore, ſi potuerint, ſin autem, corde devotè invocaverint, etiam plenariam; necnon eiſdem Confratribus & Conſororibus, qui in Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, & in diebus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis & Aſſumptionis ejuſdem B. Mariæ Virginis, in Dedicationis S. Michaelis Archangeli, & S. Franciſci de Aſſiſio Protectorum, verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia &c. plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper iiſdem Confratribus & Conſororibus, qui Proceſſioni per eaſdem Confraternitates, ſive Societates, ſive Congregationes in die feſto Conceptionis ejuſdem B. Mariæ Virginis, ſingulis annis fieri ſolitæ interfuerint, tres annos & totidem quadragenas, necnon, qui Congregationibus tam publicis quàm privatis ipſarum Confraternitatum, ſive Congregationum, ubi earumdem negotia tractantur, pariter interfuerint, centum dies pro qualibet vice. Præterea tam iiſdem Confratribus & Conſororibus, quàm aliis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui ſingulis diebus feſtis, vigiliis & ſabbathis ejuſdem B. Mariæ Virginis in Eccleſiis præfatarum Confraternitatum, ſive Societatum, ſive Congregationum interfuerint, & ibi litanias & Antiphonam *Salve Regina* audiverint, aut illas recitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies; necnon iiſdem Confratribus & Conſororibus tantùm, qui corpora Defunctorum Confratrum & Conſororum ad Eccleſiaſticam ſepulturam comitati fuerint, & pro ipſius Defuncti anima preces Deo effuderint, ducentos dies pro qualibet vice: quoties verò conſcientiæ ſuæ veſpere examen fecerint, & protectioni ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ & Angeli Cuſtodis ſeſe commendaverint, toties centum dies: iis verò, qui in honorem ejuſdem Immaculatæ Virginis Mariæ, pauperibus Puellis, ne in Diaboli poteſtatem veniant, ſubvenerint, & auxilium præſtiterint, aut quovis modo earumdem pudicitiæ conſervandæ occaſionem præbuerint, quotieſcunque hæc egerint, annum unum; qui verò paci & unioni inter Fideles conſtituendæ opera dederint, aut peccatum reliquerint, aut Hoſpitalia, & carceratos viſitaverint, & ignorantes doctrinam Chriſtianam docuerint, ſexaginta dies pro qualibet vice: iis verò, qui Officium B. Mariæ Virginis devotè recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice, & qui quotidie præfatum officium per menſem continuum ſimiliter recitaverint, ſi confeſſi & ſacra communione refecti fuerint, ſeptem annos & totidem quadragenas ſemel pro quolibet menſe de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præterea omnes & ſingulas Indulgentias, peccatorum remiſſiones, pœnarumque relaxationes à quibuſvis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſas, iis, qui Viam-Crucis peregerint, coronam Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & litanias ejuſdem Virginis, vel coronam D. N. Jeſu Chriſti recitaverint, ipſis etiam Congregationibus, ſive Societatibus, ſive Confraternitatibus ſub invocatione Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis ea omnia, quæ Viam-Crucis peragentibus, coronam & litanias B. Virginis, necnon coronam D. N. J. Chriſti recitantibus præſcripta præſtantur, itidem præſtantibus, pariter concedimus & largimur. Denique, ne tam pium opus, debitumque erga Beatiſſimam V. Mariam obſequium, per ejuſdem Juſti à Valentia obitum intermittatur, ſed potius magis magiſque adaugeatur, illi duntaxat, qui in ipſius Juſti à Valentia locum & officium pro tempore in perpetuum ſucceſſerit, Miſſionario, & Congregationis, ſive Societatis, ſive Confraternitatis in Civitate Maracaybo, ut præmittitur, inſtitutæ, erectæ ac fundatæ Directori facultatem tribuimus & elargimur, ut aliàs in Indiis tantummodo, & petita ſemper atque obtenta ab Ordinariis locorum Antiſtitibus licentia, Congregationes, ſive Societates, ſive Confraternitates, ſub invocatione pariter Conceptionis ejuſdem Beatiſſimæ V. Mariæ inſtituere, erigere & fundare, necnon memoratæ Congregationi, ſive Societati, ſive Confraternitati Civitatis Maracaybo aggregare, & omnes & ſingulas Indulgentias, peccatorum remiſſiones, pœnarumque relaxationes eidem Congregationi, ſive Societati, ſive Confraternitati Civitatis Maracaybo à Nobis, ut præmittitur, conceſſas, gratis, & ſine ulla prorſus mercede communicare & impertiri liberè & licitè poſſit & valeat. Non obſtantibus noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ regula, de non concedendis indulgentiis ad inſtar, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xv. Maji MDCCL. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Ex Areh. Secret. Brev. Apoſt. regeſto menſis & anni præd.

Altaria eorundem Confraternitatum in Indiis inſtitutarum in perpetuum & quotidie privilegiat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

OMnium ſaluti &c. Volentes igitur omnes & ſingulas Eccleſias Congregationum, ſive Societatum, ſive Confraternitatum nuncupatarum utriuſque ſexûs Chriſtifidelium ſub invocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ſub titulo Diarii à dilecto Filio Juſto à Valentia, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Fratre expreſsè Profeſſo, in Indiis inſtitutarum & fundatarum, tam hactenus erectas, quàm inpoſterum erigendas, & in qualibet dictarum Eccleſiarum unum Altare hoc ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocumque Sacerdos aliquis ſæcularis, vel cujuſvis Ordinis, Congregationis & Inſtituti Regularis Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcumque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ, per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur; ita ut ejuſdem D. N. J. C., ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Maji MDCCL. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo.

Ex *Archivo prædicto.*

Novam Miſſionem in Regione Maracaybi ad flumen Orenocum in Indiis Occidentalibus à Provincia Navarræ independenter inſtitui indulgetur, & P. Provincialis dictæ Provinciæ primus Miſſionis Præfectus declaratur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

PRocurator Generalis Capucinorum Eminen. Veſtris humillimè exponit, quod Ferdinandus VI. Rex Catholicus feliciter regnans, Rempublicam Chriſtianam ſemper magis dilatari deſiderans, Provinciæ Capucinorum Navarræ, bene meritæ, dum prima lumen Sanctæ Fidei in Indiis Occidentalibus per clariſſimos ſui Ordinis Viros Franciſcum Pampelonenſem, Joſephum à Carabantes, infinitis prodigiis ibi coruſcum, & ex cauſa Beatificationis de facto agitata venerabilem, ac Joſephum de Ponte per 40. annos in dictis Indiis zelantem Miſſionatium, & primum Catechiſmi in lingua Indiana Auctorem indux, gratioſiſimè conceſſerit, quod dicta Provincia Navarræ ſola, ſeparatim & independenter à quacũque alia Provincia aperire & fundare poſſit Miſsionem duodecim Religioſorum cum ſuo Præfecto, qui eos in Indiis Occidentalibus Regio dominio ſubjectis in vaſtiſsima Regione Maracaybi penes flumen, *Orenoco* nuncupatum, regat & gubernet, cum ibi adhuc infinitæ animæ tenebris infidelitatis involutæ reperiantur; Eapropter Procurator prædictus pro Præfecto Provincialem Capucinorum dictæ Provinciæ Navarræ pro tempore proponit.

Ut autem hæc Miſsio citiùs ſtabiliri, fundari, & propagari poſsit, Sua Majeſtas Catholica præſentem Provincialem dictæ Provinciæ Navarræ, P. Petrum de Autal omnibus iis, quæ neceſſaria ſunt, cum inſtrumento licentiæ Regiæ, ac ſui Concilii ſuper Indiis præmunire jam dignata eſt, & P. Generalis Ordinis, ac Procurator & Commiſſarius Generalis Orator, ſuum deſuper jam dederunt aſſenſum & approbationem: ſuntque duodecim Religioſi ad fundandam Miſsionem prædictam jam nominati, ac ablegati, & vicini oræ maritimæ expectant opportunitatem navis ſolvendæ. In hoc rerum ſtatu, ut nova hæc Miſsio optatum ſuum finem felicemque progreſſum ad animarum ſalutem ſortiatur, ad ſalutarem piamque Suę Majeſtatis operam aliud non deeſt, quàm ſolitorum Privilegiorum cum paterna Suę Sanctit. benedictione conceſsio; hinc Orator EE. VV. ſupplicat, quatenus pro fauſto gubernio & manutentione hujuſce Miſsionis propoſitum

Præ-

Præfectum, videlicet P. Provincialem Capucioorum Provinciæ Navarræ pro tempore deputare dignentur, ſolitas neceſſarias facultates, dictis Miſſionariis communicabiles, haud haliter ac alii Miſſionum Præfecti in Indiis Occidentalibus & America iis fruuntur, ci concedendo. Quam &c.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitę die 17. *Nov.* 1749.

Referente R. P. D. Nicolao Lercario Secretario, Sacra Congregatio Præfectum Miſſionum Patrum Capucinorum in Regione Maracaybi prope Fluvium Orenocum in Indiis Occidentalibus ad decennium declaravit P. Petrum ab Autal ejuſdem Ordinis, cum auctoritate ea, quæ ad Miſſionis Regimen pertinent, ad præſcriptum Decretorum Sacræ Congregationis, & facultatum eidem conceſſarum exercendi, & non aliàs, nec alio modo.

Datum Romæ die & anno, quibus ſuprà.

Ex Archivo Ordinis Armario Miſſio Provinciæ Navarræ.

LICEN-

LICENTIA

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide pro typo ſuprà fol. 102. memorata

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 15. Januarii 1753.

CUm P. Michaël à Tugio, Ordinis Capucinorum, à Sacra Congregatione de Propaganda Fide ſuppliciter poſtulaverit facultatem typis evulgandi nonnulla Decreta, atque Epiſtolas Sacræ Congregationis pro inſtructione Miſsionariorum ſui Ordinis, Eminentiſsimi & Reverendiſsimi Patres, audito prius judicio Eminentiſsimorum & Reverendiſsimorum Dominorum Cardinalium Spinelli & Sacripante, quibus prædicta Decreta ac Epiſtolas perpendendi cura commiſſa fuit, impertiti ſunt facultatem eidem P. Michaëli, ut typis mandentur.

Datum ex Ædibus ejuſdem Sac. Congregationis die, & anno, quibus ſuprà.

S. Card. Valenti Præfectus.

Nicolaus Lercarius Secret.

BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. FRANCISCI

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum &c. quæ à S. Sede Apostolica pro Ordine Capucino emanârunt.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

P. SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius dicti Ordinis MINISTRI GENERALIS

Variis Notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAËLE A TUGIO IN HELVETIA

Ejusdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMI SEPTIMI

PARS TERTIA

Supplementum & prosecutionem priorum sex Tomorum cum generali operis Indice concludens.

SUPPLEMENTUM

SIVE ADDITIO

DOCUMENTORUM APOSTOLICORUM,

Quæ ſex primis Tomis deficiunt, & proſecutio illorum, quæ poſt horum Tomorum typum emanârunt.

SUPPLEMENTUM &c. TOMI PRIMI.

Coronis, Roſariis, Crucibus &c. pro Fratribus benedictis varias Indulgentias largitur.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

RElegioſos pioſque homines, qui cum humilitate vitæ orationibus, & carnis ſuæ caſtigationi, ſepoſitis mundi blanditiis, & terrenis affectibus aſſiduè vacant, Romanum Pontificem in ſuo laudabili inſtituto confovere, & cœleſtis gratiæ muneribus alacriores reddere decet. Nos ſanè nuper quaſdam, ut vocant, Coronas, Roſaria, grana, numiſmata, & Cruces inter dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatos diſtribuendas demore benedeximus: His autem, ut uberiorem ſuarum ad Deum precum percipiant fructum, has per præſentes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones miſericorditer in Domino elargimur. Igitur ut ii, qui aliquam ex dictis Coronis, aut Roſariis, aut aliam, ubi aliqua ex granis, ſeu numiſmatibus, vel crucibus prædictis ſint poſita, ter ſaltem quacumque hebdomada recitaverint, quotieſcumque verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam: Item, qui in articulo mortis Coronam hujuſmodi tenendo, prævia Sacramentali Confeſſione, & Communione, ſi potuerit, ſin minus, ſaltem evidens aliquod pœnitentiæ ſignum exhibendo nomen Jeſu ore, vel corde devotè invocaverint, Plenariam pariter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem aſſequantur. Qui verò Coronam, vel tertiam partem Roſarii hujuſmodi diebus Stationum Urbis devoto, contritoque corde recitaverint, eaſdem conſequantur Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, etiam eas, quæ animabus Defunctorum per modum Suffragii iiſdem diebus applicantur, quas, ſi Eccleſias Urbis, & extra Urbem tunc perſonaliter viſitarent, aſſequerentur, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus. Iiſdem autem quacumque vice eandem Coronam, ſive Roſarii partem contritè, & religioſè dixerint, centum annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Utque illi, qui ipſammet Coronam habendo ter orationem Dominicam, totieſque ſalutationem Angelicam recitaverint, defectus, quos Miſſas celebrando, vel audiendo, diviniſque officiis recitandis, non tamen ſtudioſè, commiſerint, ſuppleant. Atque, ſi contingat granum, crucem, vel numiſma prædictum aliquando amitti per aliquem Fratrem, qui aliud ex prædictis benedictis habere nequeat,

queat, ut in amiſsi locum aliud non benedictum ſemel tantùm ſubſtituere poſſit, per quod ſupradictis Indulgentiis, & gratiis æquè, ac ſi ex benedictis hujuſmodi eſſet, perfruatur, concedimus pariter, & indulgemus. Has autem Indulgentias, & gratias ſolis Fratribus Capucinis, ubicumque ſint conſtituti, ſuffragari volumus. Non obſtantibus noſtris de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentium autem tranſumptis, etiam impreſſis, indubiam fidem volumus ubique adhiberi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Januarii MDXCI. Pontificatûs Noſtri Anno Primo.

Breve form. in Archivo Provinciæ Romanæ.

NOTA

EXtractum hujus Pontificiæ gratiæ continet tomus 1. pag. 46. Ut autem perfectior de illa habeatur notitia, ipſum Apoſtolicum Breve poſt dicti tomi typum in prætacto Archivo repertum, bſ: extendi æquum viſum eſt. Videnda autem eſt In cautelam noia, extractui primi tomi ſubnexa.

Fr. Anſelmum Marzatum, S.R. Eccleſiæ Cardinalem renuntiat.

Romæ in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum die nona Junii 1604. *fuit Conſiſtorium, in quo*

SAnctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa VIII. clauſit os de more Reverendiſſimo Domino Cardinali de Giurii nuncupato, eique dicendi ſententias, ferendique ſuffragia prohibuit, quouſque ſibi per Sanctitatem Suam os apertum fuerit tam in Conſiſtoriis, quàm in Congregationibus, & locis quibuſcumque ſolitis &c.

Poſtea idem Sanctiſſimus Dominus noſter creavit, & pronunciavit infraſcriptos decem & octo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, videlicet:

I. Reverendiſſimum Dominum Seraphinum Olivarium Razalium, Patriarcham Alexandrinum, Rotæ Auditorem, Gallum.

II. Reverendiſſimum Dominum Gymnaſium, Archiepiſcopum Sipontinum, Nuntium apud Regem Catholicum, Bononien.

III. Reverendiſſimum Dominum Antonium Zappatam, Archiepiſcopum Burgenſem Hiſpanum.

IV. Reverendiſſimum Dominum Spinellum, Archiepiſcopum Colocenſem, Epiſcopum Policaſtrenſem, & Cameræ Apoſtolicæ Clericum, Neapolitanum.

V. Reverendiſſimum Dominum Carolum de Comitibus, Epiſcopum Anconitanum, Romanum.

VI. Reverendiſſimum Dominum Bernardum Mackiecomuſchium, Epiſcopum Cracovienſem, Polonum.

VII. Reverendiſſimum Dominum Carolum Madrutium, Epiſcopum Tridentinum, Germanum.

VIII. Reverendiſſimum Dominum Jacobum Darii, Epiſcopum Ebriacenſem, utriuſque Conſilii Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarium, Gallum.

IX. Reverendiſſimum Dominum Innocentium de Bubalis, Epiſcopum Camerinenſem, Nuntium ad Chriſtianiſſimum Regem.

X. Reverendiſſimum Dominum Joannem Delphinum, Epiſcopum Vicentinum, Venetum.

XI. Reverendiſſimum Dominum Jacobum Sanneſium, Protbonotarium Apoſtolicum, Picenum.

XII. Reverendiſſimum Dominum Henricum de Trivio.

XIII. Reverendiſſimum Dominum Hieronymum Agucchium, Sancti Spiritûs in Saxia Præceptorem, Bononien.

XIV. Reverendiſſimum Dominum Hieronymum Pamphilium, Rotæ Decanum, Romanum.

XV. Reverendiſſimum Dominum Ferdinandum Tabernam, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Referendarium, Romæ Gubernatorem, Mediolanen.

XVI. Reverendiſſimum Fratrem Anſelmum Marzatum, Ordinis Capucinorum Sancti Franciſci, Neapolitanum.

XVII. Reverendiſſimum Dominum Joannem Auxianum, Januenſem.

XVIII. Reverendiſſimum Dominum Carolum Emmanuelem Pium, Ferrarienſem.

Eoſque omnes & ſingulos cętui, & conſortio aliorum Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium favorabiliter aggregavit, & paterna benedictione eis benedixit, cum omnibus oneribus, præeminentiis, & privilegiis conſuetis, atque dictos Reverendiſſimos Dominos Cardinales, Antonium Zappatam Archiepiſcopum Burgenſem, & *Fratrem Anſelmum Marzatum, Ordinis Capucinorum* abſolvit à vinculis, quibus alter dictæ Eccleſiæ Burgenſis, alter *Ordinis Capucinorum* tenebantur, derogans etiam Decreto, ne Archie-

chiepiſcopi, & Epiſcopi non reſidentes creari poſsint Cardinales, & cum aliis derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & cum retentione omnium, & ſingulorum, quæ obtinent, præterquam locorum Montium, & Officiorum Romanæ Curiæ Vacabilium, ac dictæ Eccleſiæ Burgenſis, quoad Reverendiſsimum Dominum Cardinalem Zappatam.

Ex Act. Autographis Conſiſt. ab an. 1585. ad 1605. Tom. VII. fol. 104.

Fr. Antonius Barberinus Sanctitatis Suæ Frater Germanus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatur.

Romæ in Palatio Montis Quirinalis feria ſecunda die ſeptima Octobris 1624. fuit Conſiſtorium ſecretum, in quo Sanctiſſimus Dominus Noſter creavit, & aſſumpſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

IN Presbyterum R. Fratrem Antonium Barberinum, Capucinum, Sanctitatis Suæ Fratrem Germanum, & Diaconos verò R. P. D. Laurentium Magalottum Florentinum, & R. P. D. Petrum Mariam Burgheſium Senenſem, ac cętui, & Collegio aliorum Reverendiſsimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium favorabiliter aggregavit, eiſque paterna benedictione benedixit, cum dignitate, auctoritate, præeminentiis, inſigniis, honoribus, oneribus, privilegiis, & immunitatibus ſolitis, & conſuetis abſolvens &c. eum clauſulis, & derogationibus neceſſariis, & opportunis &c.

Ex Actis Autograph. Conſiſt. anni præd.

Fr. Emericum Senelli, Eccleſiæ Viennenſi ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis præficit.

Romæ in Palatio Apoſtolico in Vaticano Feria ſecunda die tertia Martii 1681. fuit Conſiſtorium, in quo

SAnctiſsimus Dominus Noſter Innocentius Pspa XI. ad nominationem Cæſareæ Majeſtatis, nti Archiducis Auſtriæ, providit Eccleſiæ Viennenſi vacanti per obitum bonæ memoriæ Udalrici Waldeldorff, ultimi illius Epiſcopi, extra Romanam Curiam defuncti, de perſona Reverendi Patris Emerici Senelli, Presbyteri Ordinis Capucinorum fidem expreſsè profeſsi, omniaque requiſita à Sacro Concilio Tridentino præſcripta habentis, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit, Paſtoralem curam, & adminiſtrationem illius Eccleſiæ plenariè committendo, eum Decreto, quod Præbendam Theologalem, & Pœnitentiariam, ac Seminarium ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini inſtituat, Montemque Pietatis erigi curet, ejus conſcientiam ſuper his onerando, abſolvens &c. eum clauſulis &c.

Ex Act. Autograph. Conſiſt. ab anno 1676. ad 1691. fol. 104.

DECRETO

Sac. Congregationis Rituum.

Aperitio duorum Proceſſuum, auctoritate ordinaria ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Servi Dei Fr. Franciſci à Præcepto, Emin. Card. Præfecto committitur.

Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fratris Franciſci à Præcepto, Sacerdotis Capucini.

SAcra Rituum Congregatio cenſuit poſſe committi Eminentiſsimo Domino Cardinali Præfecto aperitionem duorum Proceſſuum auctoritate Ordinaria conſtructorum in partibus, & in actis Congregationis ipſius ſub ſigillo conſignatorum ſuper aſſertis ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, & reſpectivè non cultu dicti Servi Dei, ſervatis ſervandis, ſi Sanctiſsimo Domino Noſtro placuerit, die 5. Auguſti 1690.

Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctiſsimo, Sanctitas Sua benignè annuit die ſeptima ejuſdem menſis & anni 1690.

Ex Regeſto Secret. menſ. & anni prædict. fol. 231.

NOTA

MOrtalis vitæ lucem prælibatus Dei Servus, Franciſcus, de quo omnem Ordinis hiſtoriam, mutam invenio, accepit 27. Februarii 1564. in Terra Ducatûs Ferentilli, *Pre-*

Precette nuncupata: ut morum innocentiam, quam in juventutis flore civili de Familia Romanella ortui conjunxerat, redderet illuſtriorem, Habitum noſtri Ordinis Peruſii in ætate 25. annorum aſſumpſit, votiſque Deo nuncupatis, virtutis omnis ſpecimen dedit. Sacerdos introivit Aſſiſii 1595. ad Altare Dei, & ad Deum, qui animam ejus mirificè lætificavit: Concionator Baptiſmum Pœnitentiæ, non verborum lenociniis, quæ aures titillant, ſed Apoſtolica libertate, quæ ſanat, prædicavit, & ideo, dum in juſtis legem excelſi ſervavit, plurimos à ſemita juſtitiæ aberrantes, ad agnitionem veritatis reduxit. Religioſus in perfectionis ſtadio ita cucurrit, ut virtutum omnium apicem attigiſſe videretur, & Ludovicus Jacobelli in ſua hiſtoria Umbriæ *tom. 3. fol. mihi* 417. eum Religioſum ſummæ perfectionis celebret. Mortificationem D. N. J. Chriſti ita in corpore ſuo portavit, ut vel à lectione vel auditu eorum, quibus hoc in ſervitutem redegit, nauſeabunda horreat natura. Servum ſuum earne mortificatum, & ſpiritu vivificatum Deus ampliſſimis gratiæ donis cumulavit; arcana enim cordium expoſuit, quaſi horum penetralia oculis inſpiceret: Signa & prodigia patravit, quæ non enarrare, ſed ſtupere oportet: alienatus à ſenſibus & in altum ſæpius raptus hauſit aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: his ut pleniùs ſatiaretur, vocatus eſt 6. Jan. 1645. ad fontem gloriæ, corporis farcinâ in Conventu S. Illuminatæ loci Ferentilli depoſitâ.

Provincia Umbriæ fœcunda Virorum virtute conſpicuorum Parens, ut merita hujus Servi Dei exaltet in exemplum, proceſſus de iis inſtitui curavit, paratque defacto pro publico typo ejus vitam, & ſi Deus conſilia illius ſecundet, aget, ut, qui S. Joſepho à Leoniſſa contemporaneus vixit, pari Altaris honore cum eo ſuo tempore fruatur.

De hoc Ven. Religioſo Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. *tom. 2. c. 1. f. 5.* hæc notat = *Supplicante P. Procuratore Generali Capucinorum pro facultate conſtruendi Proceſſus ſuper vita & miraculis Servi Dei F. Franciſci de Precetto, Sac. Congregatio die 22 Novemb.* 1687. *reſpondit, quod inſtaret coram Ordinario* = *Et fol. 13. ejuſdem tomi* addit = *Proceſſus ſubinde confectus fuit anno* 1688. *& ſequenti, à Vicario Generali Reverend: ſimi Capituli Lateranenſis, utpote, quod in Territorio Ferentilli plenam juriſdictionem habeat ſpiritualem.*

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Circa indulgentias in feſto Portiunculæ in Eccleſiis FF. Minorum toties quoties &c. acquirendas, ſolitum ſervari confirmatur.

Ordinis Sancti Franciſci.

POſt inſtitutum à S. Franciſco ſuum Ordinem Regularem, cum plures Perſonæ deſiderarent ei nomen dare, idque eſſet impoſſibile, vel ſaltem admodum difficile, ex quo nec domum aptam, nec Eccleſiam habebat, fuerunt à dicto Sancto exhibitæ preces Abbati Benedictino Montis Subaſii, qui eidem conceſſit parvam Eccleſiam Beatæ Virginis Angelorum *de Portiuncula* appellatam, uti habetur in celebri opere, cui titulus *Speculum vitæ S. Franciſci cap. 55.*, ibi: *fuit ergo ad Epiſcopum Aſſiſi, cui dixit Epiſcopus. Fratres, nullam Eccleſiam habeo, quam valeam vobis dare, & idem Canonici reſponderunt. Tunc ivit ad Abbatem S. Benedicti de Monte Subaſio. Abbas verò, habito conſilio cum Monachis, operante gratia, & voluntate Divina, conceſſit B. Franciſco, & Fratribus ſuis Eccleſiam S. Mariæ de Portiuncula.*

Acquiſitâ à S. Franciſco prædicta Eccleſia, idem Sanctus humillimè à Deo poſtulavit plenariam Indulgentiam pro illis, qui ſuorum peccatorum ex corde pœnitentes, præviâ confeſſione Sacramentali, eam viſitâſſent, & à Deo fuerunt ſui Servi præces exauditæ, ita tamen, ut indulgentiam poſtularet ab Honorio III. Summo Pontifice, qui anno 1223. perpetuam conceſſit Indulgentiam illis, qui poſt confeſſionem Sacramentalem parvam eam Eccleſiam viſitâſſent à Veſperis primi diei menſis Auguſti uſque ad Veſperas diei ſequentis, uti legitur in ſecundis lectionibus Breviarii Franciſcani pro die 2. Auguſti, ibi, *tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, conceſſit eam B. Franciſco plenariam quidem, & liberam, ac perpetuam, ſed unius duntaxat diei naturalis cujuſcunque anni, hoc eſt, à Veſperis Kalendarum Auguſti, uſque ad Veſperas ſequentis diei, qui eſt anniverſarius dies Conſecrationis ſupradictæ Eccleſiæ.*

Atque latiſſimè comprobatur ex teſtimonio Petri Calſanni, qui Sanctum Franciſcum prædicantem audivit, & dictam Indulgentiam publicantem, & duorum aliorum

rum Religioſorum, Benedicti videlicet, & Rainerii de Aretio, qui retulerunt anno 1277. ſe rem totam intellexiſſe à Patre Matthæo de Marignano, Socio S. Franciſci, quæ omnia continentur in antiquo monumento Bibliothecæ Colbertinæ edito *à Stephano Baluzio in Miſcell. lib. 4. pag.* 491. & concordant *Sancti Bernardinus Senenſis ſerm. 9. de cultu Sanctiſſimæ Trinitatis in Dominica Quadrageſimæ art. 2. c. 2. & Antoninus 3. part. hiſt. tit.* 24. *cap.* 7. §. 4. cum aliis probatis hiſtoricis, quos plena manu cumulavi in diſcurſu à me impreſſo primùm Romæ, & deinde Fulginei, & poſtmodum Venetiis anno 1720.

Tractu temporis pia quædam invaluit opinio, quod prædicta Indulgentia non eſſet reſtricta ad unam diem naturalem cujuſcunque anni, à Veſperis videlicet Kalendarum Auguſti ad Veſperas ſequentis diei; ex authentico quippe teſtimonio Maſſei Bardi Epiſcopi Cloſini deſumebatur, Summum Pontificem Paulum Papam III. anno 1544. dum in Civitate Perufina commorabatur, declarâſſe, quod Chriſtifideles Capellam Portiunculæ ingredientes qualibet die Indulgentiam conſequebantur, uti conſequebantur Kalendis Auguſti, quemadmodum plenè habetur in opere Octavii Epiſcopi Aſſiſienſis, cui titulus, *Lumi Serafici di Porziunculo*, quocirca appoſita fuit ſuper Cappella ſequens inſcriptio *Auguſti hic veniam dat tibi quæque dies*; At inſtituta formali diſputatione in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis, an ſæpe memorata Indulgentia eſſet revera reſtricta ad diem ſupra relatam, vel eſſet potius quotidiana, *die* 3. *Octobris* ſic reſponſum fuit = *facta relatione per P. Magiſtrum Bernardinum Ordinis Prædicatorum de juribus hinc inde deductis à Patribus Ordinis Minorum Conventualium, & Minorum de Obſervantia reſpectivè, ſuper prætenſa Indulgentia perpetua & quotidiana tanquam conceſſa à Paulo III. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Angelorum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, Eminentiſſimi Domini prædicti juribus viſis & auditis, dixerunt, ex hactenus deductis non conſtare de dicta Indulgentia quotidiana perpetua, & proinde abradendam, ſeu removendam eſſe inſcriptionem ſuper janua Capellæ Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum Aſſiſii, ſcilicet, Auguſti hic veniam dat tibi quæque dies*, & in hujus Decreti executionem abraſa prædicta inſcriptio, uti plenè refertur ex authenticis documentis in opere edito à Pompejo Binio anno 1721., cui titulus, *la verità ſcoperta tit. 6. §. 9.*, & licèt anno 1695. ſan. mem. Innocentius Papa XII. plenariam, & quotidianam conceſſerit Indulgentiam omnibus Chriſtifidelibus, qui pœnitentes & confeſſi, & ſacra Communione refecti viſitâſſent Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, & Eccleſiam S. Franciſci ſitam in Civitate Aſſiſienſi, *uti habetur in ejus Conſtitutione* 49. *& in ſequenti Conſtitutione* 50. *in ſuo parvo Bull.*, hæc nihilominus Indulgentia quotidiana plenaria, in pluribus differt ab Indulgentia Portiunculæ, uti latè oſtendi in citato diſcurſu §. 2. & à me allegato, proſequitur *Pompejus Binius cit. tit. 6. §. 11.*

Indulgentia Portiunculæ fuit à Summis Pontificibus extenſa ad omnes Eccleſias Fratrum, & Monialium Ordinis S. Franciſci, juxta Apoſtolicas Conſtitutiones relatas *apud Lantuſcam in Theatro Regularium verb. indulgentia, & apud Wadingum in Annal. ad annum* 1223. *num.* 3.; cumque pius mos inoleverit pluries ingrediendi, & viſitandi tam Capellam Portiunculæ, ſitam in Eccleſia S. Mariæ Angelorum, quàm reliquas Eccleſias Ordinis Fratrum S. Franciſci à Veſperis Kalendarum Auguſti uſque ad Veſperas ſequentis diei, ſub obtentu dictam Indulgentiam lucrificiendi quolibet ex dictis ingreſſibus, idque Epiſcopo Lubacenſi difficile viſum fuerit, ex quo Indulgentia conceſſa illis, qui aliquam Eccleſiam certis diebus viſitant, vel aliud pium opus peragunt, non acquiritur niſi ſemel duntaxat in die. Querelâ Epiſcopi delata ad hanc Sacram Congregationem *perpetuo Fratres Ordinis S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Carnioliæ Populo perſuadere Indulgentiam pro die* 2. *Auguſti de Portiuncula nuncupatam eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam, toties, quoties eadem die, lucrifieri poſſe*, Sacra hæc Congregatio die 17. Julii 1700. poſt auditas informationes Procuratoris Generalis, & Miniſtri Provincialis cenſuit *ſervandum eſſe ſolitum*.

Hiſce minimè obſtantibus, nonnulli Parochi tam publicè quàm privatim aſſerunt, ſæpe memoratam Portiunculæ Indulgentiam acquiri quidem à viſitantibus Eccleſias Ordinis S. Franciſci à Veſperis Kalendarum Auguſti ad Veſperas diei ſequentis, ſed ſemel tantùm in dicta die, ita ut toties repetitus eadem die acceſſus ad memoratas Eccleſias, & ingredientibus, & viſitantibus non proſit, ut pluries in eadem die Indulgentiam lucrentur, & hujus Sacræ Congregationis reſponſum, quo dictum fuit *ſervandum eſſe ſolitum*, ſic interpretantur, ut relationem habeat non ad acquiſitionem Indulgentiæ pro quolibet ingreſſu in Eccleſiam, ſed ad conſuetudinem, juxta quam non acquiritur, niſi ſemel duntaxat in die Indulgentia conceſſa viſitantibus certis diebus determinatam Eccleſiam, vel aliud opus pium peragentibus: cumque hæc interpreta-

tio

tio nimis abſona videatur Ordini S. Franciſci, tum quia Decretum de lucrifacienda ſemel duntaxat in die Indulgentia, conceſſa viſitantibus Eccleſiam certis diebus, editum fuit die 7. Martii 1678., & eo minimè obſtante Sacra hæc Congregatio noluit deferre quærimoniis Epiſcopi Lubacenſis, qui Patres Reformatos accuſaverat, quod falsò perſuaderent, Indulgentiam Portiunculæ poſſe lucrifieri à Chriſtifidelibus toties, quoties die 2. Auguſti ipſorum Eccleſiam viſitâſſent, uti colligitur ex Decreto ſuprà memorato, edito die 17. Julii 1700., tum quia cum Indulgentia Portiunculæ proſit etiam animabus Defunctorum, juxta litteras Apoſtolicas ſac. mem. Innocentii XI. impreſſas apud *Matthæac. in Official. Cartæ cap. 26. num 7.*, nihil prohibet, quin eadem Indulgentia pluries eadem die applicetur modò pro una, modò pro alia anima in Purgatorio exiſtente; hoc eſt, quod inſtante Procuratore Generali Ordinis S. Franciſci Minorum Obſervantium, ut aliquando diſſenſionibus finis imponatur, diſputandum in præſenti proponitur, & declarandum.

An Decretum hujus Sacræ Congregationis editum die 17. Julii 1700. quo dictum fuit ſervandum eſſe ſolitum, ita ſit intelligendum, ut Indulgentia Portiunculæ acquiri poſſit à Chriſtifidelibus à Veſperis Kalendarum Auguſti ad Veſperas diei ſequentis non ſemel, licèt pluries debitis intercedentibus requiſitis Eccleſias Ordinum S. Franciſci pluries viſitaverint, ſed toties quoties eoſdem Eccleſias dicta die debitis intercedentibus requiſitis viſitaverint?

Sacra Congregatio die 4. Decembris 1723. reſpondit Servetur ſolitum.

Ex theſauro reſolutionum S. Congreg. Concilii tom. 2. fol. 398.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

In cauſa Beatificationis &c. Ven. Dei Servi Fr. Raynerii de Burgo Sancti Sepulchri proceſſum Apoſtolicum de paritione Decretis ſan. me. Urbani VIII. in Civitate Tudertina confici committitur.

TUDERTINA

Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Raynerii de Burgo S. Sepulchri Ordinis Capucinorum.

AD effectum conſtruendi in Civitate Tudertina Proceſſum Apoſtolicum in cauſa Ven. Servi Dei Fr. Raynerii prædicti ſuper omnimoda paritione Decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſuper non cultu editis, Poſtulator hujuſmodi cauſæ pro conceſſione litterarum remiſſorialium Sac. Rituum Congregationi humillimè ſupplicavit; & Sacra eadem Congregatio petitas litteras poſſe concedi cenſuit, illaſque dirigi Epiſcopo Tudertino, ſive ejus Vicario Generali, cum clauſula tamen, ut idem Epiſcopus, vel eo legitimè impedito ſuus Vicarius Generalis cum omnibus & ſingulis facultatibus neceſſariis & opportunis, ac termino triennii ab infraſcripta die incipien. ad conſtructionem præfati Proceſſûs ſemper procedat & aſſiſtat, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 4. Julii 1733.

Factâ igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 7. ejuſdem menſis & anni 1733.

Ex Areh. Sac. Congreg. Rit. regeſto menſis & anni præd.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

Manuſcripta Ven. Servæ Dei Sororis Veronicæ de Julianis examinare, Eminentiſſimo Domino Cardinali de Gentilibus, cauſæ Beatificationis & Canonizationis Ponenti, committitur, cum facultate unum vel plures Theologos deputandi.

TIPHERNATEN.

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servæ Dei Sororis Veronicæ de Julianis, Monialis Capucinæ de Terra Mercatelli.

CUm tranſmiſſa jam fuerint ad Urbem per Judices delegatos omnia & ſingula Opuſcula, & Manuſcripta Servæ Dei Sororis Veronicæ de Julianis prædictæ unà cum Pro-

Proceſſiculis pro eorum perquiſitione conſtructis. Cumque modò juxta diſpoſitionem Decretorum Generalium ſan. mem. Urbani Papæ VIII. prædicta omnia reviſioni, & examini ſubjici debeant, priuſquàm procedi valeat ad Signaturam commiſſionis introductionis Cauſæ, Poſtulatores ejuſdem Sacræ Rituum Congregationi demiſsè ſupplicârunt, quatenus ejuſmodi examen Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali de Gentilibus Ponenti etiam cum facultate deputandi unum, ſeu plures Reviſores Theologos Eminentiæ ſuæ beneviſos benignè committere dignaretur. Et Sacra eadem Congregatio Oratorum Inſtantiæ juxta petita annui poſſe cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 11. Julii 1739.

Factâque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro Relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 14. ejuſdem menſis, & Anni 1739.

Ex Arch. Secret. Congreg. menſ., & anni præd. fol. 205. Vide & alia Decreta infrà in fine hujus tertiæ partis.

Fr. Bonaventuram Barberinum, Archiepiſcopum Eccleſię Ferrariæ præficit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio Bonaventuræ Barberini, Electo Ferrarien. ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente Clementia, cujus inſcrutabili Providentia &c. *reliqua uti tom 1. fol. 216.*

Poſtmodum verò Archiepiſcopalis Eccleſia Ferrarienſis, cujus dilectus Filius noſter Raynerius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Ilcio nuncupatus, ultimus illius Archiepiſcopus præſidebat, ex eo, quod dictus Raynerius Cardinalis regimini & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Ferrarien. in manibus noſtris ſponte & liberè ceſſit, Noſque ceſſionem hujuſmodi duximus admittendam, per ceſſionem eandem apud dictam Sedem Paſtoris ſolatio deſtituta Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & feliicem, in qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum Ven. Fratribus noſtris ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad Te Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francifci Capucinorum nuncupat. expreſsè profeſſum, de legitimo Matrimonio, & catholicis honeſtiſque Parentibus Ferrariæ natum, ætatis tuæ annorum ſexaginta ſex, à pluribus annis Presbyterum, qui in muneribus primum Lectoris Philoſophiæ, & Theologiæ, deindeque Definitoris Generalis, Provincialis Provinciæ Bonnonienſis, & Concionatoris Apoſtolici per viginti octo annos, necnon Miniſtri Generalis totius Ordinis prædicti Te geſſiſti, & ad præſens Epiſcoporum Examinator, necnon Congregationum eorundem Fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum & Rituum Conſultor exiſtis, quique Fidem Catholicam juxta articulos jam pridem à Sede Apoſtolica propoſitas expreſsè profeſſus es, & de cujus vitæ munditia, *uti in ſuperius cit. loco.*

Quocirca dilectis Filiis, Capitulo & Vaſallis dictæ Eccleſiæ Ferrarien. ac Clero & populo Civitatis & Diœceſis Ferrarienſis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum Tibi tanquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes exhibeant Tibi obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ac Clerus Te pro noſtra & Sedis Apoſtolicæ reverentia benignè recipientes, & honorificè pertractantes tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter & efficaciter adimplere procurent: Populus verò Te tanquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devotè ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant, ita quod Tu in eis devotionis Filios, & ipſi in Te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis: Vaſalli autem prædicti Te debito honore proſequentes Tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia & jura Tibi ab eis debita integrè exhibere ſtudeant, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam ritè tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus authore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo, ſexto decimo Kal. Octob. Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Exempl. in Arch. Ordinis.

Eidem

Eidem Archiepiſcopo, in Prælatum Domeſticum, & Solio Pontificio Aſſiſtentem aſſumpto ſolita privilegia impertitur.

Venerabili Fratri, Bonaventuræ, Archiepiſcopo Ferrarien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CIrcumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia &c. *Reſiduum & magis neceſſarium vide t. 1. f. 217.*

Exemplar manuſcriptum integrum in Archivo Ordinis.

NOTA

EA, quæ venerandæ memoriæ dignifſimus Vir, Bonaventura Ferrarienſis ceu Capucinus egit, Lector ſynopticè *tom. 1. Bull. fol.* 195. reperit, illa verò, quæ Patriæ Archiepiſcopus geſſit, ac alia, quæ poſt mortem operatus eſt, ductus calamus ſuſè pro typo jam paravit.

Thomam, Epiſcopum Oſtienſem & Veliternenſem, S. R. E. Cardinalem Ruffum, Sacri Collegii Decanum &c. Ordinis Protectorem declarat.

A tergo. *Venerabili Fratri noſtro, Thomæ, Epiſcopo Oſtien. & Veliternen. S. R. E. Cardinali Ruffo nuncupato, Sacri Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decano.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm per obitum bon. mem. Bartholomæi, dum vixit S. R. E. Cardinalis Ruſpoli nuncup. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris &c. *reſiduum vide tomo 1. fol. 213.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die prima Julii MDCCXLI. Pontificatûs noſtri Anno Primo,

NOTA

PErdidit Ordo noſter die 16. Februarii currentis anni in Eminentiſſimo Domino Thoma Ruffo, Sacri Collegii Decano, Cameræ Apoſtolicæ Vice-Cancellario, ac Summiſta &c. ſuum Protectorem, cujus Acta & honores, quos ſplendidè ſemper geſſit, & virtutis gravitate conſummavit, privata mea laudatione non indigent, cum ſpartam hanc jam alii Scriptores adornârint, præſertim Illuſtriſs. & Reverendiſs. Præſul Marius Guarnaccius *in hiſtor. Pontif. & Cardinal. tom. 11. pag. 75. & ſeq.* celebri ſuo calamo id perfecit, dum ibi de vivente tunc D. Cardinale inter alia hæc memorat = *tonta in Orbe Chriſtiano, & apud Purpuratos Patres poſtea exiſtimatione, ut in duobus hiſce poſtremis conclavibus fere Summus Pontifex viſus fuerit.* Nec decerunt & alii, qui magnanima illius geſta in litteras & poſteritatis memoriam ſuſiùs referre ſatagent; hinc officio meo affatim ſatisfactum ſore reor, ſi pro parte Ordinis ad glorioſum Eminentiſſimæ Umbræ marmor in æviternæ gratitudinis monumentum anathêma ſuſpendo obligatæ confeſſionis, quod videlicet in Eminentiſſimo Thoma Ruffo æquè ſagaciſſimum habuerit Protectorem, ac munificentiſſimum Benefactorem.

Fratres in locis, ubi nullus Conventus, Hoſpitium ſeu Ordinis Sacerdos reperitur, Sacerdoti Sæculari vel Regulari approbato confiteri debere, ac ab eo, etiam à caſibus Ordini reſervatis, cum obligatione tamen denuo & ſtatim ſe coram ſuo Superiore præſentandi, abſolvi decernit, ac mandat, & ſtatuta ac privilegia deſuper edita infirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUod communi auctoritatis juri innixum in Religioſis Familiis, etiam per peculiares Generalium Comitiorum ſanctiones in aliquibus Ordinibus præceptum ſtatutumque eſt, ut nimirum Alumni cujuslibet Inſtituti peccata ſua non niſi ejuſdem dumtaxat Religionis Confeſſariis, quibus utpote omnium rerum in ipſa Religione ſervandarum cavendarumve notitiâ inſtructis facilius eſt pro culpis ſalutare adhibere reme-

remedium, confiteri teneantur: illud, etſi aliquo pacto tamquam neceſſarium & laudabile, ac propterea ab Apoſtolica hac Sancta Sede fortaſſe aliàs confirmatum, etiamnum ſervatur, ea tamen ſecum afferre incomoda, propter quæ non ſine aut conſcientiæ angore aut populorum offenſione adimpleri non poſſe, aliàs nonnulli Fratrum præſertim Ordinum Prædicatorum, Minorum Sancti Franciſci, aliorumque Superiores ſeriò cogitantes, ſuper hujuſmodi Statutis Ordinum ſuorum diſpenſationem ab eadem Apoſtolica Sede ſibi impertiendam curârunt. Quoniam autem, ſicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum idem quoque Statutum à Diffinitorio generali jamdudum editum, & in pluribus Capitulis generalibus dicti Ordinis comprobatum, eâ, qua decet, obſervantiâ viget atque exigitur; ut nemo Frater expreſsè profeſſus Ordinis præfati ſive Presbyter, ſive Laicus fuerit, ſive iter agens, ſive alicubi quocumque pacto, de ſuorum Superiorum tamen licentia commorans, etiamſi ad prædicandum Verbum Dei tam Adventûs quàm Quadrageſimæ temporibus, & ad Sacras Miſſiones quoque perrexerit, nemini, niſi ſui Ordinis Fratri Confeſſario per ſuum Superiorem ad Confeſſiones audiendas approbato, peccata ſua confiteri, ab eoque Sacramentalem Abſolutionem obtinere licitè & validè poſſit: Hinc eſt, quod Nos, qui licet ejuſdem Ordinis Alumnos propter ſeveriuris diſciplinæ cultum, ſummam animi demiſſionem, arctiſſimam paupertatem, & inſignem in pietate, doctrinis diſcipliniſque laudem plurimi facere pergimus, & paternæ benignitatis teſtimoniis complectimur, tamen ſcientes de mundano pulvere religioſa etiam corda ſordeſcere, nec ad ſuſceptum religioſæ vitæ inſtitutum proficere, quinimo plurimum obeſſe, ut iidem Alumni, ac præcipuè prædicationi Verbi Dei, ſacriſque Miſſionibus addicti, à ſuis Conventibus quacumque de legitima cauſa & longè & diu abſentes, ob Confeſſarii defectum vel à faciendo Sacro, aut Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento percipiendo, non ſine populorum, quibuſcum interea temporis converſantur, ſcandalo abſtineant, vel ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrandum, aut Angelorum panem ſumendum, ne ſcandalum oboriatur, cum conſcientiæ angore accedant; hiſce malis opportunum Apoſtolicæ providentiæ noſtræ remedium afferre cupientes, motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac prævia cujuſcumque Statuti, ſen Decreti, ut præmittitur, à generali Diffinitorio editi, & per generalia dicti Ordinis Capitula approbati, etiam ab Apoſtolica Sede præfata confirmati revocatione, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & mandamus, ut quilibet ex Fratribus dicti Ordinis, ſive in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutus, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, dignitatis & conditionis, ſive Laicus, ſeu Converſus fuerit, qui de Superiorum ſuorum licentia quacumque de legitima cauſa, titulo & occaſione ſive prædicandi Verbum Dei quocumque tempore, ſive ſacras Miſſiones peragendi, ſive iter agendi, & alicubi commorandi, ubi nullus Conventus ſeu Hoſpitium, nulluſque Frater dicti Ordinis Confeſſarius reperitur, liberè & licitè poſſit ac valeat quemlibet Presbyterum Sæcularem ab Ordinario Loci, vel Regularem à ſuo Superiore Regulari ad Sacramentales Confeſſiones excipiendas approbatum adire, eique peccata ſua confiteri, atque ab ipſo obtinere ſacramentalem abſolutionem, etiam quoad caſus, per Conſtitutiones & Statuta Regularia dicti Ordinis reſervatos, incurſaſque proinde cenſuras, recepta ſalutari pœnitentia, præſtitaque obligatione ſe ſtatim, quoad ipſi permiſſum fuerit, coram ſuo Regulari Superiore præſentandi, ac de novo ſuper caſibus & cenſuris hujuſmodi abſolutionem impetrandi. Decernentes eaſdem præſentes Literas &c. ſicque in præmiſſis &c. ac irritum & inane &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis &c. Quibus omnibus & ſingulis &c. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis ſeu exemplis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX. menſis Martii MDCCXLII. Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Ex Bull. Bened. XIV. tom. 1. fol. 144.

Officium Concionatoris in Palatio Apoſtolico uni ex Fratribus noſtri Ordinis perpetuis futuris temporibus committi decernit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INclytum Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Ordinem, dum in Minoribus quidem eſſemus, eâ, qua par erat, veneratione proſequebamur, in hac verò Sanctiſſimi Apoſtolatûs ſpecula con-

conſtituti, majoribus Apoſtolicæ noſtræ charitatis, benignitatiſque teſtimoniis complecti geſtimus, conſiderantes maximè, quanta, & quàm luculenta Chriſtianæ pietatis, & religioſæ perfectionis exempla, cum ſacrarum doctrinarum ſplendore, atque æterna Animarum ſalute conjuncta ab initio in Catholica Eccleſia, ita in dies proferant religioſiſſimi illius Ordinis Alumni, ut nihil Orthodoxos, Acatholicoſque viciſſim vehementius perſtringat, & ad ſaniorem mentem reducat, quàm celeberrimi Inſtituti inita eum auſterioris vitæ ſanctimonia ratio, & Chriſtianarum virtutum ſemita prius per eoſdem Alumnos, quàm diutiſſime trita, deinde aliis exemplo, & verbo indicata. Eapropter accedentes Nos ad audiendum Verbum Dei, quod in Apoſtolico Palatio ſtatis temporibus prædicari ſolet, tunc temporis maximopere laudabamus ſapientiſſimum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conſilium, qui ex hoc potiſſimum Ordine Prædicatores ad hujuſmodi officium adſciſcere conſueviſſent; Ex illo enim, non tam majorum noſtrorum, quàm noſtra etiam memoriâ prodierunt inſignes Verbi Dei Præcones, quorum etiam in præſentia quamplurimi ubique per Catholicum Orbem commendantur. Inter alios verò, qui præclaras Concionatoris in Palatio Apoſtolico partes, ſumma cum nominis laude, expleverunt, præter Venerabilem Fratrem Bonaventuram, Ferrariæ Archiepiſcopum, à Nobis, dum in minoribus pariter eſſemus, cum voluptate diu auditum, ac tantopere probatum, duo etiam in Sacrum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium adlecti fuerunt, Anſelmus à Monopoli, & Franciſcus Maria ab Aretio. His ſanè, aliiſque animum noſtrum moventibus, atque ex eo etiam adducti, quod in hac Alma Urbe noſtra alia Officia, atque Miniſteria aliis nonnullorum Religioſorum Ordinum Alumnis ità addicta in perpetuum ſunt, ut munera hujuſmodi, tamquam ſibi debita vindicantes Ordinum Superiores, quò laudabilius obeantur, optimum quemque ſuorum omni ſtudio, atque cura conquirant, confidimus fore, ut imposterum, quemadmodum hactenus, benedicente Domino, factum eſt, ex memorato Capucinorum Ordine eximii in Apoſtolico Palatio Concionatores habeantur. Itaque, Motu proprio, non ad alicujus Nobis, ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ac certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus Officium prædictum Concionatoris Apoſtolici, alicui dicti Ordinis Minorum Capucinorum Profeſſori, committi, concedi, & aſſignari debeat. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore, quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis Capucinorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Martii MDCCXLIII. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ex Bull. & tomo prad. fol. 243.

NOTA

VIx à Summo Pontifice Ordinem noſtrum peculiariſſimâ hac gratia decoratum, & diſtinctum fuiſſe Fr. Bonaventuræ, Arebiepiſcopo Patriæ innotuerat, partium ſuarum eſſe cenſuit, tum pro gratia totum Ordinem tangente, tum pro præconio & memoria de illius Perſona in Apoſtolico Brevi facta gratum animum per litteras conteſtari, ad quas Sanctiſſimus laudem Ordinis & Archiepiſcopi iterando, reſpondere dignatus eſt; ut ſequitur:

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabili Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Religio Capucinorum omnia meretur, cum ſit unicum exemplar, quod hodiedum de perfectione Evangelica remanet. Abundat illuſtribus Concionatoribus, & meliùs in ore Capucini, quàm cujuſcumque alterius, ſonant veritates, quæ ex Pulpito Papæ, Cardinalibus, & Prælatis annunciari debent. Noſter & modernus Ferrariæ Archiepiſcopus per multos annos hoc officium adimplevit perfectè, & illud dimittendo, ſubſtituit Religioſum, qui ſuas partes laudabiliter exequitur. Hæc ſunt motiva, quæ ad faciendum id, quod fecimus, Nos induxerunt. Hinc excluſo gratiarum actionis titulo, tum Religio Capucina, tum Dilectus Ferrariæ Archiepiſcopus pro Nobis Deum exorent, dum Nos illi & huic paterno affectu Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXVI. *Martii* MDCCLIII. *Pontificatûs noſtri Anno Tertio.*

A tergo. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Ferrarienſi.

Originale in Archivo Ordinis.

Indulgentias Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Tertiariis Sæcularibus Capucinis aliàs conceſſas revocat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex pacis, juſtitiæque præcipuus auctor & conſervator, nonnunquam ad importunorum petentium inſtantiam ad quaſdam concedendas gratias deflectitur, quæ poſtmodum rationabilibus ſuadentibus cauſis, præſertim cum in Divini cultûs detrimentum cedere comperit, revocat, caſſat, & annullat, ac aliàs ad æquitatis & juſtitiæ prædictæ ſemitas reducit, prout rerum, & temporum, ac perſonarum, & locorum conditionibus, & qualitibus diligenter penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Nuper pro parte dilecti filii, Vincentii à Conceptione Fratris expreſsè profeſſi, ac Procuratoris Generalis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. Congregationis Hiſpaniæ, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſitorum expoſito, quod aliàs fel. rec. Clemens Papa XII. prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XIII. Martii MDCCXXXVI. expeditas litteras, inſtante dilecto quoque filio, Bonaventura à Ferraria, tunc temporis Miniſtro Generali Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupator. tendentibus etiam in id precibus dilecti pariter filii, Ludovici Benzoni, Prioris Generalis tunc pariter exiſtentis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo conceſſerat, ut omnes utriuſque ſexûs Chriſtifideles ubicunque exiſtentes, tam intra, quàm extra clauſtra degentes, etiam conjugati, qui ſub Regula Tertii Ordinis ejuſdem S. Franciſci militant, & ſub juriſdictione pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis ſecundò dicti Ordinis reperiuntur, omnibus & quibuſcunque Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus ab hac Sancta Apoſtolica Sede conceſſis & concedendis, & quibus Confratres & Conſorores Confraternitatis ſub invocatione Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quædam ſibi injuncta opera adimplentes gaudent, gaudere poſſent, & aliàs, prout in ipſius Clementis prædeceſſoris litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod occaſione promulgandi communicationem ſeu conceſſionem Indulgentiarum hujuſmodi multæ, in Hiſpaniarum præſertim Regnis, obortæ diſſenſiones, multaque jurgia ex eo excitata fuerant, & inpoſterum excitari poterunt, quippe quia FF. Capucini prædicti, ab adimplemento piorum operum Confratribus & Conſororibus Confraternitatum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo hujuſmodi, pro aſſequendis Indulgentiis illis conceſſis injunctorum, proprios Tertiarios abſolutos eſſe divulgabant; ideoque cultus erga Glorioſiſſimam Dei Genitricem Mariam de Monte Carmelo, ipſiuſque celebres Confraternitates neceſſariò minui videbatur, ac propterea ad hujuſmodi tollenda inconvenientia, ac jurgia deinceps eventura, diſſenſionesque componendas, prædictus Vincentius Procurator

rator Generalis plurimùm deſiderabat, ut vel prædictæ Clementis prædeceſſoris litteræ revocarentur, vel illæ ſaltem moderarentur, vel opera pia Confratribus & Conſororibus Confraternitatum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ad effectum conſequendi Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes injuncta, Tertiariis etiam dicti Ordinis S. Franciſci injungerentur. Eadem Cardinalium Congregatio audito prius dilecto quoque filio, Sigiſmundo à Ferraria, moderno ſecundò dicti Ordinis FF. Capucinorum Procuratore Generali, qui prædictarum litterarum potius revocationi, quàm novæ cujuſcunque oneris piorum operum impoſitioni adhæret, juribuſque ab utraque parte deductis diligenterque perpenſis die XIX. Decembris proximè præteriti cenſuit, Nobis eſſe ſupplicandum pro revocatione ſupradictarum Clementis prædeceſſoris litterarum. Nobis propterea dictus Vincentius Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Vincentium Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſitorum conſilio, memoratas Clementis prædeceſſoris litteras, communicationem Indulgentiarum Confratribus & Conſororibus Beatæ Mariæ de Monte Carmelo conceſſarum & concedendarum, ad favorem Tertiariorum Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum continentes, cum omnibus & ſingulis in dictis litteris contentis, & inde ſecutis quibuſcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque & effectu penitus & omnino vacuamus, & vacuatas eſſe volumus & decernimus, Decretumque memoratæ Congregationis Cardinalium die XIX. Decembris proximè præteriti, ut præfertur editum, & à Nobis die XI. Januarii nuper elapſi, prævia illius relatione per memoratæ Congregationis Cardinalium Secretarium facta, approbatum, auctoritate & tenore prædictis, quatenus opus ſit, de novo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes ipſas præſentes litteras &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis &c. expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis &c. ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XII. Martii MDCCXLIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Ex Bullario BENEDICTI XIV. tomo primo pag. 317.

Fr. Paulum Franciſcum Juſtiniani, Venetum, Eccleſiæ Clodienſis Pontificatu inſignit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio, Paulo Franciſco Juſtiniani, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs officium meritis licet impariibus Nobis ex alto commiſſum *reſiduum vide tomo* 1. *pag.* 197. *præter ea, quæ ſequuntur diſtincta.* Poſtmodum verò Eccleſia Clodien. per liberam dimiſſionem Venerabilis Fratris noſtri, Joannis Mariæ Benzoni, nuper Epiſcopi Clodienſis de illa, illiuſque regimine & adminiſtratione in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eamdem Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem —— intendentes, ad Te Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſum de legitimo Matrimonio ex Catholicis, nobilibuſque Parentibus Venetiis ortum in trigeſimo tuæ ætatis anno nondum conſtitutum & à pluribus annis Presbyterum —— direximus oculos mentis noſtræ &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, decimo ſeptimo Kalendas Julii Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Exempl. in Arch. Ordinis.

Eun-

Eundem Prælatum ſuum Domeſticum, & Solio Pontificio Aſſiſtentem cum ſolitis prærogativis & indultis declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CIreumſpecta Romani Pontificis, gratiarum Diſpenſatoris. *Reliqua & magis opportuna vide tom. 1. fol. 217.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die primâ Julii MDCCXLIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

NOTA

VIri Juſtiniani ſecundùm illud Eccleſ. 44. 7. *in generationibus gentis gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Præter Nepotes enim ſago togaque ſemper claros numerat fœcunda hæc Heroum ſtirps ſanctitatis quoque gloria conſpicuos, numerat Beatum Nicolaum Juſtiniani, Benedictinum, in hiſtoria celebrem, Beatum Paulum Juſtiniani, Inſtitutorem Camaldulenſium Congregationis Montis Coronæ, Sanctum Laurentium Juſtiniani, Patriarcham &c.

Rectâ ex hac illuſtri progenie deſcendit lineâ Præſul ſuprà dictus, cum Patrem habeat Excellentiſſimum D. Marcum Juſtiniani, Senatorem, ac S. Marci Procuratorem &c. Nec minorem ſplendorem, trahit à Matre, Excellentiſſima Domina Eliſabetha, Prole Gentis Maurocenæ (vulgò Moroſini,) & Regis connubio, ac Magiſtratu Sereniſſimæ Patriæ notiſſimæ. Cooptatus inter noſtrates Paulus Franciſcus avito ſplendori adjecit virtutis claritatem, & divitem ingenii ſui facultatem felici adauxit doctrinâ. Paradigma hujus dedit, dum Romæ in noſtro Conventu publicam Theologiæ luctam inivit, & theſes propugnavit, Eminentiſſimo, D. Bartholomæo Cardinali Ruſpoli, Ordinis noſtri Protectori nuncupatas. Reverſus ad nativam Provinciam conſentiente Sacra Congregatione Epiſcop. & Regul. ac approbante Excellentiſſimo Senatu ad Regiam Byzantinam Sereniſſimæ Reipublicæ Balivum ſeu Legatum ceu Theologus & Miſſionarius comitatus eſt; inde redux Antiſtes Eccleſiæ Clodienſis deſtinatus, & Romæ ab ipſo Summo Pontifice BENEDICTO XIV. in noſtri Conventûs Eccleſia conſecratus eſt. Paucis annis Eccleſia Clodienſis illius Pontificio gaviſa eſt, cum 16. Novembris 1750. ad Tarviſinam fuerit transiatus, ubi adhuc paſtorali cura conſervat legem excelſi, & Parentes ſanctæ generationis in ſemita virtutis ſectatur &c.

DECRETO

Sacræ Congregationis Indulgentiarum.

Privilegium altaris pro Miſſis juxta Ordinis ſtatuta pro defunctis Fratribus celebrandis, nec non pro aliis tribus, pro defuncto Summo Pontifice, Principibus &c. perſolvendis aliàs conceſſum, ad Miſſam quoque pro defunctis Fratrum Parentibus celebrandam extenditur.

Ordinis Minorum Capucinorum.

CUm Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS PP. XIV. ſub die 15. Julii 1742., ut Miſſæ, quæ juxta Conſtitutiones Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. ab ejuſdem Sacerdotibus in obitu cujuslibet Sacerdotis, vel Clerici, aut Laici Ordinis hujuſmodi ab hac luce migrantis, vel aliâ die celebrantur, ad quodcumque Altare Eccleſiarum ejuſdem Ordinis tam erectarum, quàm imposterum erigendarum celebrantur, perinde ſuffragentur, ac ſi ad Altare privilegiatum celebratæ ſuiſſent, in perpetuum conceſſerit; ac inde hujuſmodi Indultum ſub die 19. Septembris ejuſdem Anni ad tres Miſſas, quas ſinguli Sacerdotes prædicti Ordinis pro Animâ cujuſcumque Summi Pontificis, & Cardinalis Protectoris, ac Imperatoris, atque Regis, nec non illorum, qui Superiores majores ejuſdem Ordinis ſuêre, qui è vivis deceſſerint, celebrare ſolent, benignè extenderit. Demum ſupplicante Procuratore Generali ipſiuſmet Ordinis eamdem gratiam etiam ad unam Miſſam, quæ à Sacerdotibus Ordinis hujuſmodi pro Animâ ſuorum reſpectivè Parentum ab hac vitâ migrantium celebratur, extendi, ac hujuſmodi precibus Sacræ Congregationi Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ relatis, eadem Sacra Congregatio die 13. Julii 1745. idem Indultum etiam pro unicâ hujuſmodi Miſſâ ad quodlibet Altare Eccleſiarum dicti Ordinis in perpetuum concedendum eſſe cenſuit. De quibus factâ

per

per me infraſcriptum Secretarium die vigeſimâ primâ ejuſdem Menſis Sanctiſſimo Domino relatione Sanctitas Sua benignè annuit.

Autograph. in Arch. Procuræ generalit.

Fr. Auguſtinum Mariam à Lugano Eccleſiæ Comenſis Præſulem renuntiat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio, Auguſtino Mariæ Nevroni, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatûs officium &c. *reſiduum vide tom.* 1. *fol.* 197.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, decimo octavo Kalendas Julii Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Exempl. in Arch. Ordinis.

Eundem Prælati Domeſtici, & Solio Pontificio Aſſiſtentis honore eum ſolitis Privilegiis honeſtat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicum Benedictionem.

CIrcumſpecta Romani Pontificis, gratiarum diſpenſatoris &c. *reſiduum vide tomo* 1. *fol.* 217.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCXLVI. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Exempl. in Arch. Ord.

N O T A

ACtum eſt de digniſſimo hoc Præſule *tom.* 2. *Bull. fol.* 344. ibique per tranſentam fuêre recenſita illius merita, quibus ſibi viam ad Sacerdotium magnum ſtravit. Quæ autem in hoc gloriosè gerit, alius ſuo tempore in ædificationem enarrabit typus.

Beatum Fidelem à Sigmaringa, Miſſionis Apoſtolicæ in Rhetia Præfectum, ac Sac. Congregationis de Propaganda Fide Protomartyrem, Sanctorum Martyrum Catalogo à ſe adſcriptum promulgat.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

VInea electa, quam plantavit dextera Domini, cujus unica vitis Chriſtus, tot autem palmites, quotquot in Chriſto radicati Fideles interiori gaudent ipſius vivificæ nutritionis illapſu, providam circa ſe cœleſtis Agricolæ curam, & ſollicitudinem in eo potiſſimum experitur, quod omnes palmites non ferentes fructum, juſto judicii rigore ſuecidi & tolli; fructiferos verò atque feraces, ut fructum plus afferant, ſalubri ac piâ ſeveritate purgari, nunc quidem occultè perſentit, nunc autem apertiùs, atque evidentiùs agnoſcit. Hanc ſanè æquabilem Divinæ ſimul juſtitiæ bonitatiſque rationem manifeſtè agnoſcimus in præclaro Beati Martyris Fidelis certamine; in quo & deteſtantes miramur eorum duritiam cordis, obcœcatamque ſævitiam, qui à felici, qua portabantur, radice, ſuâ culpâ ſemel exciſi, oblatam ſibi à Domino pacem & gratiam pervicaciter repulerunt, Angelum verò pacis, evangeliſantem ſibi bona, apprehenſum & cæſum occiderunt; & illius triumpho plaudentes gratulamur, qui in Dei & Eccleſiæ charitate fundatus, poſt multos bonorum operum fructus, animam demum ac vitam ſuam, oblationem acceptam Domino meruit exhibere. Sicut enim illi veſano erroris ſpiritu in furorem acti, & ſanguinem juſti per ſummum ſcelus effundentes, ſatis declarârunt, nequaquam ſe ad Regnum dilectionis Filii Dei pertinere, ita dum glorioſus Martyr pro Catholicorum Dogmatum integritate, & errantium proximorum ſalute, perpetuos labores, ærumnas, pericula, mortem denique ipſam fortiter ſubiit, profectò vitam ſuam, non tam inimicorum ferro præciſam amiſiſſe, quàm veluti maturum cœleſtibus horreis fructum, in manus Dei depoſuiſſe dicendus eſt.

Hunc itaque Beatum Virum, Catholicæ Fidei præconem, adſertorem, Martyrem, ſolemni judicio Noſtro, cum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, plurimorumque Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum

Romæ

Romæ congregatorum consilio, & assensu, agnitum atque probatum, Apostolica auctoritate, humilitati Nostræ divinitùs concessa, universæ Ecclesiæ Dei colendum, & venerandum proponimus: Qui Sigmaringæ Constantiensis Diœcesis in Svevia Oppidi, honesta Rojorum stirpe, Catholicis piisque parentibus ortus anno Domini MDLXXVII. & salutari lavacro tempestivè regeneratus, innocenter exactâ pueritia, & sequenti ætate in honestissimarum disciplinarum, & scientiarum studiis cum laode transactâ, nobilibus deinde Adolescentibus Italiam, Galliamque peragrantibus comes & gubernator datus, sex fermè annorum spatio, tum eorum, tum propriæ eruditioni & virtuti promovendæ, sedulam navavit operam. Mox utriusque juris lauream Friburgi adeptus, Advocati munus Ensishemii in Alsatia professus est. Verùm, quum ipsius animus desideriis sæcularibus neutiquam inhærens, ad Christianæ perfectionis studium interiori Dei voce traheretur; turbulentas Fori controversias, atque suspecta negotia citò dimisit, seque Divinis obsequiis plenissimè dedicaturus, Sacris simul Ordinibus initiari, & in religiosam Familiam Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum admitti postulavit. Utriusque voti compos effectus, post primum Missæ Sacrificium die Festo ejusdem S. Francisci religiosissimè peractum, arctioris Instituti Habitum atque rationem, novumque FIDELIS nomen (quum antea Marcus vocaretur) velut in auspicium præclaræ Fidei, quam Deo & Ecclesiæ usque ad mortem præstiturus erat, assumpsit.

Evangelicæ paupertatis, continentiæ, obedientiæque vota, ad quæ toto constituti Tyrocinii decursu, omnium virtutum exercitatione se comparaverat, eo spiritu emisit, ut semper hoc ipsum inter maxima ergà se Divinæ largitatis beneficia commemoraverit, quod ad ea profitenda vocatus fuerit, & admissus. Quare de ipsorum implemento omni ex parte sollicitus, & quum privatam in Cœnobio vitam ageret, Regularis vitæ disciplinam summo studio atque humilitate servavit; & quum deinceps, ex obedientia, Conventûs Veldkirchiensis regimini diu præfuit, consummatum se perfectionis Magistrum aliis etiam exhibuit; pro Dei gloria, & animarum salute zelo flagrans, in exhortandis ad pietatem & concordiam Fratribus alacer, in corripiendis cum mansuetudine potens, in obeundis pro subditorum cura & levamine abiectis quibuscumque ministeriis laboriosus & humilis. De sua verò perfectione & salute super omnia sollicitus, assiduus fuit in rerum Divinarum meditatione; Ideoque cæteris, post nocturna precum & laudationum officia è Choro discedentibus, ipse in Ecclesia flexis genibus coram Sanctissimo Sacramento ad auroram usque in oratione Dei perseverare consuevit. Insuper, præscripta Horarum Canonicarum psalmodia minimè contentus, duo alia Officia, nimirum de Beatissima Virgine Maria, & de S. Francisco, Patriarcha suo, quotidie recitabat. Quod autem sæpe à Domino flagitabat, ut sibi daretur vitam ab omni peccati labe immunem traducere, id, ut securiùs obtinere mereretur, corpus suum ciliciis aliisque voluntariis castigationibus afflictum perpetuâ fere inediâ extenuabat, non ea tantum jejunia exactissimè observans, quæ ex legibus sui Ordinis maximam anni partem comprehendere dignoscuntur, sed iis etiam id ultro adjiciens, ut solemnibus Adventûs & Quadragesimæ jejuniis, & Sanctorum quorundam pervigiliis à quocumque ubsonio abstineret, tum reliquis omnibus per annum Secundis, Quartis, & Sextis Feriis, solis leguminibus victitaret: In Deiparæ verò, & Sanctorum Ordinis Sancti Francisci pervigiliis, pane tantummodo & aqua vesceretur, nec nisi sub vesperam plerumque cibo sese reficeret. Somno tandem ita parco utebatur, ut tribus, aut quatuor ad summum horis dormiendo transactis, reliquam noctis partem orationi, lectioni, scribendisque concionibus tribueret.

Quæ quidem, atque alia plura interiorum virtutum exercitia, quum FIDELI Dei Servo assidua & perpetua fuisse, probatum fuerit; mirari satis non potuimus, quomodo idem, dilatatis charitatis suæ spatiis, adeo se totum proximorum saluti promovendæ tradiderit, ut quasi nil aliud egisse, nil aliud cogitâsse toto vitæ suæ tempore videatur. Quum enim à primis usque Religiosæ professionis annis, exacto Theologiæ curriculo, Sacramentalibus Fidelium Confessionibus excipiendis, & Prædicationi verbi Dei operam dare jussus fuerit, difficile dictu est, qua diligentia & labore, qua libertate ac zelo, qua contentione, quo fructu, eximias hasce Sacerdotalis officii partes omni tempore impleverit. Omnia vitiorum genera, pravas omnes consuetudines, immaculatis Christianæ sanctimoniæ legibus adversantes, quâ fidelibus exhortationibus, quâ liberiori voce, & mirabili quadam eloquentiæ vi insectatus, novos populo mores induxisse visus est. Præcipuam verò curam studiumque adhibuit in investigandis Hæreticorum impietatibus ac fallaciis, si quem forte aditum in Catholicorum animos, vel per seductorum fraudes & artificia, vel per Diaboli suggestionem, & ultroneam præsumptionis temeritatem, iis patefieri posse dubitaret; eisdemque profligandis, nec sua tantùm opera, sed Magistratuum

tuum quoque, ac Principum auctoritate, undequaque eliminandis fugandiſque feliciter adlaboravit.

Denique charitatis ſuæ plenitudinem ad externum quoque Proximorum levamen & auxilium extendens, omnes calamitoſos paterno ſinu complexus, pauperum numeroſos greges collectis undique eleemoſynis ſuſtentabat; Pupillorum ac Viduarum ſolitudinem, comparata eiſdem Potentiorum ac Principum ope, ſublevabat; Carceribus incluſos, omnibus, quibus poterat, ſpiritualibus & corporalibus ſolatiis juvare, ægrotos quoslibet ſedulò inviſere, recreare, ac Deo conciliatos ad extremam ſubeundam luctam armare non deſiſtebat. Quo quidem in genere nullam habuit uberiorem meritorum ſegetem, quàm quum Auſtriacus exercitus in iis Regionibus ſtationes habens, epidemico morbo univerſim fere correptus, miſerandum de ſe pabulum languoribus, & morti præbebat. Tunc enim videre licuit, qua charitatis flamma ſuccenſus FIDELIS eſſet, dum horrendas morborum & funerum ſpecies minimè refugiens, ægrotos Milites ſingulatim inviſere, ſolari, eorum ulcera contrectare, tabem & pedorem abſtergere, cibos ac medicamenta ipſis ſuppeditare, denique Eccleſiæ Sacramenta indefeſſo ſtudio miniſtrare, in deliciis habuit.

Quum itaque ſanctiſſimis Salvatoris Noſtri exemplis atque præceptis tam accuratè inſiſtens, duplici dilectionis ſpiritu ſe plenum oſtenderet, id optimo jure aſſequutus eſt FIDELIS, ut ad Apoſtolici muneris conſortium, Divino conſilio, Superiorum judicio, Romanæ Sedis auctoritate, adlegeretur; quò tandem eximiæ ſuæ charitatis, cujus illuſtria diu dederat ſpecimina, heroicum illum actum expleret, quo ſanè majorem nemo præſtat, ut animam ſuam poneret pro Dei gloria & proximorum ſalute. Quum etenim fel. recordat. Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices Paulus V. & Gregor. XV. decreviſſent, graſſanti per conterminam Italiæ Rhætiam Hæreticorum dogmatum contagioni, per Orthodoxæ doctrinæ prædicationem, ſalutaria admovere remedia, & validum ſimul aggerem, ne latiùs error propagaretur, objicere; viſum eſt ex Capucinorum potiſſimum Familia delectos Viros, ipſo præſide ac duce FIDELI, in hujuſmodi opus deſignare, qui animas diabolica fraude deceptas ad Eccleſiæ gremium revocare, eas verò, quæ Dei beneficio à peſtifera labe adhuc ſervabantur intactæ, in ſanctæ Religionis Fide conſervare niterentur.

Hìc verò excelſa FIDELIS virtus, quæ antea velut anguſtis concluſa limitibus ſe continuerat, tamquam latiſſimo ſibi aperto ad currendum ſtadio, totam ſe exſeruit, & pleniſſimè manifeſtavit. Nec enim aſſequi dicendo poſſumus, quo animi fervore ac zelo, quàm invicta patientia atque conſtantia, quàm aſſiduis duriſque laboribus, impoſitum ſibi munus fuerit executus; nunc ſtantes in fide confirmans, nunc nutantibus opportunè ſuccurrens, hìc lapſos ad pœnitentiam revocans, illìc obfirmatos in impietate cum omni fiducia increpans & impugnans, non modò in Catholicorum Eccleſiis, ſed in ipſis quoque Hæreticorum ædibus, per vicos præterea, atque plateas, per domos & ruſticana tuguria, per aſpera & invia montium, in ſudore & angore, in fame & frigore & nuditate, in periculis & vitæ diſcrimine; ita ut admirabilis zeli, ſanctitatis, atque doctrinæ teſtimonium ab ipſis etiam ſtupentibus Hæreticis extorqueret.

Excitabat eum ad præclaros exantlandos labores, non modò ſuſcepti officii ſublimitas, & uberrimus animarum fructus, quem in multis quotidie Hæreticis ex omni ordine atque ætate ad Eccleſiæ ſinum redeuntibus apertè cernebat, verùm etiam occulta quædam & blanda ſpes illius obtinendi finis, quem multò ante ſibi propoſitum, & votis ardentibus expetitum, vix tamen ſe aliquando aſſecuturum fore putaverat, ut ſcilicet dignus efficeretur pro nomine Chriſti ſanguinem & vitam profundere.

Et quidem non diu tulit humani generis hoſtis, hunc ſibi Virum tot prædas è faucibus eripere, dumque fiduciam conceperat, novas in dies Nationes, nova Regna in ſuam poteſtatem ſe redacturum, jam fere ſibi ab acquiſitis imperio ſuo terris migrandum eſſe. Videns ergo FIDELEM plura quotidie ad deſtructionem erroris, & Catholicæ veritatis propagationem utiliter conſtituere, ejuſque conſilia incredibili populi voluntate, auctoritate quoque Principis in tota Regione conſtabiliri, nonnullos ex pervicaciſſimis impietatis ſectatoribus diabolico furore complevit, miſitque in cor eorum, ut Virum Dei, profanorum dogmatum rituumque deſtructorem, Apoſtolicæ Miſſionis ducem, de medio tollerent. Qui quum noviſſent eum in quodam Oppido, Luceyn nomine, commorari, miſerunt ad ipſum aliquos ex vicino Sevienſi Pago, qui pietatem verbo ſimulantes, rogarent eum, ut proximo die Dominico, ad eorum Eccleſiam concionaturus ſe ſe conferret, oſtendentes haud inutilem apud ipſos fore ſalutaris doctrinæ prædicationem. Quamvis autem multa eſſent, quæ inſidiarum ſuſpicionem FIDELI meritò facerent, ne tamen Apoſtolico muneri aliqua ex parte deeſſe videretur, quum præſertim martyrii certamen ſibi nequaquam de-

clinandum putaret, conſtituta die, quæ fuit VII. Kalend. Majas anno ſalutis MDCXXII., eorum ſalutis cupidior, quàm vitæ ſuæ, ad præfatum Sevienſem Pagum tempeſtivè perrexit: Cumque in primis Omnipotenti Deo immaculatam Hoſtiam obtuliſſet, ſeque Euchariſtici Panis alimento roborâſſet, Divini ardoris incendia ſpirans, ſuaque voluntate jam Martyr, ſuggeſtum conſcendit: In quo quum inſtantis mortis præſagium inveniſſet, in hæc verba conſcriptum = *Hodie prædicabis, & non amplius* =; non ideo tamen formidine fractus, nec de concepto zeli fervore quidquam remittens, cæpit frequentiſſimo populo libera voce, ut ſolebat, veritatem annunciare, hortarique errantes, ut redirent ad Eccleſiam, intemeratæ Fidei alumnam, nutricem beatæ ſpei. Cum ſubitò armatis homiaibus Templum completur, qui impetu facto, inſaniſque clamoribus elatis, concionem perturbant, cumque omnes in unum FIDELEM arma, ſuſtes, tela dirigerent, quidam ex ipſis ignito globulo exploſo, irrito quamvis ictu, eundem trajicere conatur. Tum demum FIDELIS extremam ſibi vitæ horam adventâſſe conſpiciens, è cathedra deſcendit, & ante Majorem Aram in genua provolutus, quum ſe vitam, & ſanguinem ſuum in holocauſtum Deo lubens obtuliſſet, ſuumque agonem, Eccleſiæ pacem, ipſos demum perſecutores ſuos, crudelia corda, cruentos animos, Domino commendâſſet, ſcuto Fidei, & lorica ſpei armatus, per oſtium è latere Eccleſiæ patens, ad non dubiam mortem impavidus properavit. Qua in re non minor apparuit illius magnanimitas & fortitudo, quàm ſi atrociſſimos cruciatus, atque diuturnos dolores corpori ſuo inuſtos fortiter patienterque tolerâſſet. Quis enim putet minorem vim adhibitam eſſe homini, cujus animo præſentis mortis aſpectus, perſpicuum cædis periculum, non ſine tumultu horrendiſque minis, objectum eſt, quàm ſi ipſius corpus afflictum ſuiſſet tormentis atque vulneribus, quæ fortes fæpe viri naturali quadam virtute conſtanter tuliſſe memorantur? Veruntamen hanc fortitudinem Militi ſuo donavit is, qui pro illo prior in Cruce Sanguinem fudit.

Vix itaque FIDELIS è Templi foribus modico ſpatio proceſſerat, quum impiorum manus cum gladiis, haſtis, ferratiſque fuſtibus eum circumſiſtunt, ac, furentium belluarum more in ipſum irruentes, vulneribus ſupra viginti confodiunt, atque immaniſſimè contundunt. Ille autem ſereno vultu horrendos ictus excepit, ſublatiſque, quantum poterat, in Cœlum oculis, lætus & hilaris, quod ſibi datum eſſet pro Eccleſiæ Fide glorioſam mortem occumbere, in manus Dei, cui omnia vivunt, ſpiritum exhalavit.

Invicta FIDELIS in perferenda morte conſtantia, Chriſtianaque animi magnitudo, cujus non ſuſpecti teſtes facti ſunt ipſi Sicarii, Hæreticos quoque in admirationem traxit, & alicujus ex ipſis mentem ita illuſtravit, ut paulò poſt ex magiſtro erroris, diſcipulus fieret veritatis. Catholici verò, quibus & illius vitæ ſanctitas, & prædicationis veritas, & pretioſæ mortis cauſa perſpectæ erant, minimè dubitârunt FIDELEM ipſum Martyris loco habere, ejuſque opem apud Deum in anguſtiis & neceſſitatibus implorare. Itaque ſeptimo poſt menſe conciſas FIDELIS exuvias ex eo loco, ubi primum humatæ fuerant, ad Eccleſiam Curienſem, triumphali veluti pompa, Auſtriacis comitantibus copiis, atque univerſo Clero & Populo obviam prodeuntibus, detulerunt. Neque verò diſtulit Altiſſimus, editis ſignis atque prodigiis, oſtendere, quàm accepta ſibi eſſent præſtita Martyri ſuo obſequia, & vota fidelium ipſius interventioni commendata. Etenim ille idem Archiducis Auſtriæ Exercitus haud ita multò poſt contra rebellantes illius Regionis Hæreticos arma ferens, non occulto dumtaxat FIDELIS præſidio, ſed & ipſius viſibili ductu, quem & complures Milites, & ipſemet Hæreticorum Dux, clariſſima in luce, ſtrictoque gladio ſibi minitantem conſpexerunt, inſignem de perduellibus victoriam reportavit. Cumque innumeri quotidie Fideles, qui ſe Martyris precibus commendabant, in rebus etiam naturæ vires prætergredientibus, votorum compotes fieri ſe teſtificarentur, eaque fama per univerſam Eccleſiam in dies magis augeretur, viſum eſt Apoſtolicæ Sedi, inſtante potiſſimum Venerabili Cœtu S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, (qui, poſt eam Congregationem conſtitutam, primum hunc ex Miſſionariis à ſe ablegatis pro Chriſto mortem oppetiiſſe gloriabantur) legitimas Inquiſitiones atque Proceſſus auctoritate Apoſtolica confici; ut, ſi de FIDELIS martyrio pro Catholicæ Fidei cauſa perpeſſo, &, juxta tutiſſimam Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, de miraculis præterea ipſius interceſſione à Deo patratis, ritè conſtitiſſet, debitus ipſi cultus in terris, cum Sanctis Martyribus, quorum conſortium in Cœlis obtinuerat, ab Eccleſia exhiberi poſſet.

Cæpta ſunt igitur uſque à temporibus ſel. record. Prædeceſſoris Noſtri Urbani Papæ VIII., eoque annuente & jubente, huſjuſmodi Inquiſitionum acta, quæ per integrum ferè ſæculum continuata, tandem, inſtantibus clar. memor. Carolo VI. Hiſpaniarum

rum Catholico, & Romanorum Rege in Imperatorem electo, & Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra, Eliſabetha Chriſtina, earundem Hiſpaniarum Catholica, ac Romanorum Regina Illuſtri, nunc ipſius Caroli Vidua, aliiſque ſupremis Principibus, necnon prædicta Congregatione S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide, magnoque numero Antiſtitum & Procerum Germaniæ, totoque præfato Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Capocinorum, ſub piæ memoriæ Benedicto Papa XIII. ſimiliter Prædeceſſore Noſtro ad examen deducta, & primò quidem pro validis agnita, mox ad eruendas Martyrii, & Miraculorum prædictorum probationes, totius Congregationis Sacrorum Rituum judicio ſubjecta fuerunt. Cumque Nos ipſi tunc in minori ſtatu Promotoris Fidei munus gerentes, pro officii Noſtri debito, quæcumque ſuper duplici hujuſmodi judicii capite animadverti, aut objici poterant, diligentiſſimè adnotare, & tam voce, quàm ſcripto deducere non omiſerimus, triplici ipſius cauſæ examine, ut moris eſt, in prædicta Congregatione Sacrorum Rituum præmiſſo, idem Benedictus Prædeceſſor, audito ejuſdem Congregationis conſilio, cauſaque cognita, die XXIV. Februarii anni MDCCXXIX. pronunciavit, conſtare de Martyrio in odium Fidei Catholicæ à FIDELI perpeſſo, ac de veritate quatuor potiſſimum Miraculorum ad invocationem ipſius Beati Viri à Deo editorum; quorum primum fuit, quod exorto in Arce Majenfeldenſi maximo incendio, eoque inter aptiſſima ignis alimenta, ligna nimirum, & pyrii pulveris cumulos, increbeſcente, invocatâ apud Deum FIDELIS ope, ſtatim reſtinctum fuit; Secundum, quod Monialis quædam, nomine Cæcilia Munſingerin, horribili inflammatione mamillæ, cum ſuſpicione cancri, plures jam dies excruciata, admotis glorioſi Martyris Reliquiis, perfectam ſanitatem illico recuperavit; Tertium, quod oculus Infantis Pauli Franciſci Papuſſin à primis ipſius vitæ diebus humore difluens, apertoque foramine, & pellicula ſuperinducta, excipiendæ luci jamjam ineptus, quum à medica facultate auxilium ſruſtra quæreretur, concepto à Matre voto in honorem ipſius FIDELIS, naturali integritati reſtitutus fuit; Quartum denique, quod Gaſpar Stigher ob quinquennales dorſi dolores ad omnem ferè corporis motum impotens factus, quum ſe FIDELIS patrocinio commendâſſet, ad tactum mucronis, quo Dei Servus confoſſus fuerat, momento temporis convaleſcens, non itineri modò, ſed & ruſticis quibuſque laboribus ipſa die ſe dedit, integris viribus exinde utens. Quare, audito iterum præfatæ Congregationis conſilio ſuper tuto progreſſu ad formalem ipſius Servi Dei Beatificationem, idem Benedictus Prædeceſſor, per ſuas Litteras in forma Brevis datas die XXI. Martii ejuſdem anni, ipſum FIDELEM in Beatorum Martyrum numero recenſeri, ejuſque memoriam, imagines, atque reliquias religioſè coli, Divina quoque Officia, & Miſſas in ipſius honorem à Fratribus Minoribus prædicti Ordinis Capucinorum, univerſoque Clero nonnullarum Civitatum & Oppidorum celebrari permiſit.

Cum autem Beati gloria, novorum prodigiorum famâ, & impenſiori Fidelium cultu in dies amplificaretur, & præfati ſupremi Principes, & S. R. E. Cardinales, aliique per Orbem Antiſtites & Proceres, idemque Capucinorum Ordo pias ſuper eo inſtantias iterarent, placuit fel. recordat. Deceſſori Noſtro Clementi Papæ XII., non ſolùm Lectiones proprias de ipſius Beati FIDELIS vita, & Martyrio à prædicta Sacrorum Rituum Congregatione recognitas, in ejuſdem Officio recitari, ejuſque nomen in Martyrologio Romano deſcribi, ſed etiam, reaſſumpta cauſa, novos auctoritate Apoſtolica Proceſſus inſtrui conceſſit ſuper Miraculis, quæ poſt indultam ipſi venerationem accidiſſe dicebantur. Cumque hujuſmodi Proceſſus ante omnia ritè, & validè confectos eſſe conſtiterit, ex quatuor Miraculis inibi recenſitis, & in prædicta Congregatione Sacrorum Rituum ſemel, bis, tertiò, audito ſemper oretenus & in ſcriptis Dilecto Filio Promotore Fidei, examinatis, duo præcipuè reperta ſunt pleniſſimis probationibus teſtata, & omnem naturæ vim excedentia; quæ quum deinde Nos ipſi privatis ſtudiis accuratiſſimè diſcuſſerimus, ea tandem, invocato ſæpe Divini Luminis auxilio, ſolemni Decreto Noſtro, die XVIII. Januarii anni MDCCXLIV. in Feſtivitate Cathedræ Beati Petri Apoſtoli edito, approbavimus & publicavimus. Unum eorum accidit Dilecto Filio Fr. Candido à Mediolano, Sacerdoti profeſſo præfati Ordinis Minorum Capucinorum, qui epileptico morbo per decennium laborans, poſtremo infirmitatis ſuæ anno nullam fere diem, nullam noctem, ab iteratis, gravibuſque ejuſdem morbi acceſſibus liberam habuerat, & ſtomachi temperie labefactatâ, cibum retinere non valens, corporis viribus adeo deſtitutus remanſerat, ut in lectulo projectus ne cibum quidem manibus ſuis ori admovere poſſet. Hic poſt inutilem plurium medicamentorum uſum, Beati FIDELIS opem implorans, ejuſque Imaginem à Confeſſario ſibi benedicente oblatam, devoto mentis affectu veneratus, perfectam ſanitatem, corporiſque vires ac robur, nulla in-

teriecta convaleſcentiæ mora, recuperavit; ita ut ipſa die, communis Inſtituti obſervantiam reſumere, & plurium milliarium iter peragere non dubitaverit, deindeque laboriosis quibuſque officiis obeundis idoneus, & à quocumque prædicti morbi incurſu exemptus extiterit. Alterum evénit in puero Joſepho Kirner, qui antequam per ætatem pedibus ſuis incedere poſſet, dira rachitide in inferioribus corporis partibus correptus, eaque jam per triennium perſeverante, nullo modo poterat cruribus pedibuſque ſe ſubſtentare; Cum autem ipſius Mater ad Beati FIDELIS Aram ſupplex eum deruliſſet, ab Omnipotenti Deo obtinuit, ut ſtatim conſolidatis ipſius baſibus, relictiſque fulcris, quibus corpus regere conſueverat, per ſe ambulans & exiliens, Domum redierit, ac deinceps libero pedum, & crurium uſu gaviſus fuerit.

His itaque novis miraculis, ut prædiximus, cognitis & approbatis, quum jam Beati Martyris glorificatio ipſius Dei voce manifeſtè declarari videretur, accepto prius conſilio Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque in prædicta Sacrorum Rituum Congregatione ſuffragium habentium, Spiritûs Sancti lumine Noſtris aliorumque precibus implorato, tandem die XXIV. menſis Aprilis ejuſdem anni MDCCXLIV. ipſius glorioſi Martyrii anniverſaria, poſt ſanctum Sacrificium Deo oblatum in Eccleſia Fratrum Capucinorum, ad Altare, in quo expoſitæ erant ejuſdem Beati FIDELIS Reliquiæ, publicum Decretum edidimus, quo cauſam hanc in præfata Congregatione abſolutam denunciantes, ad ſolemnem ipſius Beati Canonizationem ſervatis ſervandis quandocumque procedi poſſe declaravimus.

Pro cujus Decreti exequutione, quum, præter ſuperius enunciatos, Chariſſima quoque in Chriſto Filia Noſtra, Maria Thereſia Hungariæ & Bohemiæ Regina Illuſtris, in Romanorum Imperatricem electa, aliique Catholici Principes, & Populi, Eccleſiarumque Paſtores demiſſas Nobis preces obtuliſſent, Nos, ut in tanto negocio nihil contra Sanctionum & Conſtitutionum Apoſtolicarum ſtatuta, & tutiſſimum Prædeceſſorum Noſtrorum morem ageremus, primùm quidem congregatis coram Nobis die XVIII. elapſi menſis Aprilis in Conſiſtorio ſecreto univerſis Venerab. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, de præclaris Beati Viri meritis verba fecimus, & adhibitas in hujus cauſæ diſcuſſione, ad normam Decretorum Apoſtolicæ Sedis, exactiſſimas diligentias, prolataque tum à Nobis, tum à Prædeceſſoribus Noſtris, ut præfertur, matura judicia, Nos ipſi diſtinctè expoſuimus: Cumque eorum unanimis ſententia fuerit, ut ſupremam graviſſimo judicio manum, ſervata tamen conſueta in hujuſmodi cauſis tractandis Eccleſiæ Romanæ praxi, tandem imponeremus, Ideo accitis ad Urbem compluribus Ven. Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Eccleſias conſtitutis, uberem primò Relationem de ipſius Beati vita, virtutibus, martyrio, ac miraculis, in publico Conſiſtorio, coram Nobis univerſoque Eccleſiaſticorum Ordinum conſeſſu, per Dilectum Filium Virgilium Montecatinum Noſtræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatum oretenus exponi, mox aliam ex authenticis monumentis prædictæ Congregationis Sacrorum Rituum collectam, ſcriptoque traditam, omnibus & ſingulis, quorum ſuffragia exquirebantur, exhiberi mandavimus. Deinde die VIII. currentis Junii, coactis iterum coram Nobis in Conſiſtorio ſemipublico prædictis S. R. E. Cardinalibus, tum etiam Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Romana Curia præſentibus, adſtantibus quoque Apoſtolicæ Sedis Notariis, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, prædictorum conſulentium ſuffragia, & quidem omnia in unum ſenſum pro Beati Canonizatione convenientia, lætantes audivimus; quorum etiam exempla à ſingulis ſubſcripta in Tabularii Romanæ Eccleſiæ juſſimus aſſervari. Nos autem infirmitatis Noſtræ conſcii, ut ſpiritum conſilii de Cœlo Noſtris atque fidelis populi precibus obtinere mereremur, generalibus indictis jejuniis, publicas in deſignatis per Urbem Eccleſiis obſecrationes plurium dierum ſpatio, conceſſâ etiam in eum finem orantibus Indulgentia, fieri præcepimus. Tum advenientе hac die Apoſtolorum Petri & Pauli natalitio dicata, ſolemni ſupplicationis ritu ad Eccleſiam Beati Petri in Vaticano procedentes, unà cum omnibus prædictis Ven. Fratribus Noſtris, cæteriſque Romanæ Curiæ, & Noſtræ Aulæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus, univerſoque Clero Sæculari, & Regulari, & devotiſſimo Populo, Divinam opem advocantibus, auditis iterum enixis Chriſtianorum Principum, Eccleſiarum, & Populorum poſtulationibus, quas Nobis repræſentavit Dilectus Filius Noſter Joachimus, Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum ejuſdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Portocarrero nuncupatus, poſt ſacros Hymnos, Litanias, aliaſque preces de more decantatas, ad laudem & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, & de præmiſſorum omnium Ven. Fratrum

trum Noſtrorum conſilio & aſſenſu, prædictum FIDELEM à Sigmaringa, Sacerdotem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum, de cujus vita ſanctè tradu&ta, & morte pro Catholicæ Fidei propagatione perpeſſa, deque mi&aculis ipſius interceſſione patratis pleniſſimè conſtabat, & conſtat, Sanctum Chriſti Martyrem eſſe pronunciavimus, & Sanctorum Martyrum Catalogo adſcriptum, ab univerſa Catholica Eccleſia honorari, & coli, decrevimus, definivimus, & reſpectivè mandavimus; In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Omnibus quoque Chriſtifidelibus, qui ſingulis annis die XXIV. Aprilis, verè pœnitentes & confeſſi, Eccleſiam Cathedralem Curienſem, in qua ſacrum Martyris Corporis aſſervatur, devotè viſitaverint, ſeptem annos, & totidem Quadragenas de injun&is eis, ſeu aliàs debitis pœnitentiis, eadem au&oritate miſericorditer in Domino relaxantes.

Mox Omnipotenti Deo cum Angelis & Sanctis ejus humillimam gratiarum a&ionem, demiſſaſque preces per ipſius Sancti merita offerentes, ad ſacram Beati Petri Apoſtoli Confeſſionem ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium cum commemoratione ejuſdem Sancti FIDELIS Martyris, nec non Sanctorum Camilli, Petri, & Joſeph Confeſſorum, Sanctæque Catharinæ Virginis à Nobis pariter Sanctorum albo ritè adſcriptorum, ſolemniter celebravimus, ac denique humiliatis in conſpectu Domini Fidelibus cunctis ibi præſentibus, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam largiti fuimus.

Gratulemur igitur invicto Orthodoxæ Religionis Præconi, cui donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut crederet in eum, ſed etiam ut pateretur pro eo, atque ita per momentaneum tribulationis certamen, ad æternum Beatitudinis triumphum perveniret in Cœlis, ubi eum pro Catholicæ Fidei dilatatione, & pro temporum Noſtrorum tranquillitate, apud Au&orem pacis noſtræ, & conſummatorem Fidei ſuæ, deprecatorem fore confidimus.

Ut autem præmiſſa omnia perpetuæ futurorum temporum memoriæ commendentur, Nos ea præſentium Litterarum Apoſtolicarum tenore in omnium per univerſum Orbem notitiam deduci voluimus, mandantes, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto Kalendas Julii, Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum Subſcriptione Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium in Alma Urbe tunc præſentium.

Exemplar impreſſum in Archivo generali Ordinis.

Beatum quoque JOSEPHUM à Leoniſſa Confeſſorem in Cœlitum Ordinem refert.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

HUmani generis Redemptor, Dei Filius, Sapientia Patris, ita mentes hominum, diſjecta veteri, quâ operiebantur, caligine, novo doctrinæ Cœleſtis ſplendore illuſtravit, ut ſimul ad ejus lumen du&umque ſequendum, maximis & pretioſis promiſſis languentia corda erexerit & excitaverit. Ita porro dum nos edocuit, abjectâ de perituris divitiis ſollicitudine, Theſaurum non deficientem in Cœlo nobis parare, in eoque cogitationes & corda noſtra defigere, ſimul etiam certiſſimam hujuſmodi Theſauri adipiſcendi ſpem nobis oſtendit, in Dei & Patris noſtri benignitate fundatam, cui placuit, humilitati noſtræ Regnum æternum diſponere & deſtinare. Quod ſi terreni Regni, quantumvis caduci, faſtigium, vilioribus mercibus, aut parvo agello, luteiſve caſis, nemo non anteferret; ſi momentaneam oblectationis voluptatem nemo præ Imperii gloria, ampliſſimaque dominatione, non aſpernaretur; quis erit profectò, qui mundanas, quanti vis pretii, opes, potentiam, honores, comparare audeat cum

ineſ-

ineffabili Cœleſtis Regni beatitudine, quam Chriſtus Dominus puſillo Electorum ſuorum gregi promiſit? Cujus gloria non in opinione hominum, ſed in Divinæ Gloriæ communione ſita eſt; in qua bonum, quod poſſidetur, deſideriorum menſuram excedit; ubi denique in viſione ac fruitione Dei, atque in beata Sanctorum ſocietate, plena eſt felicitas, perpetua jucunditas, & ſecura tranquillitas.

Ad hanc Cœleſtis Regni promiſſionem advigilans, hunc veræ felicitatis ſontem ſitiens BEATUS JOSEPH A' LEONISSA, Religioſum Inſtitutum Fratrum Minorum Sancti Franciſci, quos Capucinos appellant, plena voluntate, & conſtanti devotione profeſſus, deſertam à vitiis, inviam adverſariis poteſtatibus, & aridam à deliciis ſæcularibus terram incolere ſtatuit, ut tandem in ſancto apparere Deo mereretur, atque ad illius Beatitudinis & Gloriæ conſortium feliciter pervenire. Quam ſanè præclaram mercedem ipſius ſanctæ converſationis, diuturnæ pœnitentiæ, ſtrenuorumque laborum, quos pro Dei honore & proximorum ſalute ad mortem uſque toleravit, eidem Beato Viro in Cœleſti Patria à Deo retributam fuiſſe, eumque propterea inter Sanctos Confeſſores cum Chriſto regnantes ab Eccleſia univerſa colendum & venerandum eſſe inſpectis heroicis ipſius virtutibus, necnon miraculis ejus interceſſione à Deo editis, apud Nos & Apoſtolicam Sedem ritè probatis, cum conſilio & aſſenſu Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia congregatorum, deque attributæ Nobis poteſtatis plenitudine, nuper definiendo, pronunciavimus, ac præſentium Literarum tenore edicimus, ſtatuimus, atque decernimus.

Leoniſſæ Aprutii Oppido, ex Joanne de Deſideriis & Franciſca de Pſulinis, in Spoletana Diœceſi, anno MDLVI. natus eſt JOSEPH, in Baptiſmate Euphranius dictus, & primò quidem apud Parentes piè ac liberaliter educatus fuit; poſtea verò iis defunctis, Viterbii, ubi Patruus publicè docebat, adoleſcentiæ ætatem caſtè integrèque tranſegit. Cum autem ſoli Deo perſeveranter adhærere ſtatuiſſet, oblatas ſibi à Patruo honeſtiſſimas nuptias, perpetuo virginitatis propoſito ſe obſtringens, conſtanti animo recuſavit; ſeque tandem ab omnibus mundi periculis, inſidiis, fallaciis, terroribus, in perfectam Filiorum Dei libertatem vindicaturus, ad Religioſa Capucinorum Clauſtra apud Aſſiſium confugit, ubi, fruſtra obnitentibus conſanguineis, & minas etiam adhibentibus, quò eum à ſancto propoſito avocarent, arctiorem Sancti Franciſci Regulam profeſſus eſt.

Quo autem mentis ardore ſuave Chriſti jugum JOSEPH amplexus eſſet, facilè apparuit ex incredibili ſtudio, quo & ſtatim ad capeſſendum virtutum omnium culmen totus incubuit, & nunquam deinceps à ſuſcepto perfectionis curſu deflexit. Religioſæ paupertatis & ſpiritu & reipſa eximius cultor, in ſumma rerum inopia, in qua hujuſmodi Inſtituti ſectatores vitam degunt, complora invenit, quæ ſuis uſibus voluntariè detraheret.

Mitis animo & humilis corde, ſe totum, ſuaſque actiones, & voluntates, arbitrio Superiorum, quorum mandata aperto capite, & flexis genibus excipere ſolebat, penitus commiſit; ut, quum ſine eorum juſſu cuicunque rei ineptum ſe eſſe duceret, eorum acceedente nutu, difficilia quæque aggredi non dubitaret: Quum verò nihil de ſe ſuiſque viribus præſumeret, & ne ſuas quidem preces apud Deum quidquam valere putaret, aliorum orationibus aſſiduè ſe commendabat: Denique in vilioſimis quibuſque exercendis miniſteriis, in ferendis contemptibus & ludibriis lætus, & alacer, tunc ſolum triſtari videbatur, quum aut munus honorificum ſuſcipere cogeretur, aut meritæ ipſius virtuti laudes tribuerentur.

At verò ſeipſum, pro abjecta, quam de ſe fovebat, opinione, ſic aſperè duriterque tractabat, ut difficilè ſit alium reperire, qui noviſſimis hiſce ſæculis pœnitentiæ ac mortificationi magis addictus fuerit. Quum etenim perpetuum fere jejunium ſibi indixiſſet, non alio plerumque pane, quàm duro ac mucido, non alio obſonio, quàm putridis ac ſemiuſtis leguminibus, aut crudis, non alio potu, quàm corruptis aquis, aut vino cineribus conferto vitam ſuſtentabat; & nihilominus crucifigendæ carnis ſuæ cupidior in dies, inuſitatis flagellorum generibus ſuas in ſe ipſum manus armabat, quibus corpus ſuum acerrimè dilaniaret; & quia non ſemper id ipſi licitum erat, horrida cilicia, ferreas catenas, ferreos circulos, ferream loricam, ad continuum ſui cruciatum adhibebat: Et tamen hilari fronte, ac læto vultu Apoſtolicæ prædicationis miniſterium adimplens, tanto ſpiritûs fervore afflicta membra regebat, ut nec æſtus, nec frigora, nec ſoles, nec imbres, nec famem, nec ſitim, neque labores ſentire videretur; dummodo aliquod faceret animarum lucrum, ac Dei cultum & gloriam propagaret.

Juſtitiam enim eſuriens & ſitiens, nec de propria ſolùm perfectione ſollicitus, ſed ad aliorum quoque ſalutem procurandam arden-

ardentiſſimo ſtudio intentus, quum prædicandi & evangelizandi munus ex obedientia gereret, incredibili labore ac zelo, nec minore fructu, toto vitæ ſuæ curſu illud obivit. Frequens illi erat uno eodemque die pluries diverſis populis, diverſis argumentis, diverſis in locis ſacras conciones habere: nec tamen ideo reſtinctâ ardoris ſui flammâ, gaudebat privatis exhortationibus hominex à vitiis avocare, ad virtutem inflammare, pueros & rudes Fidei elementis, Chriſtianâque doctrinâ imbuere. Quin etiam ad Infidelium terras, ad ipſam Mahumetanæ impietatis arcem quum acceſſiſſet, non modò Fidelibus in Babylonis captivitate degentibus opportuna attulit conſervandæ Religioni præſidia, ſed plures Infideles ad Chriſtianæ veritatis lucem quum adduxiſſet, exterminandæ impietatis cupidiſſimus, non dubitavit ipſum Imperii Tyrannum in Palatii ſui penetralibus intrepida charitate adoriri, ut ei Evangelium Chriſti annunciaret. Quod ſanè magnanimum facinus, quum inſcrutabili Dei judicio in irritum ceſſiſſet, regreſſus Joseph in Italiam, reliquum vitæ ſpatium in Dominicæ Vineæ cultura, per Aprutii potiſſimum, & Umbriæ Provincias impendit.

In eas porro geminum Doctrinæ & Miſericordiæ ſuæ theſaurum effudit; & ſicuti, impoſitum ſibi Apoſtolicum miniſterium adimplens, pro æterna animarum ſalute utiliſſimè ſemper adlaboravit, ita ad ſublevandos omnes in hujus vitæ anguſtiis & afflictionibus conſtitutos, admirabilis charitatis operam indeſinenter exercuit. Quos enim ad Cœleſtis beatitudinis ſedem veluti manuducere conabatur, eos in mundi hujus calamitatibus oppreſſos jacere, quantum in ipſo erat, minimè patiebatur. Itaque parum eſt, quod pauperes omnes ad ſe confugientes, immò veriùs ſtudioſiſſimè à ſe conquiſitos, omni ratione juvabat, quod iis non ſolùm menſæ reliquias, ſed ipſum paratum ſibi cibum, atque etiam labores manuum ſuarum largiebatur; quod ægrotos quoslibet inviſere, eoſque piis hortationibus aſſiduiſque officiis ac miniſteriis reficere nunquam prætermittebat; quod carceribus incluſos ſolari, paſcere, atque iis, vel judicum clementiam, vel creditorum benignitatem conciliare curabat: Sed extant ad hunc uſque diem eximiæ ipſius charitatis perennia monumenta in publicis Hoſpitiis, pro infirmorum, aut peregrinorum perfugio, in Montibus Pietatis pro pauperum ſubſidio, per earum Regionum Civitates & oppida, ipſo potiſſimum hortante, promovente, ac curante, erectis, dotatis, inſtructis.

Cum autem in aſſiduis hujuſmodi prædicationis & beneficentiæ operibus immenſi eſſent ipſius labores, æquum profectò erat, ut congruam viciſſim corpori animoque ſuo quietem & relaxationem non invideret. Hanc Joseph in religioſâ Divinarum precum recitatione, ac potiſſimum in ſolitaria oratione, atque in rerum Cœleſtium meditatione capiebat; quarum amore, integras ſæpe noctes ante Crucifixi Domini ſui effigiem inſomnes ducebat, atque in ejus bonitatis ſinu acquieſcens, in immenſæ illius charitatis profundum ſe immergens, ipſi ſuam, ipſi Eccleſiæ cauſam, ipſi laborum fructum impensè amanterque commendabat. Ad quem porro divinæ amicitiæ gradum Joseph evectus fuerit, tutò conjicere licet ex ſingularibus donis, quibus glorificavit eum Deus in conſpectu hominum; ut nimirum ſecreta cordium introſpiceret, abſentia, tanquam videns, enunciaret, futura prædiceret, naturæ atque elementis mirabiliter imperaret. Quis autem valeat enarrare beatas illas communicationes ac ſpirituales delicias, quibus Omnipotens Dous fidelem Servum ſuum cumulare ſolebat? Satis hæmaniſeſtè apparebant ex frequentibus adſpirationibus, affectibuſque ardentiſſimis, quibus, in mediis etiam miniſterii ſui occupationibus, præguſtatæ ſuavitatis memor, totus in Deum ferebatur; ſatis intimam illius animæ unionem cum Deo teſtabatur imperturbabilis illa pax, quam ſecum & cum proximo in omni rerum viciſſitudine conſtanter ſervabat.

Hanc pacem, quam Salvator Noſter, ſua morte nobis acquiſitam, exemplis præceptiſque ſuis commendatam, veluti paternam hæreditatem diſcipulis ſuis reliquit, hanc Joseph in omnium Fidelium cordibus ſedulò plantare curavit, in eâque potiſſimum evangelizandâ proſperos atque mirabiles ſucceſſus obtinuit. Ardebant eo ſæculo inter finitimas prædictarum Regionum Civitates inimicitiæ, inter familias diſcordiæ & ſimultates, inter pleroſque Cives diſſenſiones & odia; indeque tumultus & rixæ, frequenteſque cædes & homicidia, cum populorum excidio. Deique offenſâ, in dies oriebantur. Hanc ergo veluti furientium leonum ſilvam ingreſſus Joseph, ſuccinctus pectora baltheo charitatis, & calceatus pedes in præparatione Evangelii pacis, fidei ſcutum, galeamque ſalutis aſſumens, & gladio ſpiritûs, quod eſt Verbum Dei, inſtructus, tumentes undique iras compreſſit, odia reſtinxit, atque efferata dudum corda Chriſtianæ pacis ſuavitate demulſit, ut nova prorſus Regionis facies, novi populorum mores brevi tempore apparuerint; ipſi

verò

verò tanquam reſtitutori pacis, & fundatori publicæ quietis, maxima apud homines parta gloria, majus autem præmium, pacificis à Deo promiſſum, in Cœlis aſſertum fuerit.

Verùm, quò majorem adipiſcendi Cœlorum Regni ſecuritatem Servo ſuo faceret Deus, permiſit eum in tentationes varias incidere, graviſſimaſque perſecutiones pro juſtitia perpeti, ut ipſius virtus per tribulationum ignem probata inveniretur in laudem & gloriam in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti: Nam præter immane ſupplicium, eidem Conſtantinopoli ab Infidelibus irrogatum, quum intra Palatii ſepta deprehenſum, quò ad annunciandum Chriſti fidem penetraverat, ſublimi è trabe ferreis uncis ſuſpenderunt, atque igne fumoque ſuppoſito pene ſuffocârunt, innumeras etiam ab improbis Chriſtianis injurias atque moleſtias ſæpe ſuſtinuit, dum pro ſuſcepto ſanctæ prædicationis officio, hominum vitia viriliter oppugnans, atque ita pervicacium offenſionem incurrens, verberibus ſæpe, & colaphis, & contumeliis impetitus, aliquando etiam in vitæ diſcrimen adductus fuit. Quæ tamen omnia, quum nec ipſius manſuetudinem neque conſtantiam loco dimovere valuerint, totidem Joſepho gradus facta ſunt ad cælestem triumphum, quem ipſi tandem à juſto Judice tributum fuiſſe non eſt dubitandum.

Id enim evincit ipſius pretioſa mors, quam apud Oppidum Amatricis Reatinæ Diœceſis, poſt diuturnam infirmitatem in pietatis, & patientiæ exercitationibus tranſactam, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo, ab Incarnatione Domini MDCXII., placidè objit in oſculo Domini; & manifeſtè oſtendunt illuſtria ſigna atque miracula, quæ ab Omnipotenti Deo, tum ſæpe Joſepho vivente, tum etiam in ipſa ejus morte, & poſt illam, edita fuerunt; inter quæ id ſanè mirabile fuit, quod defuncti corpus aſſidua maceratione, ac morbi vi antea ſqualidum, inuſitatâ coloris & ſpeciei venuſtate repente florere, & ſuaviſſimum odorem exhalare cœpit; intima verò ipſius viſcera, medico cultro diſſecta, nulla imbuta fœce, ſed lacteo quodam humore tota redundare reperta ſunt. Innumeras verò gratias, ad Joſephi invocationem à Deo ſe obtinuiſſe teſtati ſunt Fideles, qui ad ipſius funus undique frequentes convenerunt, propter conceptam de ipſius ſanctitate opinionem; quâ etiam impellente, Joſephi Cives, poſt aliquot annos, pium illud facinus audacter perpetrârunt, ut nocte quadam, occaſione data, ad Amatricis oppidum accedentes, venerandum ipſius corpus aſportarent, & Leoniſſam deferrent, firma ſpe ducti, magnum ſibi adverſus ingruentes calamitates in illius poſſeſſione, ac Servi Dei patrocinio præſidium fore.

Cumque ad legitimum inſtruendum judicium de ipſius Beatificatione & Canonizatione, nihil deeſſet eorum, quæ per Sacrorum Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum Decreta requiruntur; nonnulli primùm Proceſſus à Locorum Ordinariis conſtructi, mox etiam alii Apoſtolica Auctoritate confecti fuerunt, ex quibus deſumptæ ſunt tum Virtutum Theologalium & Cardinalium, iiſque adnexarum, quæ in Joſepho emicuerunt, tum etiam Miraculorum, ejus interceſſione à Deo editorum, pleniſſimæ probationes; quibus per Dilectos Filios Conſultores Congregationis Sacrorum Rituum, deinde per Ven. Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales eidem Congregationi præpoſitos, maturè & ex ordine diſcuſſis, ſanctæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Clemens Papa XII. auditis eorum conſiliis, die XV. Julii Anni MDCCXXXIV. definivit; *Conſtare de* Joſephi *Virtutibus in gradu heroico*; ac ſimiliter triennio poſt, die nempe VIII. Junii Anni MDCCXXXVII. de duobus Miraculis conſtare decrevit; nimirum de puero, qui à nativitate palpebras inter ſe adeo junctas habebat, ut lucis uſura ipſi perpetuò intercluſa judicaretur; implorata verò ſuper eum Joſephi ope, oculos ſtatim aperuit, perfectumque viliosis ſenſum deinceps obtinuit: deque Joſepho Novello, qui quum graviſſimo vulnere in genu ſauciatus fuiſſet, invocato Servi Dei nomine, momento temporis ſanatus fuit. Et conſequenter, de ipſius pariter Congregationis conſilio, idem Prædeceſſor ad publicum cultum Joſepho indulgendum progreſſus eſt: Qua de re expeditis Apoſtolicis Litteris die XIX. ejuſdem menſis & anni, ejus Beatificationis Solemnia in Baſilica Lateranenſi celebrata fuerunt, aliaque religioſi cultûs obſequia, ad formam Indultorum in iiſdem Litteris contentorum, ipſius Beati Viri memoriæ ſummo Fidelium ſtudio fuerunt exhibita.

Altero autem biennio vix elapſo, quum eidem Clementi Prædeceſſori pro parte Miniſtri Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, totius Religionis ſuæ nomine, expoſitum fuiſſet, ipſius Viri Sanctitatem novis atque frequentibus Miraculis à Deo illuſtrari, communibuſque Populorum Votis, atque etiam poſtulationibus clar. mem. Caroli VI. Hiſpaniarum Catholici & Romanorum Regis in Imperatorum electi, nec non Chariſſimorum in Chriſto Filiorum Noſtrorum Magnæ Brittaniæ, Poloniæ, atque

que Sardiniæ Regum, aliorumque ſupremorum Principum, & Magnatum, complurium præterea S. R. E. Cardinalium, Antiſtitum Eccleſiarum, atque Univerſitatum, expeti; ut de ſolemni ejuſdem Beati Canonizatione, juxta Ritum & praxim Sacræ Romanæ Eccl. tandem ageretur; placuit eidem Prædeceſſori, præfata Congregatione approbante, pro hujuſmodi Cauſæ reaſſumptione Commiſſionem ſignare, & compilatione novorum Proceſſuum, ſuper indicatis Miraculis poſt indultam Joſepho veneration nem ſequutis, auctoritate Apoſtolica, nonnullis Epiſcopis de more delegare.

Quorum Proceſſuum validitate approbata, Nobis jam Dei voluntate in Petri Cathedra ſedentibus, ſex potiſſimum Miracula in præfata Sacrorum Rituum Congregationibus iteratis vicibus ritè diſcuſſa fuerunt; de quibus, poſtquam Nos ipſi ſuffragia Conſultorum perlegimus, & Cardinalium prædictorum conſilia audivimus in Congregatione Generali coram Nobis habita die XXII. Septembris Anni MDCCXLIV., nihil Nos quidem tunc pronunciavimus, ſed invocato ſæpius Divini luminis adjutorio, noviſque diligentiis juſſu Noſtro peractis, ut quædam tollerentur difficultates in animo Noſtro ſubortæ, dum interim privatis ſtudiis rem totam ad ſummum judicii rigorem exigeremus, demum die prima Maji An. MDCCXLV., in Feſto Sanctorum Apoſtolorum Jacobi & Philippi, celebratâ Miſſa in Baſilica Lateranenſi, publico Decreto edito, infraſcripta duo Miracula tertii generis omni ex parte probata eſſe declaravimus.

Primum eſt conſolidatio crurium & femorum pueri Joſephi Dionyſii, qui inferiora hujuſmodi membra adeo debilia & flaccida ab utero Matris attulerat, ut iis nullo modo corpus ſuſtentare poſſet; quin immò, quum eorum membrorum carnes, linteoli ritu, quaquaverſum complicarentur, oſſibus ea carere omnino putabantur: Hunc Mater biennii jam ætate nil proficientem, ad Aram adduxit, ſub qua Beati Joſephi corpus requieſcit; cumque Omnipotentem Deum pro deplorata filii ſanitate per ipſius Beati merita cum lacrymis exorâſſet, exaudita eſt oratio ejus, ita ut puerum inde pedibus ſuis incedentem domum reduxerit.

Alterum eſt ſanatio Antoniæ Morelliæ, cui congeſta tabes in ſiniſtra thoracis regione interiora viſcera adeo infecerat, ut licèt Chirurgi manu externus tumori hiatus apertus fuerit, attamen non ex eo ſolùm, ſed ſæpe etiam ex ægrotantis ore, ſanies mixta ſanguine alternatim fluere perrexerit, aſſiduuſque dolor cum tuſſi & febri, hecticam Mulierem biennio toto afflictam detinuerit; vulnus autem contracto callo, in fiſtulam degeneraverit, ex qua ſpiritus per reſpirationem pectore exceptus adeo liberè permeabat, ut aliquando candelæ flamam extingueret. In hoc deſperato valetudinis ſtatu, quum oleo ex lampade ante corpus Beati Joſephi ardente fiſtulæ labia inuncta fuiſſent, unius noctis ſpatio fiſtula coaluit, abſceſſit febris, & dolor, tuſſis ceſſavit, color, viresque redierunt, atque integra, & perſeverans valetudo Mulieri eſt reſtituta.

His igitur probatis, quum in præfata Sacrorum Rituum Congregatione coram Nobis coacta die III. Auguſti ejuſdem Anni MDCCXLV., propoſita fuerit quæſtio, an tutò procedi poſſet ad ſolemnem Beati Joſephi Canonizationem, nemini dubium fuit, quin juxta praxim Apoſtolicæ Sedis, & Prædeceſſorum Noſtrorum Decreta, omnia jam ad hujuſmodi effectum abundè ſuppeterent; Noſque ipſi demum die XVII. ejuſdem menſis & anni, in anniverſario aſſumptionis Noſtræ, ſolemne Decretum edidimus de eadem Canonizatione, ſervatis ſervandis, quandocumque peragenda.

Pro cujus decreti executione, quum prædictorum ſupremorum Principum, & Antiſtitum, ac Populorum vota, demiſſæque Ordinis prædicti Fratrum Minorum Capucinorum preces, Nos urgere non deſiſterent, tandem communicato conſilio cum univerſo Collegio Ven. Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto die XVIII. elapſi menſis Aprilis coram Nobis congregatorum, eorumque aſſenſu accepto, complures Ven. Fratres Archiepiſcopos & Epiſcopos ex tota fermè Italia ad graviſſimum conſilium advocavimus; eorumque judicio totam hujus cauſæ ſeriem, atque omnia, quæ de virtutibus & miraculis Beati Joſephi probata fuerant, tum oretenus in Conſiſtorio publico coram Nobis habito, in quo Dilectus Filius Philippus Maria Pirellius, Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatus, ipſius Beati Cauſam peroravit, tum in ſcriptis exponi mandavimus; traditâ nempe ſingulis diſtinctâ præmiſſorum omnium relatione, ex authenticis monumentis præfatæ Congregationis Sacrorum Rituum religioſè deſumptâ. Quibus præmiſſis, aliud Conſiſtorium die XIII. labentis menſis Junii coëgimus, in quo, præter Ven. Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales, prædictos quoque Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Romana Curia præſentes ſedere juſſimus, atque adſtantibus Apoſtolicæ Sedis Notariis, & duobus antiquioribus Cauſarum Palatii Noſtri Auditoribus, ſuper expetita Beati Joſephi prædicti Canonizatione ſententias dicere. Cumque omnes ad unum pro ſupre-

ma ipſius Beati glorificatione non aſſenſum modò ſuum, ſolidis rationibus confirmatum, ſed enixa etiam ſtudia & vota ſua declarâſſent, Nos quidem eâ de re à prædictis Apoſtolicæ Sedis Notariis publica Inſtrumenta confici, ac præterea prolatorum ſuffragiorum exempla à ſingulis ſubſcripta colligi, & in Tabularium Eccleſiæ Romanę inſerri mandavimus; Verumtamen, antequam ad ſerendam hujuſmodi definitivam ſententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium jejuniorum diebus, deſignatiſque ad ſupplicationes Eccleſiis, cum Indulgentia ab iis conſequenda, qui ſuas cum Noſtris obſecrationibus jungerent, publicas Eccleſiæ preces apud Deum Patrem luminum interponere curavimus, ut ad dirigendos ſenſus Noſtros juxta viam ſuam, gratiæ ſuæ auxilium Nobis non denegaret.

Tandem hac die, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli triumphis decorata, in Baſilica Vaticana, ad quam ſolemni ritu Nos præceſſerunt omnes Cleri Sæcularis & Regularis Ordines, omnia Magiſtratuum & Officialium Romanæ Curiæ Collegia, cum prædictis Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Eccleſiaſticum conventum celebrantes, antequam ſacra myſteria conficeremus, exhibitis Nobis iterum iterumque à Dilecto Filio Noſtro Joachimo Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero S. R. E. Cardinali Portocarrero nuncupato, per organum Dilecti Filii Virgilii Monteratini Conſiſtorialis Aulæ Noſtræ Advocati, prædictorum Chriſtianorum Principum, Eccleſiarum, & Populorum poſtulatinnibus, ac votis pro ipſius Beati Josephi a' Leonissa, quemadmodum etiam pro Beatorum Fidelis à Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, & Catharinæ de Riccis ſolemni Canonizatione, imploratâ prius Cœleſtium Spirituum, & Sanctorum omnium interceſſione, atque invocato Paraclyto Spiritu, ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, ac de conceſſa humilitati Noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ipſum Beatum Josephum, Ordinis Minorum Capucinorum Sacerdotem, omnium Chriſtianarum virtutum laude, plurimorumque miraculorum gloria, maturo Noſtro, & adſtantium Fratrum Noſtrorum judicio cumulatiſſimum, unà cum præfatis Fideli, Camillo, Petro, & Catharina, Sanctum eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adſcripſimus, ejuſque memoriam, quam in ſubſequuta Miſſæ celebratione Nos ipſi ſolemniter venerati ſumus, ab univerſa Eccleſia quotannis die xv. Februarii religiosè coli mandavimus; in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Omnibus quoque Chriſtifidelibus ad tantæ ſolemnitatis celebritatem congregatis, Plenariam, bis verò, qui ſingulis annis, prædicta die, ad ejuſdem Sancti Corpus venerandum acceſſiſſent, ſeptem annorum & totidem quadragenarum Indulgentiam, io forma Eccleſiæ conſueta, miſericorditer in Domino largiti ſuimus.

Gaudeant igitur in Domino univerſæ familiæ gentium, & in vocibus exultationis jubilent Deo, qui Eccleſiam ſuam perpetua miſeratione cuſtodiens, præclaris eam Sanctorum exemplis quotidie inſtruere, meritis atque præſidiis roborare non deſinit; ut, quibus per Filium ſuum ſanctiſſima vitæ documenta tradidit, ampliſſimamque Cœleſtis Regni hæreditatem promiſit, iiſdem per Sanctos ſuos, nova ad currendam ſalutis viam incitamenta, novam ſemper attingendæ metæ fiduciam præbeat; ipſo adjuvante & donante, qui & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio Noſtra; qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Ut autem præmiſſa omnia ad univerſæ per Orbem Eccleſiæ notitiam perducantur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus, ad Dei gloriam, & Fidelium eruditionem, indeficiens perſeveret; Nos ea præſentibus Apoſtolicis Litteris complecti & roborare voluimus; mandantes, ut harum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ diffinitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, tertio Kalendas Julii, Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Cum ſubſcriptione Emin. DD. Cardinal. &c.

Exempl. impreſſ. in Arch. Generali Ord.

Pro

Pro diebus feſtis eorumdem Sanctorum FIDELIS Protomartyris, ac JOSEPHI Confeſſoris, omnibus tum Fratrum, tum Monialium Ordinis Eccleſiis erectis & erigendis indulgentiam plenariam in perpetuum largitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

REdemptoris, & Domini Noſtri JESU CHRISTI, qui glorioſos ſaluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum Sectatores altis decoravit honoribus, & cœleſtis Beatitudinis conſortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum Theſauros, quorum Nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos Cœli Incolas Fidelium devotionem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis incrementum de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque in Urbe Noſtra exiſtentium conſilio Beatos FIDELEM A' SIGMARINGA Martyrem, ac JOSEPHUM A' LEONISSA Confeſſorem, & Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum profeſſores, auctoritate Nobis à Domino tradita Sanctos eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo ſolemni Ritu adſcripſerimus: Hinc eſt, quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia Charitate intenti, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis præfati hactenus erectis, & impoſterum quandocumque erigendis, & ubique locorum exiſtentibus die vigeſima quarta Menſis Aprilis Feſto Sancti FIDELIS A' SIGMARINGA, ac die quarta Menſis Februarii Feſto S. JOSEPHI A' LEONISSA à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Auguſti MDCCXLVI. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Breve formatum in Arch. Ord. Armar. Bullæ, Brevia *&c.*

RESCRIPTO PONTIFICIO

Altare Majus omnium Eccleſiarum Ordinis quotidie & in perpetuum privilegiatur.

Sanctiſſime Pater.

FRater Ludovicus à Taurino Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, qui ſumma, ac paterna Sanctitatis Veſtræ clementia fretus, filiali, qua par eſt, devotione, atque fiducia, jam viva voce deſiderium expoſuit, quo flagrant Miniſtri Provinciales ſui Ordinis pro ſingulis Provinciarum ſuarum Eccleſiis Altare privilegiatum quotidianum obtinendi, quum hactenus tribus tantùm hebdomadæ diebus hoc privilegio fruantur: clementiſſimo nunc obtemperans nutui Sanctitatis Veſtræ, quæ in benignæ propenſionis argumentum, viva voce ipſi præcipere dignata eſt, ut ſolitum libellum ſupplicationis porrigeret, dum ſanctiſſimis pedibus provolutus, ſe totum, ſuaſque preces humillimas Sanctitatis Veſtræ arbitrio conſecrat, profunda animi demiſſione, ut ſuæ petitionis gratioſum Reſcriptum conficere dignetur, enixè deprecatur. Quod ſingulare beneficium univerſa Religio non ſolùm ſperat, ſed conſecuturam eſſe ſe autumat, dum memoriâ repetit multos, ampliſſimoſque fructus incomparabilis beneficentiæ Sanctitatis Veſtræ in pauperes Capucinos, obſtrictiſſimos propterea ad preces ferventiſſimas indeſinenter effundendas, ut

Remunerator Deus diutiſſimè tantum Patrem incolumen ſervet.

Forlì. SS. D.N. Papæ Benedicto XIV. pro Fratre Ludovico à Taurino Procuratore Generali Ordinis Minorum Capucinorum.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI

Ex Audientia Sanctiſſimi die 22. Julii 1747.

Sanctiſſimus ex ſpeciali gratia præſentibus Oratoris precibus annuendo, Altaſe majus omnium Eccleſiarum Capucinorum Ordinis, cunctis in Orbis Provinciis exiſtentium, privilegiatum quotidia num in perpetuum eſſe, clementiſſimè declaravit, atque conceſſit; & voluit etiam idem Sanctiſſimus ex majori ſuæ Pontificiæ Beneficentiæ actu erga prædictum Ordinem, hujuſmodi Altaris privilegiati indultum, per hoc præſens reſcriptum ſuffragari, & robur idem, eamdemque firmitatem habere, perinde ac ſi per Litteras Apoſtolicas in forma Brevis, omnibus ſolitis muniti clauſulis, expeditum fuiſſet, & ad Patrem Procuratorem Generalem ejuſdem Ordinis &c.

Autograph. in Arch. Procuræ Ord.

NOTA

QUò inſignior eſt gratia Ordini noſtro per præpoſitum Pontificium Reſcriptum collata, eò plures (uti plerumque in materia Indultorum evenire conſuevit) inter Fratres obortæ deſuper ſunt, & adhuc oboriuntur quæſtiones, dum alii illam apicis litteralis tenaces, nimis coarctant, & alii ſpiritualis commodi avidi uſque ad exceſſum dilatant; hinc ut utrique præcaveatur vitio, aliquot hîc ſubjungere animadverſiones conſultum cenſui in numeros diſtinctas, quarum

Prima eſt. Quod Altare privilegiatum generaliter omnibus Ordinis Eccleſiis conceſſum privativè ſit annexum Altari Sanctuarii, ſeu aliàs *Majori* dicto, cum reſcriptum expreſsè dicat & determinet *Altare Majus*, ac proinde abſque ſpeciali & Apoſtolica facultate non poſſit, nec debeat ad aliud Altare Capellarum collateralium transferri. Habuêre quidem olim PP. Provinciales facultatem triplicis Altaris pro qualibet Provincia à Gregorio XIII. conceſſum privilegium tranſmutandi, quemadmodum *tomo 1. Bullarii fol. 53.* notatur, imò ex Reſponſo ſeu Oraculo Alexandri VII. ibidem adjuncto pro hujuſmodi translatione, novo recurſu ad S. Sedem opus haud erat, cum dicta translatio non novam gratiam, ſed majus duntaxat Fratrum vel Sæcularium commodum reſpiceret; nec ex hoc exemplo tamen, nec ex ratione illi ſubjuncta, hanc eandem facultatem PP. Provincialibus circa novum noſtrum privilegium competere inferri debet: non ab exemplo, cum allegata translatio non ſine expreſſa Pontificia licentia facta fuerit, uti patet ex verbis: = *ad quod Sua Sanctitas benignè condeſcendit, ac conceſſit, quod PP. Provinciales memoratam tranſmutationem liberè facere poſſent.* = Nec ex ratione, quod videlicet translatio privilegii non ſit nova gratia. Inhæret enim defacto Roma apici Reſcripti Pontificii, tum ut conformitas in Eccleſiis Ordinis retineatur, tum ut importuni, & continui recurſûs via intercludatur. Ex quo jam aliquibus Provinciis repulſam deſuper datam, aut aliis non ſine magna difficultate gratiam conceſſam fuiſſe, nemo miretur. Quantumcunque autem privilegium ad majus Eccleſiarum noſtrarum Altare reſtringatur, extenîvè tamen & illo gaudent Altaria Capellarum noſtrorum Valetudinariorum, non tamen ex interpretativo Fratrum judicio, ſed ex Reſcripto Pontificio expreſsè deſuper dato, & infra pag. 375. legendo.

Secunda. Per Ordinis Eccleſias in Reſcripto gratiæ memoratas intelliguntur tum Eccleſiæ erectæ, tum erigendæ, uti non obſcurè deducitur ex Sacræ Congregationis Indulg. Decreto ad dubium Ordinis Camaldulenſium ita emanato:

Cum ſub die 9. Februarii 1729. ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. benignè conceſſerit Privilegium Quotidianum Perpetuum Altari Sancti Romualdi in omnibus & ſingulis Eccleſiis Monachorum, Eremitarum, & Monialium Ordinis Camaldulenſium. Cumque deinde dubitatum fuerit, an præfatum Indultum intelligendum tantùm ſit pro Altaribus tunc erectis, vel etiam pro Altaribus in poſterum erigendis; Sacra Congregatio Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita, inſtante pro reſolutione prædicti Dubii R. P. D. Petro de Zaghis Procuratore Generali ejuſdem Ordinis, ſub die prima Octobris 1735. cenſuit, prædictum Indultum comprehendere tam Altaria, quæ tunc reperiebantur erecta, quàm in poſterum erigenda. Et facta de præmiſſis Sanctiſſimo Domino relatione per me infraſcriptum Secretarium ſub die quinta ejuſdem menſis Octobris, Sanctitas Sua benignè approbavit.

Tertia.

Tertia. Fruuntur privilegio, Ordinis Eccleſiæ ſive ſint conſecratæ, ſive tantùm benedictæ, cum Sacra prædicta Congregatio pro capacitate Altaris privilegiati conſecrationem Eccleſiarum non requiri, & econtra benedictionem harum ſufficere Decreto declaraverit ſequenti:

URBIS ET ORBIS.

Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita die 20. Martii 1752. fuerint præpoſita dubia = primò, an Eccleſiæ, Capellæ, & Oratoria publica nondum benedicta, nec conſecrata capacia ſint Indulgentiis? Secundò, an eandem capacitatem habeant Capellæ & Oratoria privata tam cum privilegio more Epiſcoporum, quàm ſine hujuſmodi privilegio? Reſponſum fuit ad utrumque affirmativè, ſed de ſtylo non concedi. Cum verò ſuper hujuſmodi Decreto nonnullæ quæſtiones ortæ ſint, præſertim in Germania, alii enim putant eandem reſolutionem afficere etiam Altare privilegiatum, quod quidem eſt vera Indulgentia pro Defunctis, alii verò exiſtimant excludere, eò quia licèt Altare privilegiatum ſit Indulgentia, attamen in generali Indulgentiarum conceſſione ex pluribus ejuſdem Sac. Congregationis Decretis nunquam comprehenditur, ideoque privilegium in litteris Apoſtolicis nuncupatur. Alii demum ſuſtinent Eccleſias, Capellas & Oratoria publica non ſufficere pro Altari privilegiato in iis obtinendo, quod ſint benedicta, ſed neceſſariò requiri, quod ſint conſecrata; idcireo ad eliminandas ſuper hujuſmodi re quaſcunque quæſtiones propoſitum fuit dubium = an pro Altaris privilegio ſufficiat, Eccleſias, Capellas, & Oratoria publica eſſe benedicta, vel neceſſariò debeant eſſe conſecrata? Et eadem Sacra Congregatio ſub 17. Aprilis 1752. cenſuit reſolvendum eſſe, affirmativè ad primam partem, & negativè ad ſecundam, nempe ſufficere eſſe benedicta. De quibus factâ per me infraſcriptum Sacræ Congregationis Secretarium die 22. ejuſdem menſis Sanctiſſimo Domino Relatione, Sanctitas Sua Votum Sacræ Congregationis benignè approbavit.

Quarta. Quod Altaris privilegium, quo ante ſuprapoſitum Reſcriptum Ordinis Eccleſiæ pro omnibus Defunctis decoratæ fuerant, vel ad certos hebdomadæ dies, vel ad tempus, vel ad certum Miſſarum numerum limitato, per enuntiatum Reſcriptum tollatur, ſive perpetuum ſit ſive temporaneum, ac in ejus locum privilegium quotidianum, perpetuum, & liberum &c. ſubrogetur,

Quinta. Firma tamen ſubſiſtunt Altaria pro determinatis dumtaxat Perſonis privilegiata; nam quemadmodum in Indulgentiis, quæ pro omnibus Chriſtifidelibus Eccleſiam, Capellam, Altare &c. viſitantibus conceſſæ ſunt, aliæ ſimiles, ſeu pariter pro omnibus Chriſtifidelibus in eadem Eccleſia &c. conceſſæ per clauſulam Apoſtolico Brevi inſertam, *Volumus autem &c.* omni robore deſtituuntur, non tamen aliæ Indulgentiæ, non ſimiles, ſed ad certum Perſonarum genus reſtrictæ invalidantur, quin econtra utraque Indulgentia, videlicet prima generalis, & ſecunda limitata in Eccleſia concurrere poſſit juxta Decreta Sacræ Congregationis Indulgentiarum 23. Junii 1676. 9. Februarii 1745. & in Moguntina 5. Februarii 1748. emanata, & Pontificio oraculo approbata, ita quoque per conceſſionem Altaris privilegiati factam Ordinis noſtri Eccleſiis pro omnibus Defunctis, non revocantur privilegia Altarium pro determinatis duntaxat Perſonis, *e. g.* Fundatoribus, Confratribus & Conſororibus alicujus Confraternitatis ibi erectæ &c. conceſſa, cum hujuſmodi Altaria reſtricta rectè cum privilegio Altaris pro omnibus Defunctis in eadem Eccleſia cumulentur, quemadmodum Sacra Congregatio *in Bergomen.* in Salisburgen. 21. Maji 1742. ac ſimiliter Decreto 1. Octobr. 1743. à Sanctitate Sua ſexto ejuſdem menſis confirmato reſolvit, & Reverendiſſimus Pater Carolus Antonius Calvi, Miniſter Generalis RR. PP. Conventualium, in ſuis litteris encyclicis, Romæ impreſſis, & ad quoslibet Ordinis ſui Conventus pro majore Altaris perpetuò & quotidie Ordinis ſui Eccleſiis pariter conceſſi intelligentia, hoc currente anno ablegatis cum aliis & variis declarationibus, Altare privilegiatum concernentibus ſolida eruditione inclyto Ordini ſuo nuntiavit.

Pro

Provincias ſervatis ſervandis, ac audito & recepto in ſcriptis Definitorii Generalis voto, in actu Viſitationis dividendi, Fr. Sigiſmundo à Ferraria, Miniſtro Generali, facultatem impertitur.

Dilecto filio, Sigiſmundo à Ferraria, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miniſtro Generali.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod Tu, qui Ordinis Fratrum Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miniſter Generalis exiſtis, occaſione viſitationis dicti Ordinis, benedicente Domino, pro tempore habendæ proſpectum habere poſſis, quod aliquæ ex Provinciis Ordinis prædicti vel ex pluribus diverſiſque Nationibus compoſitæ, vel ob earum vaſtitatem, propter quam conſueta viſitatio vigore Regulæ ac Conſtitutionum generalium omnino requiſita ad conſervandam regularem diſciplinam uni ſolo Miniſtro Provinciali penitus eſt impoſſibilis, vel propter alias legitimas rationes animum tuum pro bono pacis, proſperoque illius regimine moventes dividi debeant, illarumque diviſio neceſſaria ſit & in vigore facultatum Tibi ratione muneris hujuſmodi competentium, ad præmiſſa peragenda devenire nequis, Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſti, ut tibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excomunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, ut in actu viſitationis Ordinis prædicti per Te peragendæ, ſi neceſſitas ac bonum alterius ex Provinciis memorati Ordinis regimen ſive utilitas id exegerit, & dummodo Superiores & Fratres alterius ex Provinciis prædictis diviſionem faciendam à Te prius poſtulaverint, & poſtquam tamen diviſionem faciendam in Capitulo Provinciali ejuſdem Provinciæ ſic dividendæ propoſueris, & vocales in unum congregati per ſecreta ſuffragia pro hujuſmodi diviſione ſecretò præſtanda ſuum aſſenſum præbuerint, & præſtita ſuffragia pro hujuſmodi diviſione facienda ultra medietatem juxta præſcriptum per conſtitutiones ejuſdem Ordinis, authoritate Apoſtolica confirmatas, eſſe repereris, audito ptius, ac recepto in ſcriptis Diffinitorii Generalis ejuſdem Ordinis voto, Provinciam, ſeu Provincias in duas Authoritate noſtra Apoſtolica dividere, ac utrique Provinciæ ſic diviſæ Conventus, Domos, & boſpitia juxta datam Tibi à Domino prudentiam, & æquitatem reſpectivè aſſignare, cæteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna juxta datam Tibi à Domino prudentiam facere, & exequi liberè, & licite poſſis & valeas, facultatem & licentiam authoritate prædicta, tenore præſentium tribuimus, & impertimur. Præterea Provinciia ſic in duas, ut præfertur, per te diviſis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, prærogativis, juribus, & indultis, quibus reliquæ dicti Ordinis Provinciæ, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, authoritate, & tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus ſel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri litteris die 18. Junii MDCXLIII. editis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis diviſio prohibita reperitur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincisrum hujuſmodi, etiam juramento &c. Quibus omnibus & ſingulis &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Septembris MDCCXLVII. Pontificatuûs Noſtri Anno Octavo.

Breve formatum in Arch. Ord.

De validitate proceſſuum in cauſa Beatificationis & Canonizationis Ven. Dei Servi F. Laurentii à Brunduſio Generalis conſtare decernitur & proceſſus Baſſanus ſanatur.

BRUNDUSINA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei P. Laurentii à Brunduſio Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum.

PRopoſito per Celſitudinem Regiam Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis, Ducis Eboracenſis, Ponentis Cauſæ

Cauſæ Venerab. Servi Dei Laurentii à Brunduſio prædicti, ad inſtantiam P. Ludovici à Taurino, Procuratoris & Commiſſarii Generalis Ordinis Capucinorum, ac Cauſarum Religionis Poſtulatoris, in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria abſque interventu Conſultorum, ex diſpenſatione Apoſtolica, in eaque diſcuſſo infraſcripto dubio = *An conſtet de Validitate Proceſſuum tam Apoſtolica, quàm Ordinaria auctoritate conſtructorum; Teſtes ſint ritè, & rectè examinati; ac Jura producta legitimè compulſata, in caſu, & ad effectum &c.*: Sacra eadem Congregatio, audito prius R. P. D. Ludovico de Valentibus, Fidei Promotore, qui ſcripto & voce ſuam ſententiam expoſuit, reſcribendum cenſuit = *Prævia ſanatione Proceſſûs Baſſani obtinenda à Sanctiſſimo ad cautelam, in quo, loco Notarii, adhibitus fuit Doctor Sacerdos, Affirmativè, exceptis tamen Teſtibus ſexto, & vigeſimo octavo ejuſdem Proceſſûs Baſſani non juratis, & reſervato jure R. P. D. Promotori Fidei opponendi ſuis loco & tempore ſuper depoſitionibus Proceſſuum Informativorum non compulſatis in Proceſſibus Apoſtolicis*, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit: Hac die 31. Januarii 1750.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua nedum benignè annuit, verùm etiam prædictum Proceſſum Baſſani à prædicto defectu ſanavit: Die 11. Februarii 1750.

Exempl. impreſſum in Arch. Ord.

RESCRIPTO PONTIFICIO

Privilegio Altaris perpetuo & Fratres ſenes, infirmos &c. ad Eccleſiam ſe conferre non valentes, in Sacello Valetudinarii celebrantes gaudere, declaratur.

Beatiſſime Pater.

FRater Ludovicus à Taurino Ord. Min. S. Franciſci Capucinorum Procurator, ac Commiſſarius Generalis, ad S. V. Pedes, profundiſſima animi demiſſione provolutus, ſingulari, ac verè paternâ fretus charitate, qua S. V. Ordinem ſuum benignè, clementerque complectitur, poſt tot inſignia in eumdem collata beneficia, inter quæ, illud præ cæteris commemoratione dignum, quod Altare Majus omnium Eccleſiarum Ordinis Capucinorum, quotidie, ac perpetuò, privilegiatum eſſe decreverit, iterum S. V. preces ſuas humilimè porrigit, ut concedere dignetur, Capucinos Sacerdotes ſenes, Infirmos, vel imbecilles, qui ſe ad Eccleſiam conferre nequeunt, eodem privilegio, quod præfatis Majoribus Altaribus conceſſum reperitur, in valetudinarii ſacello celebrantes, uti ac gaudere poſſe: Etſi enim fel. record. Benedictus XIII. omnibus indulſerit prædicti Ordinis Fratribus, ut lucrari poſſent ſingulas Indulgentias, quæ in poſterum à Summis Pontificibus, ſuis pro tempore ſucceſſoribus, Eccleſiis totius Ordinis concederentur, in quibus etiam Altaris Privilegiati Indulgentiam comprehendi poſſe, nonnulli aſſerunt; nihilominus ut indultum hujuſmodi nullis obnoxium ſit interpretationibus, Orator S. V. humiliter ſupplicat, ut novum hoc poſteris monumentum ſuæ erga obſequentiſſimum Ordinem, ſingularis beneficentiæ, relinquere velit, declarando ſcilicet, etiam Altare valetudinariorum Conventuum Capucinorum, Privilegiatum eſſe pro Miſſis à ſupradictis Sacerdotibus ibi celebrandis. Quam ob gratiam.

Forit. SS. D. N. Papæ Benedicto XIV. pro Fratre Ludovico à Taurino Procuratore, & Commiſſario Generali Ordinis Minorum Capucinorum.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI

Ex Audientia Sanctiſſimi die 15. Septembris 1750.

Sanctiſſimus benignè annuit pro gratia, juxta petita.

Autographum in Arch. Ord.

RESCRIPTO PONTIFICIO

In omnibus & ſingulis Conventuum Bibliothecis libros prohibitos cum præſcriptis clauſulis aſſervari indulgetur.

Beatiſſime Pater.

IN omnibus ferè Fratrum Capucinorum Bibliothecis uſus jam pridem invaluit retinendi Libros prohibitos, diligenti tamen cuſtodia reconditos, ita, ut ipſis uti nequeant, niſi qui ratione proprii muneris, ſive ad docendam, ſive ad tuendam Catholicæ Fidei Doctrinam erroreſque impugnandos, eorum lectio-

lectione non rarò opus habere videntur. Ea-propter ad pedes S. V. provolutus Fr. Ludovicus à Taurino totius ejuſdem Ordinis Procurator Generalis &c. ut ſuorum omnium Religioſorum, ac Superiorum Localium præſertim, ſerenitati conſcientiæ magis magiſque conſulat, clementiam ſuam humillimè exorat, ut per expreſſam Apoſtolicam Auctoritatem impoſterum tutò liceat in omnibus, ac ſingulis Conventuum Capucinorum Bibliothecis præfatos Libros prohibitos aſſervare, ſub clavi tamen, penes Superiorem localem, vel Bibliothecarium cuſtodienda, ad eorum dumtaxat Religioſorum commodum, & majorem eruditionem, qui Confeſſarii, Concionatoris, Miſſionarii, ac Theologiæ Magiſtri officio funguntur, opportunam alioquin à Sancta Sede eoſdem legendi facultatem habentes. Quam ob gratiam &c.

Foris. SS. D. N. Papæ Benedicto XIV. pro Fr. Ludovico à Taurino totius Ordinis FF. Min. S. Franciſci Capucinorum Procuratore Generali.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI

Ex Audientia Sanctiſſimi die 10. *Maji* 1752.

Sanctiſſimus benignè annuit pro Gratia, ut petitur, ſtrictè tamen ſervatis conditionibus, juxta Oratoris preces.

Autograph. in Arch. Procuræ Gen.

RESCRIPTO PONTIFICIO

In Domibus ſeu Palatiis, in quibus à Fratribus Provinciarum Siciliæ, Sæcularibus Exercitia Spiritualia dantur, altare pro toto exercitiorum tempore de licentia Ordinariorum erigendi, nec non exercitiis peractis, non ſolùm hujuſmodi Siciliæ Sæcularibus, ſed etiam Religioſis, & aliis quibuslibet Sæcularibus, eadem exercitia in Conventibus ſeu Eccleſiis univerſi Ordinis facientibus, Benedictionem nomine Summi Pontificis cum indulgentia plenaria impertiendi, Directoribus facultas conceditur.

Beatiſſime Pater.

CUm ingenti Animarum fructu à Capucinis Provinciarum Siciliæ, ſæpiùs in anno, dantur Exercitia ſpiritualia ſæcularibus, qui ad hunc effectum in Domibus, aut Palatiis, concurrentium numero, & recollectioni magis adaptatis, ideo conveniunt, quod in Conventibus Capucinorum ob ipſorum anguſtiam convenire nequeant: ex quo fit, ut dicti Sæculares ad Eccleſiam pro audiendo ſacro pergere debeant, ſicque ultra temporis jacturam in eundo & redeundo conſummatam, tam divagatio mentis, recollectioni Animæ tam nociva, neceſſariò conſequatur: Unde Procurator, & Commiſſarius Generalis ejuſdem Ordinis, ad pedes Sanctitatis Veſtræ humillimè provolutus, nomine tum Provinciarum Siciliæ, tum aliarum ejuſdem Ordinis, in quibus, modo ſupradicto, dantur Exercitia Spiritualia, ſupplicat ſummæ Sanctitatis Veſtræ Clementiæ, quatenus indulgere dignetur, ut in Domibus, in quibus dantur hujuſmodi Exercitia, poſſit erigi Altare ad celebrandum toto tempore, quo continuantur Exercitia; unà cum facultate Directoribus eorundem Exercitiorum, Benedictionem nomine Sanctitatis Veſtræ impertiendi, cum Indulgentia plenaria, iiſdem peractis Exercitiis. Inſuper ſupplicat pro ſimili facultate impertiendi Benedictionem ipſam cum Indulgentia plenaria occaſione Spiritualium Exercitiorum, quæ in ejuſdem Capucinorum Ordinis Provinciis fiunt in Conventibus ſeu Eccleſiis, tum pro Sæcularibus, tum pro Religioſis.

Foris. SS. D. N. Papæ Benedicto XIV. pro Fr. Ludovico à Taurino Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Procuratore, & Commiſſario Generali.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI

Ex Audientia Sanctiſſimi die 23. *Octob.* 1752.

Sanctiſſimus attentis expoſitis, benignè annuit pro Gratia facultatis, unam Miſſam quotidie celebrandi, actuali tempore, & occaſione Exercitiorum Spiritualium, de quibus in precibus, ut petitur, de licentia tamen, & approbatione Ordinariorum reſpectivè Locorum, & habito omni majori reſpectu quoad Altare, ita ut decenter aptatum, ornatumque exiſtat; Annuendo quoque pro Indulgentia plenaria, lucranda per Chriſtifideles prædicta Exercitia, & ſimilia conficientes in reliquis Provinciis, juxta preces, ſacramentaliter Confeſſos, & Sacra

Com-

Communione refectos, nec non Benedictionem nomine Sanctitatis Suæ in ultima eorundem Exercitiorum die à reſpectivis Sacerdotibus Directoribus, recipientes.

Autograph. in Arch. Procuræ General.

DECRETO

Sac. Rit. Congregationis,

De validitate proceſſuum in cauſa Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Veronicæ de Julianis confectorum conſtare declaratur.

TIFERNATEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Veronicæ de Julianis Monialis Profeſſæ in Monaſterio S. Claræ Capucinarum Tiferni.

CUm per R. P. D. Ludovicum de Valentibus Fidei Promotorem, loco Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis de Gentilibus, Ponentis Cauſæ Ven. Servæ Dei VERONICÆ DE JULIANIS prædictæ, ad inſtantiam Poſtulatoris in Sac. Rituum Congregatione ordinaria abſque interventu Conſultorum ex diſpenſatione Apoſtolica propoſitum fuerit infraſcriptum Dubium = *An conſtet de validitate Proceſſûs Remiſſorialis, & Compulſorialis, Tiferni Apoſtolica authoritate conſtructi ab Anno* 1745. *ad* 1750., *nec non aliorum trium Proceſſuum in eadem Civitate Tifernaten. ordinaria authoritate compilatorum ab Anno* 1727. *ad* 1735.; *Teſtes ſint ritè, & rectè examinati; ac jura producta legitimè compulſata* (*exceptis tamen tribus Proceſſiculis, ordinaria pariter authoritate alibi conſtructis ſuper diverſis gratiis, aſſertiſque Miraculis Servæ Dei: Primo nempe in Civitate Cortonæ Anno* 1727. *Secundo in Civitate Aſſiſienſi eodem Anno* 1727.: *Ac Tertio in Terra Corinaldi Anno* 1729., *qui unà cum nonnullis aliis extrajudicialibus atteſtationibus, ſuper gratiis pariter, aſſertiſque Miraculis, in diverſis aliis locis ſequutis, inſerti & incorporati fuerunt in dicto Proceſſu Informativo Tifernaten. à fol* 944. *ad* 1275. *à tergo, quibus Cauſæ Poſtulatores pro nunc uti non intendunt*) *in caſu, & ad effectum &c.* = Sacra eadem Congregatio, audito eodem R. P. D. Promotore Fidei, qui ſcripto, & voce ſuam ſententiam expoſuit, referendum cenſuit, *Affirmativè*, reſervato Promotori Fidei jure opponendi &c. Si Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 10. Februarii 1753.

Factâque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 17. ejuſdem Menſis & Anni 1753.

Exempl. impreſſum in Arch. prædicto.

DECRETO

In cauſa Beatificationis &c. ejuſdem Ven. Servæ Dei Veronicæ, termino licèt 50. annorum necdum elapſo, ad examen virtutum & miraculorum, attentis peculiaribus circumſtantiis, procedi indulgetur.

TIFERNATEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Veronicæ de Julianis Monialis Capucinæ.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. ad relationem mei Secretarii, attentis peculiaribus circumſtantiis in ſupplici Libello expreſſis, ad humillimas Poſtulatoris preces benignè indulſit, ut in Cauſa Ven. Servæ Dei Veronicæ de Julianis prædictæ, ad examen & diſcuſſionem virtutum & miraculorum procedi poſſit, non obſtante, quòd adhuc integrè elapſi non ſint quinquaginta anni ab obitu ejuſdem, derogando in hac parte Decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII., aliiſque quibuſcumque in contrarium quomodolibet diſponentibus. Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die 24. Martii 1753.

Exemplar impreſſum in Archivo Procuræ Generalis.

Carolum Albertum, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Cavalchinum, Ordinis Protectorem constituit.

A' tergo. *Dilecto Filio nostro, Carolo Alberto, S. R. E. Presbytero Cardinali Cavalchino nuncupato.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm per obitum bon. mem. Thomæ, dum vixit, Episcopi Ostiensis, & Velliternensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ruffo nuncupati, Sacri Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegii Decani, dum pariter vixit, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris &c. *Residuum vide tom. 1. fol. 217.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die x. Martii MDCCLIII. Pontificatûs nostri Anno Decimotertio.

Exempl. in Arch. Procuræ Generalis.

NOTA

QUod Seraphicus Sanctusque P. Franciscus de petendo à Summo Pontifice Cardinale, qui juxta D. Bonaventuram *in exposit. Reg. sit Gubernator in bonis agendis, Protector in oppressionibus alienis, Corrector in delictis illius Fraternitatis*, in Regulæ capite 12. præscripsit, quodque ille ipse in Ordinis primordio suo monstravit exemplo, Ugolinum, Cardinalem Ostiensem, postea Gregorium IX. Pontificem Maximum, juxta Platum in tractatu *de Card. dignitate*, novissimè ab Archiepiscopo Tyri, Joan. Andrea Tria, additionibus &c. aucto *pag. mihi* 423. circa annum 1216. in Protectorem postulando, hoc Minoritana Religio in genere, & Capucina in specie solerter semper esplevit, quemadmodum à serie Eminen. Domin. Protectorum *tom. 1. fol. 221.* extensa videre est. Eapropter Religio nostra se Emo Dom. Cardinale Ruffo orbatam esse vix ingemuit, pro alio surrogando solitas ad Pontificium Thronum detulit preces, eo eventu, ut dolor de jactura Ruffa adhuc reglescens, nominatione in Protectorem Eminentissimi Domini D. Caroli Alberti Guidoboni Cardinalis Cavalchini, Præfecti Sacræ Congregationis negotiis Episcoporum & Regularium præpositæ &c. fuerit compensatus. Replevit Eminentissimum hic in ipso anniversario suscepti Sacerdotii sui die receptus nuntius tenerioris lætitiæ sensu, & Ordinis vota plenissimè æquavit; hinc sicut hic in gratioso Suæ Eminentiæ zelo protectionem fortem inveniisse gloriatur, ita, ut hac diutius potiatur, Deum precari nunquam intermittet.

SUP-

SUPPLEMENTUM
TOMI SECUNDI
SEU
PROVINCIARUM ITALIÆ IN COMMUNI.

Recurſum extra Ordinem pro obtinendis pulpitis, obedientialibus &c. Fratribus Italiæ, Conſtitutionem Clementis IX. innovando, interdicit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ Paſtoralis Officii ſollicitudo poſtulat, ut ea his, per quæ Chriſtifidelium ſub ſuavi Religionis jugo, ac arctioris vitæ inſtituto famulantium Regulari Obſervantiæ, Religioſæque tranquillitati, proſperoque ſtatui, regimini, & gubernio conſulitur, ejuſdem Officii partes ſedulò intendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Ludovicus à Taurino, Procurator, ac Commiſſarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Fraociſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs ſelic. record. Clemens Papa IX. Prædeceſſor noſter ad ſupplicationem bon. mem. Hieronymi, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Farneſii nuncupati, ejuſdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris nonnulla Decreta, quæ in Capitulo Generali memorati Ordinis ann. 1667. habito cum conſenſu, & approbatione omnium Vocalium tunc in dicto Capitulo congregatorum pro felici præfati Ordinis gubernio ſancita, facta, & ſtabilita fuerunt, per quaſdam ſuas eo ſimili forma Brevis die 11. Septembris ſupradicti anni expeditas litteras confirmavit, & approbavit, inter cætera verò decreta, ſeu ſtatuta approbata, & confirmata, ut præfertur, ita reperitur, nempe Concionatores non concionentur extra ſuas Provincias, niſi ſint Prædicatores, ſeu Concionatores inſignes, & concionari debeant in Cathedralibus, ſeu aliis conſpicuis Eccleſiis. Subinde rec. mem. Clemens Papa X. Prædeceſſor quoque noſter per alias ſuas in pari itidem forma Brevis die 2. Octobris 1671. expeditas litteras perpetuò interdixit, & prohibuit, ut Fratres dicti Ordinis de cætero ad obtinendas obedientias, ſive permiſſiones viſitandi eorum Parentes, ſeu propinquos, aut loca ſacra quæcumque, vel, ut ad dignitates, & officia, aut munera quælibet ejuſmodi Ordinis, aut ad ſtudia promoverentur, ſive, ut ab uno ad alium locum tranſire, vel in aliquo particulari Conventu dicti Ordinis permanere eis liceret, vel, ut cum eis diſpenſaretur ad hoc, ut ante peractum ſeptennale ſtudium in Concionatores aſſumi, munuſque Concionatoris exercere, aut, ut ante completum in eodem Ordine ſeptennium ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem promoveri valerent, ſive ad alia ſimilia conſequenda, tam pro ſe, quàm pro aliis Ordinis præfati Fratribus, ad quorumcumque perſonarum extra ſæpedictum Ordinem exiſtentium, etiam quavis Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate, præeminentia, & poteſtate fungentium, aut alia ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignarum favores, ſuffragia, vel interceſſiones recurrere, illiſve uti valerent quovis modo, vel præſumerent ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, Officiorumque per eos obtentorum, perpetuæ inhabilitatis ad illa, & quævis alia in poſterum obtinenda pœnis per contraventores ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis. Et ſubinde ſan. mem. Clemens Papa XII. pariter Prædeceſſor noſter per alias ſuas quoque in ſimili forma Brevis die 5. Maji 1733. expeditas litteras inter cætera inhærens memorati Ordinis Conſtitutionibus, quibus præſcriptum reperitur, recurſum, & appellationem interponendos eſſe gradatim à Guardianis ad Miniſtros Provinciales, & ab his ad ipſum Miniſtrum Generalem, ejuſque Definitorium, antequam Cauſæ, & lites ad alia Tribunalia extra dictum Ordinem deferantur, omnibus, & ſingulis Romanæ Curiæ Tribunalibus, Iudicibus, Officialibus, & Miniſtris, ac quibuſvis etiam Venerabilium Fratrum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Congregationibus, ne hujuſmodi Cauſas, & lites reciperent, &

cognoſcerent, niſi juxta modum ſuperiùs expreſſum, in dicto Definitorio Generali prius agitatæ, & definitæ fuerint, ſub pœna nul. litatis actorum, & quoad Religioſos recurrentes, ſeu appellantes, qui præmiſſis contravenerint, ſub gravibus ſui, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio infligendis pœnis, auctoritate Apoſtolica itidem prohibuit, & aliàs, prout in ipſorum Prædeceſſorum noſtrorum trinis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dictus Ludovicus Procurator, & Commiſſarius, (ut aſſerit) præmiſſis non obſtantibus compertum habet, quod nonnulli dicti ſui Ordinis Alumni tum favores Perſonarum extra prædictum Ordinem conſtitutarum pro obtinendis gratiis, pœniſque fugiendis ſibi procurare, tùm non ſervata forma pro recurſibus, & appellationibus, ut præfertur, præſcripta, ad Tribunalia etiam Sæcularia recurrere non deſinunt, tum etiam alii nullâ habita conſideratione obedientiæ, & dependentiæ erga ſuos Superiores, præſertim Miniſtros Provincialem, & Generalem debitæ, ipſis inſciis omne ſtudium in aſſequendis extra propriam Provinciam Pulpitis adhibere conantur, quibus obtentis obedientiam pro itinere faciendo ſibi concedendam eſſe prætendunt, etiamſi Pulpita eorum ingenii facultatem excedant, vel multoties Pulpita conſpicua non ſint, quamobrem contra diſpoſitionem dictarum Literarum Clementis IX. Prædeceſſoris prædicti temerè procedunt, & non ſine magna divagatione ſpiritûs, gravi Benefactorum, Conventuumque incommodo inutiliter itinerant, quando de Pulpitis præfatis Miniſtri Provinciales ſufficienter providere poſſunt, illaque diſtribuere, & aſſignare valent ſuarum reſpectivè Provinciarum Concionatoribus; nec neceſſarium exiſtit, ut omnes Concionatores dicti Ordinis concionentur, præcipuè cum magnus de præſenti excreverit illorum numerus, itaut tempore Quadrageſimæ regularis obſervantia ob defectum Religioſorum in Conventibus non leve detrimentum patiatur. Ut quælibet via præcludatur ambitioni, & debita reſpectivè Subditorum erga Superiores obedientia, exactaque regularis diſciplinæ obſervantia in eodem Ordine conſerventur, & ſicubi exciderint, reſtituantur, opportunum gliſcentibus malis, & abuſibus hujuſmodi remedium adhiberi, & aliàs in permiſſis ſalubriter à Nobis, ut infra, provideri, & ſibi indulgeri plurimùm deſideret, Nos, qui aliunde ex diutina rerum experientia probè novimus, quot, & quanta regularibus Ordinibus ex prædictarum, & ſimilium ordinationum inobſervantia, & fractione eveniant detrimenta, & damna, ipſius Ludovici Procuratoris, & Commiſſarii piis poſtulatis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Clementis IX., Clementis X., & Clementis XII. Prædeceſſorum Noſtrorum literas cum omnibus, & ſingulis in illis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, &, quatenus opus ſit, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Profeſſoribus, nunc, & pro tempore quandocumque exiſtentibus, ne ipſis ſub quovis prætextu, cauſa, ratione, & occaſione ad quoſcumque alterius Ordinis Fratres, & Superiores, vel extra dictum Ordinem ad quaſcumque tam Seculares, quàm Eccleſiaſticas perſonas, etiam Cardinalatûs honore, ac quacumque alia Eccleſiaſtica, vel ſæcularidignitate, & præeminentia — — — — fulgentes, ac etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntios, & dictæ Sedis Legatos, ſeu Vicelegatos pro obtinenda aliqua intra dictum Ordinem gratia, gradu, dignitate, vel officio, aut adminiſtratione, & aliis ſimilibus, vel pro vitanda, præſertim quoad Apoſtatas ob eorum patrata crimina, & apoſtaſiam, pœnâ ullo modo recurrant, ſub pœnis à dicto Clemente X. prædeceſſore præſcriptis, aſſignatiſque. Inſuper ipſis ejuſdem Ordinis Fratribus, ne per ſe ipſos, aut per interpoſitas perſonas cujuſcumque ſtatûs, gradûs, conditionis, & qualitatis, ac dignitatis hujuſmodi pulpita, in quibuſvis Civitatibus, Terris, Locis, aut Oppidis abſque Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis, vel illo abſente, Procuratoris Generalis pro pulpitis Civitatum, ſeu Eccleſiarum conſpicuarum, quæ eorumdem Superiorum Generalium obedientiales literas exigunt, ac Miniſtrorum Provincialium pro iis, quorum proviſio ad ipſos ſpectat, intra propriam Provinciam expreſsè petito, & obtento conſenſu ſibi procurare poſſint, neque Pulpita ipſa Quadrageſimæ, Adventûs, aliiſque temporibus per annum inconſultis Superioribus ſupradictis ſuſcipere audeant, ſeu quovis modo præſumant ſub pœnis ſuſpenſionis ad triennium ab exercitio concionandi, nec non vocis activæ, & paſſivæ ad ſexennium, ſingulis verò Sæcularibus, Eccleſiaſticis, & Regularibus

cujuſ-

cujuſvis Ordinis perſonis, ne præmiſſos dicti Ordinis Fratrum recurſus admittant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ præfatæ reſervatæ, per contrafacientes eo ipſo abſque alia declaratione incurrendas, auctoritate, & tenore prædictis interdicimus, & prohibemus. Recurſus autem uſque nunc à Fratribus dicti Ordinis habitos pro aſſequendis in poſterum Pulpitis à publicatione præſentium Noſtrarum literarum omnino, & ipſo facto ceſſare volumus, nec ullius roboris eſſe, ullumque effectum ſortiri, ac dicti Concionatores, qui à memoratis Superioribus Pulpita obtinuerint, ſtatim ac Apoſtolicos ſuos labores abſolverint, recto tramite ad proprium Conventum, propriamque Provinciam abſque ullo prætextu redeant ſub pœnis arbitrio dictorum Superiorum infligendis: neque ullo modo, ullave cauſa, præterquam cauſâ veræ, & actualis infirmitatis Ciſio, vulgò *il Caleſſe*, vel alio commodo, Seraphicæ Regulæ quovis modo contrario, uti valeant, ſub pœnis ſuperiùs expreſſis pro recurrentibus ad obtinenda Pulpita, quas quidem pœnas ad quoſcumque alios ejuſdem Ordinis profeſſores ſic contra Regularis Ordinis prædicti Inſtituti præſcriptum itinerantes ſine juſto, veroque infirmitatis motivo utentes Ciſio, aut alio commodo, ſcilicet ab exercitio concionandi per triennium, ſi Concionatores ſint, aliarumve pœnarum arbitrio dictorum Superiorum, ſi non ſint Concionatores privationis vocis activæ, & paſſivæ per ſexennium dicta auctoritate extendimus. Præterea in caſibus, in quibus Fratribus memorati Ordinis de jure appellare, aut recurſus habere licet, id non aliter deinceps fieri poſſe auctoritate, & tenore præfatis ſtatuimus, & ordinamus, quàm ut gradatim à gravamine Guardiani ad Miniſtrum Provincialem, vel Definitorium Provinciale, à Provinciali, vel Definitorio Provinciali hujuſmodi ad Miniſtrum Generalem, ſeu ad Definitorium Generale, ita ut cauſæ appellationis hujuſmodi, antequam à Superioribus Generalibus cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, agitari, & cognoſci nequeant. Quam quidem legem non ſolùm in appellationibus, ſed in quibuſvis recurſibus, & querelis, aut cauſis inter dictos ejuſdem Ordinis Profeſſores quocumque modo agitandis inviolabiliter obſervari ſub pœnis per prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones præſcriptis, ac contentis, ipſo facto abſque alia pariter declaratione incurrendis mandamus. Demum omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, ac quibuſvis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apoſtolicæ Nuntiis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recurſus, aut appellationes ſuper cujuſcumque cauſæ cognitione admittant, cauſaſque ipſas cognoſcant, niſi prius eis legitimè conſtiterit, illas juxta præſentes, & memorati Clementis XII. Prædeceſſoris literas præſcripto ordine ſervato cognitas, & definitas fuiſſe, ſub pœna nullitatis actorum inde ſecutorum, auctoritate, & tenore præfatis itidem harum ſerie interdicimus, ac omnibus, & ſingulis Ordinis prædicti Profeſſoribus ſub pœnis ſuperiùs expreſſis eo ipſo abſque alia declaratione irremiſſibiliter incurrendis, ne ipſi ad Sæcularia Tribunalia adverſus ea, quæ à dictis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, ſub quovis prætextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant, ſeu præſumant, ſeu per interpoſitas perſonas præmiſſa peragere curent, & faciant, dicta auctoritate prohibemus. Concedimus quoque Superioribus dicti Ordinis, ut ipſi contra ſimilia, ac ſuperiùs expreſſa, & in ejuſmodi literis contenta perpetrantes, & hiſce noſtris literis parere recuſantes, etiam per ſimplicem denunciationem, ſervatâ tamen forma Conſtitutionum præfati Ordinis procedere poſſint. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas &c. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari &c. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Maji milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

Breve formatum in Archivo Proc. Gener.

Provinciæ Romanæ.

SENTENTIA APOSTOLICA

Manutentio & uſus *Valchæ* ad Provinciæ favorem confirmatur.

Chriſti Nomine invocato.

PRo Tribunali ſedentes, & ſolùm Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juris Peritorum Conſilio in his ſcriptis ferimus in

Cau-

Cauſa, ac Cauſis, quæ primo, & in prima, ſeu alia veriori coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia inter D. Joſephum Bartoli, Syndicum Apoſtolicum RR. PP. Capucinorum Urbis, & Provinciæ Romanæ Actorem ex una, & D. Abb. Nazarium Baccarini tam nomine proprio, quàm uti Agentem DD. Fortunati, & aliorum Hæredum Altimani de Matina, & D. Joſephum del Rè Aſſiſtuarium Valchæ ſitæ extra Portam S. Sebaſtiani Urbis, tam conjunctim, quàm diviſim, ac aliàs omnino Reos conventos partibus ex altera, de, & ſuper manutentione in poſſeſſione liberi uſûs dictæ Valchæ ſitæ extra Portam S. Sebaſtiani in Via tendente ad Eccleſiam ejuſdem Sancti extra mœnia, in loco nuncupato *Aquataccio*, ad effectum purificandi, & valcandi omnes pannos, Velleres, ſeu Laneos, & Copertas, Sclavinas denominatas, pro ſervitio, & commodo dictorum PP. Capucinorum, ac liberi uſûs unius manſionis exiſtentis in eodem ſitu, & adnexæ cuidam veſtigio antiquo, ac Fœnilis cum ſtabulo cohærentis, ad formam piæ diſpoſitionis bo: mem. Dominici Altimani ex Inſtrumento publico rogato per Acta Franciſci Antonii Amadei, Not. Cap. die 3. Decembris 1677., ſeu &c. rebuſque aliis in actis Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latius deductis, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus (firmo remanente mandato de manutenendo in poſſeſſione liberi uſûs dictæ Valchæ, & adnexorum ad favorem dicti D. Joſephi Bartoli, quo ſupra nomine, per Nos ſub hodierna die contemporaneè relaxato) omnes, ac ſingulas exceptiones ad retardandam relaxationem dicti mandati de manutenendo in poſſeſſione liberi uſûs dictæ Valchæ, & adnexorum datas, & propoſitas pro parte dictorum DD. Abb. Nazarii Baccarini, Fortunati, & aliorum Hæredum de Altimanis, ac Joſephi del Rè, & ſignanter prætenſæ nullitatis piæ conceſſionis liberi uſûs ejuſdem Valchæ, & adnexorum aliàs factæ ſub anno 1677. à ſupraddicto bo. mem. Dominico Altimani, ac prætenſi limitati uſûs valcandi quolibet anno ſolummodò Petias viginti quatuor Pannorum ipſorum PP. Capucinorum, fuiſſe, & eſſe nullas, irritas, inanes, & irrelevantes, prout illas nullas, irritas, inanes, & irrelevantes per præſentes declaramus, & pro nullis, irritis, inanibus, & irrelevantibus haberi volumus, & mandamus, reſervato eidem D. Joſepho Bartoli, Syndico Apoſtolico, Jure imposterum coram Nobis agendi, contra quos de jure, prout de jure, & quatenus de jure ſuper prætenſa purgatione attentatorum, perpetuumque ſilentium ſuper præmiſſis prædictis DD. Abbati Nazario Baccarini nomine, quo ſupra, & Ioſepho del Rè imponimus, victoſque Victori in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure, inposterum reſervamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, non ſolùm præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo.

Ita pronunciavi. V. Paracciani Locumtenens A. C.

Aquam ejuſdem *Valchæ* divertere, aut curſum illius repagulis impedire, inhibetur, illiuſque usûs dumtaxat in quinque menſibus expreſſis poſſeſſoribus fundorum ſuperiorum conceditur.

Chriſti nomine invocato.

PRo Tribunali ſedentes, & ſolùm Deum præ oculis habentes per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de juris peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in cauſa & cauſis, quæ primo & in prima, ſeu alia veriori coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia inter Illuſtriſſimos Dominos Marchionem Bottum, hæredem bon. mem. Marchioniſſæ de Fabis, Aloyſium, & alios de Gualteriis, DD. de Ciallis, & D. Marcum Antonium Nuccioli, aliosque litis conſortes, poſſeſſores fundorum ſuperiorum ad Valcham ſitam extra mœnia S. Sebaſtiani Urbis in loco nuncupato *Aquataccio*, ſpectantem ad DD. Fortunatum, alioſque Altimani de Mutina, tam conjunctim, quàm diviſim, ac aliàs omni &c. Actores ex una, & D. Ioſephum Bartoli, Syndicum Apoſtolicum RR. PP. Capucinorum Urbis, & Provinciæ Romanæ reum conventum, partibus ex altera, de, & ſuper prætenſa per dictos DD. Poſſeſſores Fundorum ſuperiorum libertate divertendi aquam profluentem per eoſdem fundos ſuperiores in dictam Valcham, rebuſque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè ſententiamus, non licuiſſe, neque licere dictis DD. Marchioni Botto, Aloyſio, & aliis de Gualteriis, DD. de Ciallis, Marco Antonio Nucciolo, aliiſque litis conſortibus Poſſeſſoribus Fundorum ſuperiorum divertere aquam profluentem per eoſdem fundos ſuperiores in dictam Valcham, propterea que ipſos teneri, & obligatos eſſe in iiſdem fundis ſuperioribus præſtare liberum decurſum aqua-

aquarum in dictam Valcham, reſervatâ tantummodo dictis DD. Poſſeſſoribus fundorum ſuperiorum facultate in menſibus Maji, Junii, Julii, Auguſti, & Septembris accipiendi dictas aquas ſub hora 20. uſque ad horam 21. ſingulorum dierum, ad effectum irrigandi hortos in dictis fundis ſuperioribus jam exiſtentibus, & pro hujuſmodi effectu eiſdem DD. Poſſeſſoribus fundorum ſuperiorum in dictis deſignatis horis tantummodo licuiſſe & licere apponere repagula in dictis aquis, dictiſque horis elapſis, ſtatim teneri, & obligatos eſſe eademmet repagula removere, prout per præſentes ſub pœnis refectionis damnorum obligatos eſſe declaramus, & mandamus, perpetuumque ſilentium ſuper præmiſſis omnibus dictis DD. Poſſeſſoribus imponimus, victoſque victori in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure, inpoſterum reſervamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & definitivè ſententiamus, non ſolùm præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo &c.

Ita pronunciavi. V. Paracciani Locumtenens A. C.

Lata, & publicata die 26. Novembris 1751. per acta Jacobatii Notarii A. C.

Autographa utriuſque Sententiæ cum inſtrumento Donationis in Arch. Provinciæ Romanæ.

Provinciæ Marchiæ.

EPISTOLA

Sacræ Congregationis Lauretanæ.

Ad Ill. D. Gubernatorem Laureti data.

In ſepultura Fratribus in Baſilica Lauretana conceſſa alios, præter Fratres, ſepeliri prohibetur.

Perilluſtris, & Admodum Reverende Domine, uti Frater.

CUm litteris hujus Sacræ Congregationis ſub 2. Octobris anni elapſi 1743. Dom. Veſtræ Anteceſſori fuit injunctum, ut PP. Capucinis iſtius Hoſpitii in Baſilica, & quidem ſignanter in facie Capellæ Pietatis tantus ſitus concederetur, quantus ad conſtruendam ibi parvam ſepulturam, in qua, poſt mortem ſeparatim ab Altaribus tumulari poſſent, ſufficeret. Cumque libera hæc conceſſio executioni jam data eredatur, Sacra Congregatio ſtatuit, & expreſsè ordinat, ut in dicta ſepultura, præter Religioſos Capucinos, nulla alia perſona cujuſcumque conditionis, aut ſub quocumque prætextu poſſit ſepeliri. Conabitur proin ad obſervantiam reduci rigoroſam, quod eum præſentibus ordinatur, ac in regeſto notari ejus tenorem, quatenus Sueceſſoribus ſuis innoteſcat &c. Romæ 22. Februarii 1744.

Autograph. in Arch. Provinciæ Marchiæ.

Provinciæ Bononienſis.

SS. Reliquias in Eccleſia Domûs Fratrum Cæſenæ à Fr. Joan. Franciſco à Placentia Guardiano collocatas, inde extrahi vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni Sacrarum Sanctorum, & Sanctarum Reliquiarum, quas dilectus Filius noſter Frater Joan. Franciſcus à Placentia, Guardianus Domûs FF. Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Cæſenæ in Eccleſia ejuſdem Domûs ſe collocáſſe aſſerit, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, ſupplicationibus ejuſdem Ioannis Franciſci, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ne de cætero quiſquam quavis auctoritate fungens, Reliquias prædictas, ſeu earum aliquam partem, à dicta Eccleſia extrahere, aut aſportare, ſive, ut extrabantur & aſportentur, permittere, aut conſentire ſub quocumque prætextu, quæſito colore, aut cauſa, vel occaſione audeat ſeu præſumat ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contrafacientes incurrenda, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium interdicimus & probibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in aliquo perſpicuo loco,

loco, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcat. die XX. Martii MDCXLII. Pontificatûs Noſtri Anno Decimonono.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Reg. menſ. & anni præd. fol. 1.

NOTA

ET lege Sanctorum & Sanctarum Reliquias in Eccleſia prædictæ, & ex Magni Viri, Fr. Alphonſi Lupi, Hiſpani fundatione &c. celebris Domûs aſſervatas.

S. Aniceti Papæ, & Mart.
S. Anſelmi Mart.
S. Apollonii Confeſſ.
S. Benigni Mart.
S. Bonifacii Mart.
S. Caroli Borromæi Cardinalis.
S. Caſpari Mart.
S. Celſi Mart.
S. Centiani Mart.
S. Concordii Mart.
S. Conſtantii Mart.
S. Conſtantini Imperat.
S. Cornelii Mart.
S. Cypriani Mart.
S. Deſiderii Mart.
S. Diodori Mart.
S. Dionyſii Mart.
S. Eleutherii Papæ, & Mart.
S. Fabiani Mart.
S. Feliciani Mart.
S. Felicis Cap. Confeſſ.
S. Feliciſſimi Mart.
S. Fortunati Mart.
De Capillis S. Franciſci Aſſiſiatis.
S. Friderici Mart.
S. Gaudentii Mart.
S. Hilarii Epiſcopi.
S. Hilarii Mart.
S. Honorati Mart.
S. Ignatii Loyol. Confeſſ.
S. Innocentii Mart.
S. Juſti Mart.
S. Laurentii Mart.
S. Macarii Eremitæ.
S. Manſueti Militis.
S. Onuphrii Mart.
S. Paſtoris Mart.
S. Petri Mart.
S. Placidi Mart.
S. Priſci Mart.
S. Relati Mart.
S. Sempronii Mart.
S. Sergii Papæ, & Mart. &c.

Reliquiæ Sanctarum:

S. Antoninæ Virg. & Mart.
S. Clericis Virg. & Mart.
S. Caſtiſſimæ Virg. & Mart.
S. Euphemiæ Virg. & Mart.
S. Eufraſiæ Virg.
S. Franciſcæ Romanæ Viduæ.
S. Paulinæ.
S. Plautillæ Virg. & Mart. &c.

Provinciæ Lombardiæ.

Nonnulli Conventus de Provincia ſeparantur, & unitim cum Tridentinis in Provinciam Mantuanam eriguntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXpoſuit Nobis dilectus Filius noſter Marius S.R.E. Presbyter Cardinalis Millini nuncupatus, quod &c. *Reſiduum vide infrà.*

Provinciæ Venetæ:

Locum à Communitate Caſtri Portûs Naonis, aliàs & prius confraternitati S. Gotthardi conceſſum, Fratribus noſtris pro uſu & habitatione concedi confirmat.

Joannes Antonius, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Neocaſtren. Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ utriuſque Signaturæ Referendarius, & Prælatus Domeſticus, ac in toto Sereniſſimo Venetiarum Dominio cum poteſtate de latere Legatus Apoſtolicus.

Uni-

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

SEdis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas piis Religioſarum Perſonarum deſideriis conſuevit libenter annuere, illaſque in his præſertim, per quæ animarum ſaluti conſulitur, & unde Divini cultûs augmentum provenire dignoſcitur, libenter audire. Sanè pro parte dilectorum Nobis in Chriſto devotorum Religioſorum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Fratrum Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum videlicet Communitas & homines Caſtri Portûs Naonis Concordienſis Diœceſis habentes & pacificè poſſidentes ab immemorabili tempore citra, certum locum S. Gothardi nuncupatum, locum hujuſmodi certæ ſcholæ ſive Confraternitati conceſſiſſent, in quo conſtructâ quadam Baſilicâ Confratres dictæ ſcholæ S. Gothardi aliquando Miſſas pro eorum pia devotione celebrari faciebant, nunc ob ſingularem devotionis affectum, quem ſemper erga prædictos Fratres Capucinos, & eorum Ordinem & Religionem geſſerunt, & gerunt, locum prædictum, ſeu veriùs illius uſum, de dictorum Confratrum ſcholæ ſæpe dictæ S. Gothardi conſenſu, FF. Capucinis prænominatis, ac illorum Congregationi ſeu Ordini, ut gratum inibi ſamulatum Altiſſimo exhibere poſſint, dederunt & conceſſerunt, ac pro eorum ſimili uſu, & habitatione locum illum penes Baſilicam fabricari fecerunt, ac alia forſan geſſerunt, prout in quodam deſuper celebrato Documento pleniùs dicitur cuntineri.

Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, tam Fratres Capucini, quàm Communitas, & homines prænominati cupiant conceſſionem uſûs loci prædicti, ac omnia, & ſingula in dicto publico Documento contenta noſtræ approbationis, & confirmationis muniminе roborari, pro eorum parte Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequentes, auctoritate Legationis noſtræ, pro Divini cultûs augmento, conceſſioni uſûs loci prædicti conſenſum noſtrum præſtare, illaque cum omnibus inde ſecutis auctoritate Apoſtolica confirmare & approbare, aliàſque ſuper præmiſſis ſibi opportunè providere, de ſpecialis dono gratiæ dignaremur. Nos igitur ad ea libenter intendentes, quæ ad Divini cultûs, & piorum, ac religioſorum locorum, prædictique Ord. S. Franciſci augmentum tendere dignoſcuntur, eorundem FF. Capucinorum, ac Communitatis & hominum juſtis petitionibus gratum præbentes aſſenſum, ipſoſque, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, locique prædicti ſituationem, confines, qualitates, ac Baſilicæ antedictæ invocationem, ſeu titulum veriorem, dictique Documenti deſuper celebrati tenorem, præſentibus pro expreſſis habentes, conceſſioni uſûs ejuſdem loci noſtrum liberum præſtamus conſenſum, illamque cum omnibus inde ſecutis, ac, prout eam concernunt, alia omnia, ac ſingula in dicto publico Documento deſuper celebrato contenta, licita tamen & honeſta, auctoritate Apoſtolica, quâ ex munere Legationis noſtræ hujuſmodi fungimur in hac parte, tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Quodque Fratres Capucini prænominati, abſque alicujus cenſuræ ſeu pœnæ incurſu, locum prædictum ad eorum uſum dumtaxat recipere & retinere, ac inibi gratum Omnipotenti Deo, & Gloriosæ Virgini Mariæ, ac BB. Gothardo & Franciſco, & omnibus Sanctis famulatum præſtare, juxta eorum regularia inſtituta, ac ſuperinde eiſdem conceſſa Apoſtolica privilegia libere, & licitè potuerint, ac poſſint & valeant, decernimus & declaramus. Et nihilominus pro potiori cautela uſum loci prædicti, juxta conſenſum prædictum Communitatis & hominum earumdem tenore præſentium dicta auctoritate Apoſtolica eiſdem concedimus, & indulgemus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, Nobis inferiore, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas fieri, ſigilliique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri.

Datum Venetiis apud Sanctum Joannem à Templo anno Incarnationis Dominicæ milleſimo. quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo pridie Idus Januarii, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Pii Divina Providentia PP. V. Anno Tertio. Præſentibus &c.

Autograph. in Arch. Conventûs.

Eccleſiam S. Crucis Veronæ à Monaſterio Monialium S. Silveſtri, Ordinis Sancti Benedicti diſmembrari, & Fratribus noſtris conſignari approbat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Veronenſis in ſpiritualibus Generali, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

OFficii noſtri debitum exigit, ut ad ea, per quæ ſtatus Religioſarum Perſonarum quarumlibet in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium non ſolùm ubique vigeat, ſed etiam Auctore Domino felicibus proficiat incrementis; Eapropter, ne ea, quæ Ordini FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum conceſſa fuerunt, ab aliquibus impugnentur, neve temporis progreſſu litium corroſionibus ſubjaceant, robur Apoſtolicum iis adjicii mandamus, prout conſpicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Conventûs Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Veronenſium exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod, cum aliàs ipſi Guardianus & Conventus apud Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis Veronen. habitarent, ac in dies ſuccreſcente Religioſorum numero, anguſto & incapaci loco continerentur, & alio ampliori indigerent, ac ad hoc Eccleſiam Sanctæ Crucis Veronæ juris Parochialis, ubi & olim Monaſterium exiſtebat, quæque Monaſterio Monialium Sancti Silveſtri, aliàs Sanctæ Mariæ Matris Domini, etiam Veronæ Ordinis Sancti Benedicti canonicè unita, & incorporata reperiebatur, idonea videretur; Dilectus filius noſter, Auguſtinus, tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis Veronenſis nuncupatus, majoris Eccleſiæ Veronenſis ex diſpenſatione Apoſtolica Præſul, ſive ejus Vicarius in ſpiritualibus Generalis, ſufficienti ad id facultate ſuffultus, Eccleſiam Sanctæ Crucis prædictam, ac illius Domos, undique cum Broilo ex terra prativa ibi propinqua, necnon Domibus adjacentibus capacitatis in totum ſex camporum menſuræ illarum partium vel circiter, translatis prius per eumdem Auguſtinum Cardinalem ſeu Vicarium dictæ Eccleſiæ S. Crucis Parochialis paramentis, quæ prius in ea exiſtebant, & illorum animarum curâ universâ ad aliam Eccleſiam vicinam, necnon pro eiſdem Abbatiſſa & Monialibus earumque Monaſterio omnibus & ſingulis aliis Eccleſiæ S. Crucis, ac ei connexorum fructibus, redditibus, bonis, & juribus univerſis remanentibus, ab eodem Monaſterio Monialium, de conſenſu tamen exiſtentium illius Abbatiſſæ & Conventûs ad prædicti Auguſtini Cardinalis, & nonnullorum nobilium Virorum inſtantiam deſuper capitulariter præſtito, ordinaria ſua auctoritate perpetuò diſmembravit & ſeparavit, illaque ſic diſmembrata & ſeparata dicto Ordini Fratrum Minorum, ac pro eo ipſis Guardiano & Fratribus de anno Domini 1571. eâdem auctoritate etiam perpetuò appropriavit & incorporavit, prout in publicis Documentis deſuper confectis plenius dicitur contineri; & deinde præmiſſorum vigore, Guardianus & Fratres prædictæ Eccleſiæ Sanctæ Crucis, ac illius Domorum, ac Broili & terræ, aliorumque bonorum ſic appropriatorum & incorporatorum hujuſmodi poſſeſſione aſſecutâ, apud dictam Eccleſiam Sanctæ Crucis habitaverunt, & habitant de præſenti, ac Domibus & aliis bonis ſic appropriatis & incorporatis hujuſmodi gaudent. Quare pro parte dictorum Guardiani & Conventûs Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ne ſuper præmiſſis ſuccedentibus temporibus aliqua diſcordia oriri poſſit, præmiſſa confirmare & approbare, ac aliàs de ſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm æſtimationem prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus vocarentur, quorum intereſſet, opportunæ ſubventioni Domorum Ordinis hujuſmodi, quantùm in Nobis eſt, ſtudiosè conſulentes, Guardianum, & ſingulares Perſonas Conventûs hujuſmodi aſſerentes Eccleſiæ Sanctæ Crucis, ac illius Domorum, & Broili, necnon terræ, aliorumque bonorum ſic appropriatorum & incorporatorum hujuſmodi fructus, redditus & proventus trigінta ducatorum, ad rationem triginta unius groſſorum monetæ, earumdem partium pro quolibet ducato hujuſmodi ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, verumque Domûs & Cœventûs Fratrum hujuſmodi annuum valorem ſecundùm æſtimationem eandem, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, diſmembrationem, ſeparationem, appropriationem, & incorporationem prædictas, & inde ſecuta quæcunque, auctoritate noſtra ſimiliter perpetuò confirmes & approbes, illiſque plenariæ & inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, nec nõ omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, dicta auctoritate noſtra ſuppleas, &, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,

tari, irritum & inane decernas, non obſtantibus priori voluntate noſtra, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriis Monialium & Domûs, ac Ordinum hujuſmodi, etiam juramento &c. approbatis & innovatis, quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, tertiodecimo Kalendas Octobris Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Autograph. in Archivo Conventûs.

Provinciæ Mediolanenſis.

Nonnulli Conventûs à Provincia diſſecantur, & unitim cum aliis Ser. Regi Sardiniæ ac Sabaudiæ Duci ſubjectis in Provinciam S. Joſephi à Leoniſſa appellatam eriguntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ paſtoralis officii ſolicitudo poſtulat, ut his &c. *Reſiduum vide infra in fine Supplementi tomi ſecundi.*

Provinciæ Brixienſis.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Ad cuſtodiam Sanctuarii B. V. Mariæ prope Tiranum duos Fratres de Provincia deputari committitur.

Beatiſſime Pater.

IN Territorio Tirani, loci ſen Burgi in Valle Tellina conſpicui, in temporalibus Dominio Dominorum Rhætorum, & in ſpiritualibus Diœceſi Novocomenſi ſubjecti, reperitur celebre Templum, milliario ab incolatu diſtans, Magnæ Deiparæ Mariæ, quæ die 29 Septembris anno 1504. ibi comparuit, dedicatum, & à dicti loci populo in obſequium voluntatis, in actu apparitionis cuidam ſuo cultori ab eadem B. V. manifeſtatæ erectum. Cum poſtea largæ eleemoſynæ à totius Vallis devotis incolis ob tot prodigia & miracula, quæ Beatiſſima Virgo poſt apparitionem ibi operari dignata eſt, in gratiarum actionem ſuiſſent collatæ, celeritate & magnificentia extraordinaria opus Sanctuarii fuit inceptum, conſummatum, & à devotione Incolarum non exiguis munitum redditibus, quorum intuitu Leo X. anno 1513. Communitati Tirani eorum adminiſtrationem, cum facultate functiones ſacras promovendi, & cum amplo juriſpatronatu, independente à loci Parocho, & Ordinario Novocomi commiſit. Virtute hujus privilegii Communitas Tirani quolibet biennio quatuor Deputatos conſtituit, & annualiter rationem exigit; ſique accidat, quod deductis expenſis annuatim pro cuſtodia & decore Sanctuarii erogari ſolitis, quædam ſumma ſuperſtes maneat, ad cenſus & libellos pro emolumento Sanctuarii, & pro Religione Catholica in dictis locis magis conſervanda inveſtitur. Jam verò quatuor Deputati longâ jam experientiâ edocti, quod cura Sacriſtiæ, hucuſque Clericis & Perſonis ſæcularibus commiſſa, finem politiæ, decoris & attentionis tam famoſo Templo debitæ non conſequatur, illam duobus PP. Capucinis Sacerdotibus & Confeſſariis, vel Sacerdoti & laico, prout meliùs & opportuniùs dictis Deputatis videbitur, tum pro effectu ſuſpiratæ vigilantiæ, & decore Sanctuarii, tum pro Exterorum continuò ad id accurrentium commodo conferre, & eapropter habitationem pro dictis Patribus in vicinia Sanctuarii quamprimùm erigere, iiſque de debita ſuſtentatione providere intendunt. Hinc ad Sanct. Veſtræ pedes proſtrati humillimè ſupplicant, quatenus Communitati Tirani prædictæ, & conſectariò dictis pariter quatuor Deputatis pro tempore faculatem impertiri dignetur ex Conventu Tiranum inter & Sanctuarium memoratum ſito, vel ex Cõventu alterius ex Brixienſi vel Mediolanenſi Provinciis, ceu Valli Tellinæ conterminis, duos Fratres Deputatis beneviſos cum conſenſu P. Generalis ſeligendi, ſine tamen præjudicio ſubjectionis Superiori dicti Conventûs; videtur enim, quod labore ab ipſis in hoc officio adhibendo, onera alia, quæ aliàs in Religione ſufferre deberent, ſufficienter compenſentur. Quam gratiam &c.

Die decima quarta Martii 1750.

Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad quam Sanctiſſimus Dominus noſter ſupplicem hunc libellum remiſit, attentâ

tentâ relatione Epiſcopi Comenſis, auditoque Procuratore Generali Ordinis Capucinorum, benignè commiſit præfato Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, ſuprà dictam facultatem juxta petita pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratoribus gratis impertiatur; Ita tamen, ut bini Religioſi Capucini ſumantur ex Provincia Brixienſi, & illorum electio, & reſpectivè remotio de conſenſu Provincialis ſemper fiat.

Autograph. in Arch. loci.

Provincia Januenſis.

Recitatio Officii, & celebratio Miſſæ in honorem pretioſi Sanguinis Chriſti ſub ritu duplicis primæ Claſſis, poſtulante Fr. Carolo Franciſco à Sarzana, Clero Sæculari, & Regulari Civitatis, & Diœceſeos Sarzanenſis conceditur.

LUNEN. SARZANEN.

Conceſſio Recitationis Officii, & Celebrationis Miſſæ propriæ in honorem pretioſi Sanguinis D. N. J. C. ſub Ritu Duplici primæ Claſſis.

Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater.

FUlget Eccleſia Cathedralis Civitatis Lunen. Sarzaneu. pretioſiſſimo Sanguine D. N. J. C., & cultus equidem iuſiguis, ac impenſiſſimus devotionis fervor ſemper æquè præſulſit iu tota illa Diœceſi erga tale Pignus Redemptionis Noſtræ; itaut non ſolùm actualis Epiſcopus Lnneu. Sarzauen. in ſua iuformatioue tranſmiſſa ad Sacram Rituum Congregatiouem ſub die 29. Auguſti 1738., aſſeruerit, ex pluribus perantiquis documentis autheuticis conſtare, ſolemne Feſtum, & omnium maximum, celebratum ibidem fuiſſe quingentis ab hinc ultrà annis in ejuſdem pretioſiſſimi Sanguinis eelebrem memoriam; ac inſuper retulerit, ſolemniſſimam duei Proceſſiouem, à tempore, cujus initii verè monumeutum non extat, in prædicta Civitate, & die Feſto Sanctiſſimæ, Individuæque Trinitstia, cum interventu utriuſque Cleri, & Societatum Laicarum, maguoque Populi coucurſu, tam ex Suburbiis, quàm ex univerſa Lunen. Sarzanen. Provincia; tandemque affirmaverit, præſentiſſimum, ac potentiſſimum auſilium in neceſſitatibus omnes eſperiri, qnotiea devota & humilis ſupplicatio fit Deo Optimo Maximo eum Sacri Theſauri veneratione: Sed etiam, quod magis in rem eſt, Summi Pontifices ipſam Cathedralem Eccleſiam Lunen. Sarzanen. Chriſti Sanguine decoratam nnauimiter enunciârunt; & præcipuè glorioſæ recordationis Nieolaus V. Patritius Sarzanen. Summus Pontifex, Motu proprio, favore Concivium ſuorum anuo 1447. Kalendis Maji, ſub Plumbo, Indulgentiam perpetuam pro eodem die Feſto impertitus ſuit, his verbis = *Cupientes igitur, ut Eccleſia B. Mariæ de Sarzana, Lunen. Diœceſis, ejuſdem B. Mariæ inſignita vocabulo, in qua etiam Sanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſummâ devotione à Chriſtifidelibus veneratur, ob ejuſdem Virginis, & Sanguinis reverentiam congruis honoribus frequentetur, & ut Fideles ipſi eò libentiùs confluant animâ devotionis ad eandem &c.* = Unde ex iis omnibus præmiſſis, neque neglectis aliis documentis in poſitione Cauſæ exhibitis, Antiani prædictæ Civitatis, nomine etiam totius Cleri, Populique Lunen. Sarzaneu. & pro iiſdem Poſtulator deputatus Fr. Carolus Franciſcus à Sarzaua Ordiuis Miuorum Capucinorum Concionator, humillimè provolutus ad pedes Sanctitatis Veſtræ ſupplicat ad magis magiſque hujuſmodi devotionem confovendam, ut impertiri dignetur utrique Clero tam Sæculari, quàm Regulari, facultatem recitandi in ipſa Civitate, ac tota Diœceſi Lunen. Sarzsuen. Officium, ac reſpectivè celebrandi Miſſam pretioſiſſimi Sanguinis D. N. J. C. ſub ritu duplici primæ claſſis, feriâ ſecundâ poſt præuominatum Feſtum Auguſtiſſimæ Divinæ Triuitatis, pariterque ſub ritu ſemiduplici quibuſcumque aliis ſextis feriis, exceptis illis Adventûs, & Quatuor Anni Temporum. Qua de Gratia &c. Quam Deus &c.

Forti. SS. D. N. Papæ Benedicto XIV. Pro Antianis Civitatis Lunen. Sarzanen. &c. & illorum nomine pro Fr. Carolo Franciſco à Sarzana Concionatore Ordiuis Min. Capucinorum, Poſtulatore ab iiſdem Deputato.

Die 13. *Septembris* 1747.

RESCRIPTUM SS. DOM. NOSTRI.

Pro Gratia recitationis Officii, & celebratiouis Miſſæ feriâ ſecundâ tantùm poſt feſtum Trinitatis juxta Exemplar à Nobis conſignatum Fidei Promotori pro Civitate, & Diœceſi Sarzanen.

Offi-

Officium, & Miſſa propria in Fol. &c.

DECRETUM

Ex Secretaria Sacræ Rituum Congregationis.

Supraſcriptum Officium proprium cum Miſſa de pretioſo Sanguine Jeſu Chriſti, nuper de Mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti Papæ XIV. diligenter & accuratè juxta Regulam traditam in ſuo Opere *de Servorum Dei Beatificat., & Beatorum Canoniſat. lib. 4. par. 2. cap. 10. num. 10.* compoſitum, Sanctitas Sua benignè approbavit, necnon recitandum, ac reſpectivè celebrandum ab univerſo Clero, tam Sæculari, quàm Regulari Civitatis, & Diœceſis Sarzanenſis in feria ſecunda dumtaxat poſt Feſtum Trinitatis ſub ritu duplici primæ claſſis ex ſpeciali Gratia indulſit, & conceſſit, atque ita inpoſterùm ſervandum mandavit.

Die 16. Decembris 1747.

Exempl. impreſſ. in Archivo Ord. Armario Provinciæ Januenſis.

Provinciæ Pedemontanæ.

Conſtitutiones Monialium Monaſterii, B. Mariæ Conſolationis nuncupati, Civitatis Montis Regalis confirmat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatûs officium humilitati noſtræ, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, divinitus impoſitum ſalubriter exequi, adjuvante Domino ſatagentes, illa, quæ pro felici Sacrarum Virginum, Altiſſimi obſequiis, ſub ſuavi Religionis jugo mancipatarum directione providè conſtituta eſſe dicuntur, ut firma ſemper, ac inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri, cum id à Nobis petitur, patrocinio libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ, Abbatiſſa, & Moniales Capueinæ nuncupatæ, Monaſterii B. Mariæ Conſolationis nuncupatæ Civitatis Montis Regalis, Provincæ Taurinenſis Ordinis S. Franciſci, quod, eum quædam Conſtitutiones pro bono, & felici dicti Monaſterii regimine, atque gubernio aliàs editæ fuerint, ipſæ Exponentes illas, quò firmiùs ſubſiſtant, & ab omnibus arctiùs obſerventur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderant. Nos igitur eaſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Conſtitutiones præfatas, dummodo tamen ſint in uſu, ac licitæ, & honeſtæ, ac ab Ordinario loci approbatæ, Sacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, vel Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, aut Regularibus dicti Ordinis Inſtitutis non adverſentur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; Decernentes eaſdem Conſtitutiones, necnon præſentes litteras ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos, & quas ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque per quoſcumque Judices &c. in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Aprilis MDCLXXVI. Pontificatûs noſtri Anno Sexto.

Breve form. in Arch. Monaſterii; de quo exempl. in Arch. Gener. Ord. cum Conſtitutionibus, & relatione inſtitutionis Monialium.

Provinciæ Corſicæ.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

In cauſa quæſtuationis vertente inter PP. Reformatos Alziprati, & Conventus PP. Obſervantium, & Capueinorum Civitatis Calvi concordiam fieri mandatur, & facta approbatur.

IN cauſa Sagonen. Quæſtuationis vertente inter Conventum Alziprati Minorum Obſervantium Reformatorum ex unà, & Conventus Minorum Obſervantium, & Capucinorum Civitatis Calvi ex altera partibus, propoſitum fuit infraſcriptum Dubium, videlicet:

An

An liceat Patribus Minoribus Obſervantibus, & Capucinis Conventuum Civitatis Calvi quæſtuare in locis Ulmiæ, & Pini, eorumque adjacentiis, poſitis in diſtrictu Conventûs S. Franciſci Alziprati Patrum Reformatorum, in caſu &c.

Sac. Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo Ricci Ponente, re maturè perpenſa, ad ſupraſcriptum dubium reſpondit: Negativè. Romæ 16. Julii 1745.

Propoſitâ verò Causâ ſub infraſcripta die inter Patres Minores Obſervantes Reformatos Conventûs Alzipratí, & Patres Capucinos Conventûs Calvi ſub dubio = An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 16. Julii 1745. in caſu &c.

Eadem Sacra Congregatio, Ponente itidem Eminentiſſimo Ricci, ſub die 17. Maji 1748. cenſuit reſcribendum, prout reſcripſit = Ad Eminentiſſimum Ponentem juxta mentem, & mens eſt, quod procuretur Concordia, & ſub die 21. Junii 1748. reſcripſit, quod fiat omnino Concordia juxta votum Eminentiſſimi Ponentis.

Quæ quidem Concordia ſtabilita & concluſa fuit ſub ſequentibus conditionibus, nempe

Permittendum eſſe PP. Capucinis quæſtuationem omnium comeſtibilium à Regula S. Franciſci permiſſorum in duabus terris Plebium Ulmii, & Pini, hoc eſt, in terra Montalis pro Plebe Ulmii, & in terra Montis majoris pro Plebe Pini; & in omnibus aliis locis, comprehenſis in præfatis duabus Plebibus libera, & privativa quæſtuatio remaneat favore Conventûs PP. Reformatorum Alziprati.

Prælibata verò quæſtuatio à PP. Capucinis, ut ſupra, permiſſa, de quindecim in quindecim dies dumtaxat fieri debeat, firma remanente facultate favore quoque prædictorum Religioſorum Alziprati quæſtuandi in dictis locis juxta eorum Conventûs commodum omnibus aliis temporibus PP. Capucinis non permiſſis.

Quoverò ad quæſtuationem Muſti, faciendam eſſe à PP. Capucinis in terra tantummodo Montis Majoris.

Et ſupraſcriptam Concordiam à PP. Procuratoribus Generalibus utriuſque Ordinis acceptatam, & ſubſcriptam ipſamet Sacra Congregatio omnino exequi, & adamuſſim obſervari mandavit. Romæ &c.

Exempl. in Arch. Gener. Ordin. Armario Provincia Corſicæ.

Provinciam Mantuanam ex ſex Conventibus Mantuæ, & ſex aliis Tridenti, Definitorium Generalis Decretum confirmando, erigi jubet.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſuit Nobis dilectus Filius noſter Marius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Mellini nuncupatus, quod dilecti Filii, Definitorium Generale Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quò piis Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Mariæ Thereſiæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtris, Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Franciſci, Romanorum Regis in Imperatorem electi modernæ Uxoris deſideriis obſecundaret, ſex Conventus Mantuanos nempe Caſtillionis Stiverorum, Mantuæ, Terræ Hoſtiliæ, Aquæ Nigræ, Goiti, & Sermini Vici, dicti Ordinis, quos ſel. record. Clemens Papa XII. prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XXI. Januarii MDCCXXXVII. Provinciæ Lombardiæ dicti Ordinis univit, & incorporavit, vigore facultatis ſibi à Nobis attributæ à prædicta Provincia Lombardiæ per ſuum Decretum diſmembravit, & cum aliis ſex Conventibus Cuſtodiæ Tridentinæ univit, & incorporavit, novamque Provinciam Mantuanam nuncupandam erexit, prout in Decreto dicti Definitorii continetur, tenoris ſequentis: videlicet = Decretum Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum, quo ſex Conventus Mantuani cum Cuſtodia Tridentina uniuntur, ac in novam Provinciam eriguntur. Quod Sac. Cæſ. Majeſtatis Mariæ Thereſiæ Auguſtiſſimæ Romanorum Imperatricis, & Hungariæ, ac Bohemiæ Reginæ expreſſiſſima voluntas, ac ordinatio ſit, ut Cuſtodia Tridentina, ex cauſis clementiſſimum animum ejus moventibus, Provinciæ Tirolenſi non uniatur, ſed, ut ſex Conventus Mantuani, videlicet Caſtillionis Stiverorum, Mantuæ, Terræ Hoſtiliæ, Aquæ Nigræ, Goiti, & Sermini Vici, cum Conventibus Cuſtodiæ Tridentinæ, nempe Alæ, Arci, Roboreti, Tridenti, Condini, & Maleti unirentur, & una nova Provincia ex præallegatis duodecim Conventibus, Mantuana nuncupanda, erigeretur, per Eminentiſſimum ac Reverendiſſimum D. Cardinalem Mellini, ſuum apud S. Sedem Pontificiam Plenipotentiarium Definitorio Generali Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum ſuit intimatum. Hanc Sac. Cæſ. ac Regiæ Majeſtatis piiſſimam voluntatem & ordi-

ordinationem, ut par eſt, Definitorium Generale attendens, ac obſequioſiſſimi animi ſignificationem teſtari volens, primum Decretum Cuſtodiæ Tridentinæ cum Provincia Tyrolenſi unitivum, ejuſve ſecundum confirmativum revocat & annullat: Et tametſi ſupra ſpecificati ſex Conventus Mantuani per Breve Clementis XII. felic. recordat. anno MDCCXXXVII. die XXI. Januarii Provinciæ Lombardiæ uniti ſint, facultate attamen à feliciter regnante Summo Pontifice Benedicto XIV. obtentâ, prælallegatos ſex Conventus, videlicet, Caſtillionis Stiverorum, Mantuæ, Terræ Hoſtiliæ, Aquæ Nigræ, Goiti, & Sermini Vici, à Provincia Lombardiæ, vigore præſentis Decreti ſeparat, atque diſmembrat, & cum aliis ſex Conventibus Cuſtodiæ Tridentinæ, nempe Alæ, Arci, Roboreti, Tridenti, Condini & Maletii in unum aggregat, unit, ac in novam Provinciam, Mantuanam nuncupatam, cum omnibus prærogativis ad inſtar aliarum Provinciarum erigit; atque erectam eſſe ſtatuit, & decernit, non ſolùm hoc, ſed omni meliori modo, ac forma. In quorum fidem præſens ſubſcriptum, & Ordinis Procuræ Generalis ſigillo munitum Decretum in Definitorio Generali noſtro dedimus anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, die decima tertia menſis Martii. F. Ludovicus à Taurino Procurator, & Commiſſarius Generalis. Fr. Gelaſius Goritienſis Cap. p. t. Definitor Generalis. Fr. Paulus à Colindres Cap. ind. Definitor Generalis. F. Cherubinus à Noves Cap. ind. Definitor Generalis. Fr. Hilarion à Feroleto Cap. ind. Definitor Generalis. Fr. Joannes Maria à Parma Definitor Generalis. Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Marius Card., quò præinſertum Decretum firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret, Nos piis dicti Marii Card. votis, hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ſupplicationibus ejuſdem Marii Cardinalis Nobis ſuper hoc porrectis inclinati, prævia revocatione, quatenus opus ſit, dictarum litterarum Clementis prædeceſſoris, quoad incorporationem & unionem dictorum ſex Conventuum Mantuan. Provinciæ Lombardiæ, ut præfertur, factam, præinſertum dicti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Decretum, cum omnibus & ſingulis in eo contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque &c. ſupplemus & ſanamus. Decernentes eaſdem præſentes litteras &c. Sicque in præmiſſis &c. Non obſtantibus prædictis dicti Clementis prædeceſſoris litteris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciæ Lombardiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus &c. hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Martii MDCCXLIX. Pontificatûs noſtri Anno Nono.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA

MOtricem diſmembrationis, & unionis reſpectivè in hiſce litteris Apoſtolicis expreſſarum, Auguſtiſſimam Imperatricem & Reginam, Mariam Thereſiam fuiſſe, probant litteræ ab Eadem ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Mellinum ita datæ:

Nos Maria Thereſia, Divina favente clementia Romanorum Imperatrix, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regina; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ & Wirtembergiæ; Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, Gorltiæ, & Grandinæ; Dux Lotharingiæ & Barri, Magna Dux Hetruriæ &c.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, Amice chariſſime.

Reverendiſſimam Pat. Veſtram non latet, &, ſi opus foret, à Cardinale Alexandro Albani plenè percipere poterit, quæ hactenus obſtiterint, quò minus circa incorporationem Capucinorum Conventuum Cuſtodiæ Tridentinæ, ita dictæ, cum una, alterave Provincia ejuſdem Ordinis, ſcopus à Nobis intentus effectum ſuam hucuſque ſortitus ſit; Cum verò in eo perſiſtamus, ut dicta Cuſtodia aut in Lombardicam Provinciam ſuſcipiatur, aut ſaltem (quod quidem quid novi eſt) ſi PP. Lombardici animum hunc plenè abhorrerent, Conventus ſex Mantuanos, ante annos aliquot eiſdem unitos, iterum à ſe dimittant, Tridentinis uniri, atque

ita

ita bi duodecim Conventus ita uniti in Provinciam erigi queant; cui unioni, has tamen conditiones annexas, ac ab Ordine cautas ac ſtabilitas volumus, ne in hac Provincia plures quàm bi duodecim Conventus unquam ſint, & hinc novi non erigantur: in Conventibus quoque numerus Religioſorum non augeatur, ac in ſpecie in duobus novis Conventibus Malè, & Condin numerum duodenarium præſcriptum nullo tempore excedat. Hinc eſt, quod Rev. Pat. Veſtram biſce perbenignè rogamus, quatenus rem ad prædictam noſtram mentem, quæ unicè in bonum publicum ac commune quoque tam Capucinorum, quàm Franciſcanorum collimamus, apud Definitorium Ordinis Capucinorum pro ſuo in Nos laudabili ſtudio promovere, atque ad ecclerem effectum pertrahere velit. Ut verò Patres Lombardicæ Provinciæ aut ad receptionem Tridentinorum, aut ſaltem dimiſſionem memoratorum ſex Conventuum Mantuanorum eò facilius diſponantur, Gubernatori noſtro Statûs Mediolanenſis ſub hodierno quoque præciſum mandatum damus. De reliquo Rev. Pat. Veſtræ Benevolentiæ noſtræ affectum uberrimè confirmamus. Dat. in Civitate noſtra Viennæ die 11. menſis Auguſti anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, Regnorum noſtrorum octavo.

Cum autem unionem Conventuum Tridentinorum cum Provincia Lombardiæ diverſæ rationes redderent difficilem, fixa fuit aliorum ſex Conventuum ab ea ſciſſio, ſciſſorum cum Tridentinis unio, & ex unitis novæ Mantuanæ Provinciæ erectio.

Antequam tamen Reverendiſſimum Definitorium Generale, ad præſcriptam erectionem procederet, obſtaculum Apoſtolicarum litterarum, quibus Mantuani Conventus ante paucos annos Provinciæ Lombardiæ uniri debebant, tolli ſupplicârunt, libello ſupplici ſequenti.

Beatiſſimè Pater.

Volens Religio Capucina mentem ſuę Majeſtatis Cęſareę Imperatricis Reginę Hungaricę ac Bohemię, quę ſex Conventus Mantuanos, aliis ſex Tridentinis uniri, & ex omnibus unitis Provinciam formari deſiderat, ſecundare, ſimul & reflectens hoc ob obicem Brevis Apoſtolici, quo g. m. Clemens Papa XII. dictos Mantuanos Conventus Provincię Lombardię aggregavit, executioni dari non poſſe, ad Sanct. Veſtrę pedes proſtrata ſupplicat pro opportuna facultate, ut non obſtante dicta Pontificia diſpoſitione, ſi ita Sanct. Veſt. placuerit &c. Quam gratiam &c.

Ex audientia Sanctiſſimi ab infraſcripto D. Secretario ſub die 4. Decembr. 1748. Sanctiſſimus remiſit inſtantiam ad Definitorium Generale Ordinis, cum facultatibus neceſſariis & opportunis, ut non obſtantibus litteris in forma Brevis ſ. m. Clementis XII. enuntiatis in hoc ſupplici libello, provideat, prout in Domino magis expedire cenſuerit. Romæ &c.

Provincia S. Joſephi à Leoniſſa.

Ex Conventibus Montis ferrati, ac aliis Ser. Regi Sardiniæ, ac Sabaudię Duci ſubjectis, & à Provincia Mediolanenſi diſſectis erigitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ Paſtoralis officii ſollicitudo poſtulat, ut in his, per quæ Chriſtifidelium ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium proſpero ſtatui conſulitur, ejuſdem officii partes fedulò intendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper pro parte chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Caroli Emanuelis, Sardiniæ Regis Illuſtris, & Ducis Sabaudiæ, Nobis expoſitum fuit, quod aliquot ab hinc annis Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Cuſtodiæ Montis ferrati eidem Carolo Emanueli Regi etiam ſubjecti, Capitulo Generali ejuſdem Ordinis tunc celebrando ſupplicârunt, quatenus Conventus dictæ Cuſtodiæ prævia unione nonnullorum aliorum Conventuum ipſius Ordinis in Ditione itidem temporali dicti Caroli Emanuelis Regis exiſtentium, & à Provincia Mediolanenſi dicti Ordinis dependentium, vigore diſmembrationis dictorum Conventuum ab ipſa Provincia Mediolanenſi faciendæ, in Provinciam erigerentur: ſed attento parvo Conventuum Cuſtodiæ prædictæ, & aliorum ſic diſmembrandorum numero, Capitulum Generale prædictum exiſtimans dictos omnes Conventus ordinatam Provinciam conſtituere minimè poſſe, petitam erectionem Provinciæ denegandam eſſe cenſuit, eâque de causâ Fratres dictæ Cuſtodiæ in angustiis & miſeriis remanere pergunt, quippe qui regula-

gularem obſervantiam juxta eorum inſtitutum in omni parte obſervare nequeunt, nec ſtudiis incumbere poſſunt, ac ob deficientiam lanicii, vulgò *lanifizio*, veſtimentis, vulgò *veſtiarj*, privati de præſenti etiam remanent. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Carolus Emmanuel Rex, quò neceſſitatibus Cuſtodiæ prædictæ conſultum ſit, attento, quod Provincia Mediolanenſis dicti Ordinis ex quinquaginta duobus Conventibus conſtat, quorum decem & octo in Civitatibus, Terris & locis, Statûs & Ducatûs Mediolanenſis, Ditioni ſuæ temporali ſubjectis remanent, afferens, ſi ultimi, octo & decem Conventus ab ipſamet Provincia disjungerentur, & Conventibus ſupradictæ Cuſtodiæ unirentur, ex viginti quatuor omnibus Conventibus hujuſmodi, una ordinata Provincia conſtrui poſſet, in qua Regularis obſervantia conſtabiliretur, & illius Alumni, Profeſſoreſque ſtudiis operam navare valerent, ac diſſenſiones & animorum ſimultates in Capitulis Provincialibus pro electione Superiorum hujuſmodi Conventuum, quæ Religioſam quietem & Regularem obſervantiam aliquando conturbare ſolent, de medio aufferentur, attento, quod in præmiſſis dilectus etiam filius Sigiſmundus à Ferraria Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis, ſuum præſtitit conſenſum; Nobis propterea dictus Carolus Emmanuel Rex humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ejuſdem Caroli Emmanuelis Regis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, dictorumque Fratrum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas ſore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conventus à memorata Provincia Mediolanenſi dependentes, & ad illam annexos in Civitatibus, Terris & locis ſub temporali ditione ejuſdem Caroli Emmanuelis Regis ſubjectis exiſtentes, nempe de Aleſſandria, Arona, Cannobio, Caſſine, Caſtellazzo, Caſtelnovo, Domodoſſola, Novara, Oleggio, Orta, Pallanza, Romagnano, Seravalle, Tortona, Valenza, Varzi, Vigevano, & Voghera reſpectivè nuncupatos, à dicta Provincia Mediolanenſi, auctoritate Apoſtolica ſeparamus & diſmembramus, Conventuſque prædictos, ab eadem Provincia ſic ſeparatos & diſmembratos, unà cum aliis Conventibus ſupradictæ Cuſtodiæ Montisferrati, nempe di Caſale, Aqui, Moricalvo, Nizza, San Salvatore, & Fubine nam Provinciam S. Joſephi à Leoniſſa nuncupandam, quæ à proprio Miniſtro Provinciali ac Definitoribus, cæteriſque Superioribus, juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta, eligendis, nominandis, & deputandis, inpoſterum regi & gubernari debeat, dicta auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, conſtituimus & deputamus; Fratribus verò Conventuum per Nos, ſicut præmittitur, ab eadem Provincia Mediolanenſi diſmembratorum, qui votum ſive ſuffragium in ſupradicta Provincia habebant & ferebant, inpoſterum üs modo & forma, quibus illo in dicta Provincia uti, frui & gaudere poterant, pari modo in nova Provincia hujuſmodi uti, frui & gaudere valeant, auctoritate & tenore prædictis, itidem concedimus. Inſuper ipſi novæ Provinciæ ſic per Nos erectæ, & per præſentes conſtitutæ, illiuſque Conventibus, Domibus, Eccleſiis, ac Miniſtro Provinciali, Definitoribus, cæteriſque Superioribus pro tempore exiſtentibus, ac Fratribus & Perſonis quibuslibet, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus immunitatibus, prærogativis, præeminentiis, indulgentiis & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ, Conventus, Domus, Eccleſiæ, Superiores, & Fratres, aliæque perſonæ, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt & poterunt in futurum, valeat ſimiliter, & abſque ulla prorſus differentia, auctoritate & tenore prædictis, perpetuò etiam concedimus & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras &c. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices &c. ac irritum & inane &c. contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtrâ & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & illius primodictæ Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis quoque &c. confirmatis & innovatis: quibus & ſingulis &c. hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Decembris MDCCL. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Exempl. in Archiv. gen. Ord. Arm. Provincia S. Joſephi à Leoniſſa.

Supplementum ejuſdem Provinciæ.

Veterem Eccleſiam Parochialem loci Vartii cum annexis Fratribus pro conſtruenda ibi Domo Regulari concedi committit.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio, Vicario, Venerabili Fratri Noſtri Epiſcopi Dertonenſis, in ſpiritualibus generali ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ad uberes fructus, quos dilecti filii, Fratres Capucini, in agro Dominico quotidie in toto orbe terrarum ob eorum ſanctimoniam proferunt, adeo ut eorum bonæ famæ odor ita diffuſus ſit, ut quamplurimi Chriſtifideles eorum piis operibus moti, terrena in cœleſta felici commercio commutare deſiderantes, eis Conventus & loca regularia aſſignent, quinimo quamplures à vera ſalutis via aberrantes eorum bono exemplo ædificati relictis ſuis erroribus ad rectam veritatis viam redire ſatagant, attentè reſpicimus, dignum, quin potius debitum, reputamus, ut, quæ ad eorum domorum regularium propagationem conferunt, libenter concedamus, aliàſque deſuper diſponamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti Filii, moderni Generalis Ordinis Fratrum Capucinorum nuncupatorum Sancti Franciſci, petitio continebat, quod, cum à paucis annis citra, intrà ambitum Terræ Varzii, Dertonenſis Diœceſis, pro illius populi commoditate nova Parochialis Eccleſia conſtructa fuerit, in eaque jam pridem Miſſæ celebrari, & omnes parochiales functiones fieri ſoleant, ab eo verò tempore vetus parochialis Eccleſia, *Archipresbyteratus* nuncupata, Sancti Germani propè & extra moenia dictæ terræ ſita, ad quam ipſe populus ad Sacra audienda, & Sacramenta Eccleſiaſtica percipienda non ſatis commodè conveniebat, omni exercitio curæ animarum, & cultu divino deſtituta, ac prorſus derelicta remanſerit, & de præſenti illa, & ædificia ei contigua ex defectu neceſſariæ reparationis in ruinam collabantur, neque ipſe populus, neque earumdem Eccleſiarum Rector modum & facultatem illam reparandi, & utramque eccleſiam hujuſmodi in decenti ſtatu conſervandi & manutenendi habeant, expediatque veterem eccleſiam prædictam cuidam Religioni, ad effectum propè illam Monaſterium ſeu Domum regularem extruendi concedere. Ideoque præfatus Rector attentè conſiderans, Ordinem ipſum ad hoc apprimè idoneum fore judicaverit, & cum dilectis filiis illius Superioribus pluries egerit, & tractaverit; ipſique Superiores de dicta terra, & ſitu eccleſiæ veteris, illiuſque contiguorum ædificiorum hujuſmodi optimè informati, ſi ſibi concedantur, ad effectum in eis unam Domum regularem ejuſdem Ordinis juxta facultates illius Generali pro tempore exiſtenti à Sede apoſtolica conceſſas erigendi & inſtituendi, aeceptare deliberaverunt.

Quare pro parte dicti moderni Generalis, aſſerentis conceſſionem eamdem in divini cultûs in prædicta eccleſia augmentum, & dictæ terræ ornamentum, illius populi hujuſmodi ſpirituale commodum ceſſuram eſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus piis ejus votis hujuſmodi annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui divini cultûs augmentum & religionis propagationem cum populi devotione ſinceris exoptamus affectibus, modernum Generalem, & Rectorem prædictos, & eorum quemlibet, à quibuſvis excommunicationis, &c. abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, conſtito Tibi prius legitimè de præmiſſis, ac ſervatâ formâ conſtitutionis ſelicis recordat. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & decretorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum, ſuper nova Domorum regularium erectione editorum, dictam veterem Eccleſiâ cum omnibus, & ſingulis rebus in ea de præſenti exiſtentibus, nec non ædificiis hujuſmodi unam Domum regularē prope & circum circa juxta facultatem dicto Generali pro tempore exiſtenti, ut præfertur, conceſſam erigendi, & inſtituendi, ita quod liceat Generali, & aliis Superioribus & Fratribus ejuſdem Ordinis corporaleм, realem & actualem veteris Eccleſiæ, ac ædificiorum, & ſitûs hujuſmodi poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, eorum, & ejuſdem Ordinis nomine, propria auctoritate, ex nunc apprehendere, & retinere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, auctoritate noſtra perpetuò concedas & aſſignes. Et nihilominus, ſi conceſſio & aſſignatio hujuſmodi per Te præſentium vigore fieri contigerit, ut præfertur, in ſitû & ædificiis prædictis unam Domum regularem dicti Ordinis, ex nunc, prout ex tunc, vel è con-

contrà, poſtquam conſtructa, & ædificata fuerit, cum Eccleſia, campanili humili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, cæteriſque membris, & officinis neceſſariis pro duodecim ad minus Ordinis præfati Fratribus auctoritate prædicta, etiam perpetuò, ſine alicujus præjudicio, erigas, & inſtituas, ac Rectorem & Superiores præfatos nunc, & pro tempore exiſtentes ſuper præmiſſis à quocumque publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtari, inquietari, aut quoquomodo impediri, præſentes quoque litteras, ex quocunque capite, quantumvis legitimo, & juridico de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis, vitio, aut inteotionis noſtræ vel quopiam alio defectù notari, annullari, ſeu invalidari nulatenus poſſe, ſicque per quoſcunque judices &c. irritum, & inane, dictâ auctoritate noſtrâ decernas, non obſtantibus quibuſvis apoſtolicis, nec non in Synodalibus, Provincialibus, & univerſalibus &c. aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis iritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel ſpecie conceſſis, quibus omnibus, etiam ſingulis &c. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè latiſſimè derogamus, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Tertio nonas Februarii, Pontificatûs Noſtri Anno Secundo.

Bulla formata in Archivo Conventûs.

SUPPLEMENTUM
TOMI TERTII
ET
PROVINCIÆ NEAPOLITANÆ.

Hæreditatem pro fabrica Domûs Civitatis Sueſſanæ à Fratribus acceptata legitimat, quoddamque terræ petium in dictæ fabricæ beneficium converti indulget.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilectarum filiorum, Guardiani & Fratrum Domûs Capucinorum Civitatis Sueſſanæ, quod, cum alias de anno MDXCI. quondam Cæſar Guadagnabene de Napoli in ejus ultimo Teſtamento hæredem ejus univerſalem omnium bonorum, quæ in Civitate Sueſſana poſſidebat, Monaſterium Montis Caſſinen. Ordinis Sancti Benedicti inſtituerit, cum conditione, quod Monachi dicti Monaſterii, infra annum ab ejus obitu computandum, unum viridarium contiguum cuidam vineæ, inter bona dictæ hæreditatis comprehenſæ, prope portam & mœnia dictæ Civitatis ſuæ emerent, & ibidem unum Monaſterium & Eccleſiam ſub invocatione Sanctæ Mariæ Reginæ Cœli ædificarent, ibique aliqui Monachi dicti Ordinis ſemper habitare, & Divina officia ac Miſſas celebrare tenerentur; quodque, ſi dicti Monachi non reciperent hujuſmodi hæreditatem, aut præmiſſa non adimplerent, in eadem hæreditate modo ſuprædicto, & non aliter, Conventus Domûs S. Mariæ de Spiritu Sancto Ordinis Capucinorum dictæ Civitatis ſuccedat; Ipſis verò FF. Capucinis non acceptantibus, nec adimplentibus, ut ſuprà, tunc hæreditas prædicta eodem modo ad Fratres Carmelitanos devolveretur, ac aliàs, prout in dicto Teſtamento latiùs dicitur contineri. Cumque poſt obitum dicti Teſtatoris Monachi prædicti Monaſterii dictæ hæreditati per publicum Documentum renuntiâſſent, & propterea jus hæreditatis prædictæ ad prædictos FF. Capucinos ſecundò vocatos deveniſſet, tunc exiſtens ſupradictæ Domûs S. Mariæ de Spiritu Sancto Guardianus hæreditatem prædictam per decretum Curiæ Ducalis adivit, & illius poſſeſſionem apprehendit, & deinde ad fundationem & fabricam Monaſterii in dicta vinea deventum fuit. Cumque dilecti filii, Communitas & Homines Civitatis Sueſſanæ quemdam Marcellum Paſchalem deputâſſent, qui aſſiſteret operibus fabricæ, ipſe Marcellus quoddam terræ petium arbuſtatum in dicta

hæreditate comprehenſum, ad lumen candelæ vendidit, cujus pretii pars in fabricam, & pars in extinctionem debitorum Teſtatoris converſæ fuerunt, ac in quibuſdam Domibus in dicta vinea exiſtentibus, in quibus dictus Teſtator voluerat, ut quidam ejus Nepotes, quoad viverent, habitare poſſent, de conſenſu ipſorum Nepotum, qui opera dicti Marcelli habitationem prædictam ipſis Fratribus ceſſerunt, durante fabricâ prædictâ habitârunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi Guardianus & Fratres hujuſmodi hæreditatis incapaces exiſtant, & licèt hæreditas hujuſmodi ſub modo licito & congruo ipſis Fratribus, id eſt, ad Monaſterium conſtruendum, & Eccleſiam ædificandam, in qua Divinæ laudes, & Divina officia perſolvantur, ac ſacroſanctæ Miſſæ myſteria celebrentur, nihilominus dubitent, illam tutâ conſcientiâ retinere ſe poſſe, & aliquas fortaſſe cenſuras Eccleſiaſticas propter præmiſſa incurriſſe, & ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut eorum ſtatui, & conſcientiæ ſecuritati in præmiſſis opportunè proſpicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos prædictos Fratres ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eoſdem Guardianum & Fratres, & eorum ſingulos à quibuſcunque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ſi quas propter præmiſſa incurrerunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium gratioſè abſolvimus & liberamus, & cum eis ſuper irregularitate, ex eo, quod cenſuris hujuſmodi innodati Miſſas, & alia Divina officia, non tamen in contemptum clavium celebraverint, contractâ, diſpenſamus. Præterea eoſdem Guardianum & Fratres, quibus juxta declarationem per ſel. rec. Nicolaum Papam III. prædeceſſorem noſtrum factam, legata pecuniarum, ac bonorum mobilium & ſtabilium, & aliarum rerum, quę uſu conſumuntur, quandocunque ſub modo ipſis licito & congruo ad ſubveniendum nimirum neceſſitatibus eorum, & non ad theſaurizandum relinquantur, & dummodo non ſint facta in fraudem paupertatis, recipere abſque contraventione eorum Regulæ tuta conſcientia licitum eſt, hujuſmodi hæreditatis, tanquam ſi non jure hæreditario, ſed jure legati ipſis relicta fuiſſet, hac vice duntaxat capaces facimus, & eum eis deſuper opportunè diſpenſamus. Volumus autem, ut, ſi inpoſterum aliqua bona aut jura ad prædictam hæreditatem pertinere apparuerit, ipſi Guardianus & Fratres illa recipere nullatenus poſſint, ſed illa ad eos, ad quos de jure ſpectabunt, liberè deveniant. Quia verò, ut dicti Guardianus & Fratres aſſerunt, fabrica dicti Monaſterii nondum perfecta exiſtit, eiſdem Guardiano & Fratribus permittimus & concedimus, ut quoddam terræ petium in fabricam ejuſdem Monaſterii, & in beneficium ejuſdem Eccleſiæ converti faciant. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis &c. cęteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romę apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Novembris MDCII., Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Breve formatum in Arch. Conventûs.

DECRETO

Congregat. Sacrorum Rituum.

A' Fratribus noſtris Suburbiorum Cajetæ Proceſſionem Sancti Antonii die infra Octavam ab Epiſcopo deſignanda inſtitui, & in ea Statuam Sancti in Habitu Capucino circumferri poſſe declaratur.

Cajetana Proceſſionis.

ORtâ inter Patres Capucinos Suburbiorum Cajetæ ex una, & Patres Minores Obſervantes ejuſdem Civitatis ex altera partibus controverſiâ circa Proceſſionem S. Antonii, quam ipſi PP. Capucini peragere intendunt in Dominica infra octavam ejuſdem Sancti, illâque ad Sac. Rituum Congregationem delatâ, infraſcripta dubia coram Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Cardinali Lercario Ponente concordata, & decidenda propoſita fuerunt, nempe:

I. An liceat PP. Capucinis Suburbiorum Cajetæ in die feſto S. Antonii Patavini, ſive in Dominica infra octavam ejuſdem Sancti peragere Proceſſionem per Suburbia dictæ Civitatis in caſu &c. & quatenus affirmativè.

II. An eiſdem Patribus liceat in dicta Proceſſione geſtare ſtatuam ſive ſimulachrum ejuſdem Sancti in Habitu Capucinorum, in caſu &c.

Et Sacra Congregatio utraque parte ſcripto, & voce informante audita, viſiſque juribus hinc inde deductis, ad relationem præfati Eminentiſſimi Ponentis, reſcribendum cenſuit.

Ad I. Affirmativè, pro die ab Epiſcopo deſignan-

ſignanda infra octavam, exceptis diebus Feſtivitatis, & aliis, in quibus fit Proceſsio à Patribus Obſervantibus.

Ad II. Affirmativè, & amplius in omnibus: Et ita declaravit, ac ſervari mandavit. Die 26. Junii 1751.

Exempl. in Arch. Gener. Ord. Armar. Provincia Neapolitana.

Donum librorum, à Fr. Felice Maria à Neapoli, miſſum, ſicut & dedicationem alterius operis Nomini ſuo faciendam, regratiatur.

A' tergo. *Dilecto Filio, Fr. Felici à Neapoli, Capucino.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſaluiem & Apoſtolicam Benedictionem.

PEr manus Advocati Mauri recepimus epiſtolam ſub 10. menſis Novemb. proximè elapſi, conjunctim cum novem tomis operæ veſtræ, tam humaniter Nobis in donum miſſis. Reddimus Pat. Veſtræ pro amplo dono diſtinctas gratias, & eaſdem quoque reddere debemus, ſicuti reddimus, pro dedicatione, quam de alio ſuo opere Nobis facere intendit, ac à Cœlo omnem illam mentis ſerenitatem, quâ pro ſano ſuo ſtudio ſe indigere memorat, ei apprecamur. Interim eidem Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Februarii MDCCLII. Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. in Arch. Ord. Arm. Provincia Neapolitana.

Provinciæ Lucaniæ.

Fratribus novam Domum à Communitate Tricaricenſi conſtrui ceptam recipiendi, poſſeſsiones veteris Domûs cum hortis, pratis &c. alienandi, pretium inde redactum in fabricam novam, alioſque Fratrum uſus convertendi licentiam impertitur, ac ſtatuto municipali de non conſtruendis Conventibus &c. derogat.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

ROmanus Pontifex in Apoſtolicæ dignitatis culmine conſtitutus, ad ea libenter intendit, per quæ perſonarum omnium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, commoditatibus, ac Chriſti fidelium quorumlibet piis votis, & animarum ſaluti valeat ſalubriter provideri, ac aliàs deſuper diſponit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut dilecti filii, Communitas & Homines Civitatis Tricaricen. Nobis nuper exponi fecerunt, licèt annis dudum elapſis, una Domus Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum in territorio ejuſdem Civitatis rite conſtructa fuerit, tamen ob ejus nimiam vetuſtatem, maximam ruinam minetur, ac ab eadem Civitate & frequentia populi adeo longè diſtet, ut nemo illarum partium, nec devotionis aut viſitationis, vel etiam recreationis ſpiritualis causâ ad illam accedat; Et ſi Fratres Domûs hujuſmodi à dicta Domo, ut præfertur, ruinoſa, & ſibi maximè incommoda ad aliquam aliam Domum & Eccleſiam in dicta Civitate, per eoſdem Communitatem & homines conſtruendam transferrentur, & eiſdem Fratribus Domum & Eccleſiam hujuſmodi recipiendi, & primò dictam Domum, ac illius habitationes, & ipſis Fratribus ritè conceſſas poſſeſſiones & prata quibuſvis perſonis pro pretio ſeu pretiis ſibi benè viſis vendendi, licentia & facultas concederetur, ex hoc profectò quieti & commoditati, ac eorundem Communitatis & hominum pio deſiderio & ſpirituali conſolationi non modicum conſuleretur, ac dicta Domus, & alii ejuſdem Ordinis Fratres ad illam accedentes rectiùs in ſua devotione & obſervatione ſtatutorum ſui Ordinis perſeverarent, & inhabitationibus hujuſmodi maximum relevamen ſuſciperent, necnon cultus Divinus in ipſa Eccleſia conſtruenda amplius vigeret & augeretur; Quare pro parte eorundem Communitatis & hominum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Domum & Eccleſiam, ac ædificia jam deſignata & forſan fabricari cepta, & per eoſdem Univerſitatem & homines fabricanda & conſtruenda eiſdem Fratribus concedendi, ac Fratribus ipſis Domum & Eccleſiam, ac ædificia hujuſmodi recipiendi, & poſtquam Domus, & Eccleſia, ac ædificia adaptata, & eis conceſſa & dona-

donata fuerint, à primò dicta Domo ad ſeeundò dictam Domum & Eccleſiam hujuſmodi ſe transferrendi, & ibidem permanendi, & alias habitationes pro eis, & aliàs ejuſdem Ordinis Fratribus ad id neceſſarias conſtrui & ædificari faciendi, necnon relicta primò dictæ Domûs Eccleſiâ, primò dictam Domum cum illius hortis, pratis, vineis, & aliis quibuſcunque poſſeſſionibus quomodocunque nunc upatis, antea ſibi legitimè conceſſis, cuivis ſeu quibuſvis perſonæ ſeu perſonis; pro pretio ſeu pretiis ſibi beneviſis vendendi, facultatem concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim Religioni deditarum, commoditatem, & Divini cultûs augmentum libenter proeuramus, eorundem Communitatis & hominum piis votis in hac parte annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pro tempore exiſtentis Vicarii Provincialis dicti Ordinis ad hoc accedēte conſenſu, eiſdem Communitati & hominibus Domum, & Eccleſiam, ac ædificia per eoſdem Communitatem & homines deſignata, & forſan fabricari cepta pro uſu & habitatione, ac Eccleſia dictorum Fratrum conſtrui & ædificari, ſeu perfici faciendi, & illa ſic conſtructa & ædificata ipſis Fratribus concedendi, necnon eiſdem Fratribus illa recipiendi, & ad ea ſe transferendi, ac in eis permanendi, & alias habitationes pro eis, & aliis Fratribus ejuſdem Ordinis ad id neceſſarias conſtrui & ædificari faciendi, & relictâ primò dictæ Domûs Eccleſia, Domum ipſam eum illius hortis, pratis, vineis, & aliis quibuſcunque poſſeſſionibus quomodocunque nuncupatis ſibi, ut præfertur, conceſſis, cuivis perſonæ, vel quibuſvis perſonis pro pretio ſeu pretiis, quibus videbitur, vendendi & alienandi, ac pretium exinde proveniens, in fabricam ſeeundò dictæ Domûs, & alios illius, & Fratrum præfatorum uſus & utilitatem convertendi, abſque alio conſcientiæ ſcrupulo, & cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, Ordinarii loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus; Necnon Domum & Eccleſiam, ac ædificia eis, ut præfertur, donata prædicta, poſtquam donata, & iidem Fratres illa ingreſſi fuerint, de cætero Domum FF. Capucinorum vocari, nuncupari, & cenſeri debere, eoſdemque Fratres, ſive Moderatorem, & pro tempore exiſtentem dicti Ordinis Vicarium Generalem, ac ejuſdem Ordinis Adminiſtratorem, per quoſcunque etiam Ordinis FF. Minorum de Obſervantia nuncupatorum, & illius Generales ab eis, etiam prætextu quorumvis privilegiorum Apoſtolicorum illis concceſſorum amoveri, vel revocari, aut ſuper illius ac Domorum, & habitationum hujuſmodi uſu moleſtari non poſſe, neque debere; Necnon, ſi ſecus ſuper iis à quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus & declaramus. Non obſtantibus &c. etiamſi in eis, ac ſtatutis prædictis caveatur expreſsè, quod in Civitate, ſeu illius diſtrictu hujuſmodi nulla Domus Fratrum, etiam cujuſvis Ordinis conſtrui, ac ædificari poſſit, niſi à Domo FF. Minorum de Obſervantia nuncupat. Civitatis hujuſmodi per trecentas cannas menſuræ illarum partium, & forſan ultra diſtet; Quibus ordinationibus &c. ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, quinto decimo Kalendas Junii Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

Bulla formata in Arch. Conventûs, de qua exemp. Auth. in Arch. Ord. Arm. Provincia Lucaniæ.

Provinciæ Rhegien. in Calabria.

RESCRIPTO

Sacræ Congregationis Indulgentiarum.

Capella Excellentiſsimæ Domûs Ruffæ de Balneario in Eccleſia Fratrum Flumariæ ſitam in uno ex feſtis S. Crucis, ac in una feria ſexta Quadrageſimæ Indulgentiâ plenariâ, ac in altero S. Crucis feſto, aliiſque Quadrageſimæ ſextis feriis Indulgentiis partialibus, in perpetuum decoratur.

Beatiſſime Pater.

PRo parte Procuratoris Generalis Patrum Capucinorum fuit ſupplicatum, & à ſan. mem. Benedicto XIII. obtentum Altare privilegiatum perpetuum abſque expreſſione numeri Miſſarum pro tribus feriis hebdomadatim, fuitque gratia ad Altare majus omnium Eccleſiarum Conventuum Ordinis PP. Capucinorum in perpetuum per ſimplex Reſcriptum reſtricta, uti apparet ex copia in-

injuncta. Eapropter D. Carolus Ruffus Dux Bagnariæ, humillimus Sanctitatis Veſtræ Orator exponit, quod in Eccleſia PP. Capucinorum ſub titulo S. Franciſci Aſſiſiatis loci, & Feudi Flumariæ Diœceſis Rhegien. in Calabria, habeat Capellam Sanctiſſimi Crucifixi ab eodem Oratore non ſolùm inſigni partieulâ Sanctæ Crueis, ſed etiam variis ornamentis, & ſacra ſupellectile ornatam: hinc non ſolùm ad excitandam in populo devotionem, verùm etiam ad Dei gloriam cum veneratione dictæ Sacræ partienlæ augendam ſupplicat tum pro Altari privilegiato quotidiano perpetuo in dicta Capella Sanctiſſimi Crucifixi cum revocatione Altaris tribus vicibus hebdomadatim à ſan. mem. Benedicto XIII. privilegiati, tum pro Indulgentia plenaria in uno ex feſtis Inventionis & Exaltationis S. Crucis, & pro Indulgentia ſeptem annorum, totidemque quadrageoarum in altero feſto, tum pro Indulgentia pro feriis ſextis Quadrageſimæ. Supplicat præterea & demiſſimè Sanctitati Veſtræ, ut gratia in omnibus ipſi concedatur in perpetuum, & per ſimplex Reſcriptum, ita ut perinde valeat, ac ſi fuiſſet conceſſa per Breve Sanctitatis Veſtræ Apoſtolicum &c.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. audito voto Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ diei 21. Junii 1746. Quoad Altare privilegiatum reſpondit, gaudere impetratis, & attentis allegatis circumſtatiis, omnibus & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui prædictam Eccleſiam in una feſtivitate Sanctiſſimæ Crucis, & in una feria ſexta Quadrageſimæ per Ordinarium deſignandis devotè viſitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suæ piè oraverint, in utroque die plenariam Indulgentiam; in altera verò feſtivitate ejuſdem Sanctiſſimæ Crucis, ac in reliquis feriis ſextis Quadrageſimæ id egerint, Indulgentiam ſeptem annorum, totidemque quadragenarum pro ſingulis præfatis diebus benignè conceſſit, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Præſenti in perpetuo valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam abſque ulla Brevis expeditione ſuffragari.

Datum Romæ die XXV. Julii MDCCXLVI.

Autog. in Arch. Conventûs.

N O T A

PRæter particulam S. Crucis eountiatam, & Excellentiſſimæ Dominæ Ducisſæ, Joannæ Lanza & Ruffæ de Balneario, ab Emioentiſſimo Domino Cardinale Paulutio dono datam reperiuntur aliæ Reliquiæ inſignes, de quibus diebus infra notatis Officium eelebratur & aliæ non inſignes: Primæ ſunt

S. Clementioi Mart. 14. Novembris.
S. Clementis Mart. 21. Novembris.
S. Conſtantiæ Mart. 19. Septembris.
S. Eugenii Mart. 29. Julii.
S. Victoris Mart. 16. Decembris.

Quas eidem Eccleſiæ Excellentiſſimus Dominus Dominicus Ruffus à Balneario, Commendator Balivus Melicoccæ dono dedit; aliæ noo inſignes ſunt

S. Benedictæ Mart.
S. Bonifacii Mart.
S. Candidæ Mart.
S. Cœleſtinæ Mart.
S. Deodati Mart.
S. Donati Mart.
S. Felicis Mart.
S. Illuminati Mart.
Ex Pallio Sancti Joſephi.
S. Jucundi Mart.
S. Modeſtinæ Mart.
S. Pacifici Mart.

Quibus Eccleſiam memorata Excellentiſſima Domus Ruffa à Balneario ditavit, & ornavit.

DECRE-

DECRETO

Sac. Congregationis Epiſc. & Regul.

Inutiles libros Provinciæ mediante Syndico Apoſtolico vendi, & pretium retractum in alios libros utiles converti indulgetur.

Emi ac Revmi Domini.

FR. Micbaël à Regio, Miniſter Provincialis Capucinorum Provinciæ Regienſis in Calabria, EE. VV. humillimè exponit, quod in omnibus quaſi Bibliotbecis Conventuum dictæ Provinciæ, multi libri inutiles, ſuperflui, & duplicati reperiantur, quos in alios magis neceſſarios, & proficuos pro Religioſorum commodo converti deſideret. Cumque hoc per viam commutationis cum aliis libris pariter duplicatis, & inutilibus Bibliothecarum ſuarum juxta Pontificiæ conceſſionis tenorem obtineri nequeat, EE. VV. ſupplicat pro benigna licentia dictos libros inutiles, mediante Syndico Apoſtolico, & cum neceſſario Superiorum conſenſu diſtrahendi, & pecunias exinde retractas in alios libros magis utiles pro ipſarum Bibliothecarum beneficio convertendi. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione P. Procuratoris Generalis, benigoè commiſit Definitorio Provinciali, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo præfata librorum venditio, & emptio reſpectivè fiat per manus Syndici Apoſtolici Conventûs, Oratoris precibus, pro ſui arbitrio & conſcientia indulgeat. Romæ 5. Maji 1747.

Autog. in Arch. Provinciæ.

NOTA

FUit & anno ſubſequente eidem Provinciæ conceſſa à Sac. Congregatione *ſuper diſcipl. Regul.* duorum Laicorum ultra ſolitum numerum receptio, petita ut ſequitur:

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini. Motus injuncta rationabili ratione, & inſtantia omnium Patrum magis Graduatorum Provinciæ Rbegien. in Calabria Procurator, & Commiſſarius Generalis Capucinorum EE. VV. humillimè ſupplicat, quatenus dictæ Provinciæ receptionem ſex Laicorum, id eſt, duorum Laicorum ultra numerum hucuſque conceſſum, ob neceſſitatem ab Oratoribus expoſitam impertiri dignentur. Quam gratiam &c.

Ad quod fuit reſcriptum = *Die 29. Novembris* 1748. *Pro gratia.*

Autograph. in dicto Archivo.

RESCRIPTO PONTIFICIO

In Capella Hoſpitii loci *Monaſterace* nuncupati Miſſam ſub præſcriptis conditionibus celebrari indulgetur.

Beatiſſime Pater.

GUardianus Capucinorum Civitatis Stilli, Diœceſis Squillacenſis, Calabriæ ultra, Orator S. Veſtræ exponit, qualiter Hoſpitium in loco *Monaſterace* nuncupato, ejuſdem Diœceſis, pro commodo Fratrum, frequenter illud ad colligendam eleemoſynam accedentium conſtructum fuerit, & Capella ad Miſſæ Sacrificium in caſu protractæ moræ celebrandum in eo erigi debeat, cum ob diſtantiam nimis moleſtum ſoret accedere Eccleſiam dictæ Terræ. Cum autem attenta ootoria tum Capucinorum, tum dicti Hoſpitii paupertate, taxa pro expeditione Brevis aliàs requiſita ſolvi non poſſit, Sanctitatis Veſtræ ſupplicatur, quatenus petitam gratiam per viam Reſcripti ſignare, & concedere dignetur. Et Deus &c.

Ex audientia Sanctiſſimi die 9. Julii 1750.

Sanctiſſimus benignè annuit pro gratia, ut petitur, pro Religioſis in Hoſpitio, de quo in precibus, degentibus; habito tamen omni majore reſpectu ad loci decentiam, & ſervatis reliquis ad hujuſmodi effectum ſervandis: necnon certioratis tum Epiſcopo, tum Superiore Generali Ordinis. Et voluit idem Sanctiſsimus gratiam hanc per hoc præſens Reſcriptum perinde valere, ac ſi per

Apo-

Apoſtolicas litteras in forma Brevis expedita fuiſſet.

Autograph. in Arch. Conventûs.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Cauſa Fabricæ Sacerdotum Eremitarum Miſuracæ ad Ordinarium remittitur, & quæſtuatio, ac Habitus Eremiticus dictis Sacerdotibus inhibetur.

Emi ac Revmi Domini.

CApucini Conventûs S. Mariæ Angelorum Miſuracæ, Calabriæ ultrà, Dioeceſis S. Severinæ, humillimi Eminentiarum Veſtrarum Oratores, devotiſſimè exponunt, qualiter à RR. PP. Dominicanis ejuſdem loci ad impediendum fabricam Sacerdotum, ſeu Eremitarum, à Sacerdote Matthæo Lamanna attentatam, ad hanc Sacram Congregationem factus fuerit recurſus, & EE. Veſtræ duabus vicibus informationem Ordinarii deſuper ſentire dignatæ fuerint. Cum autem hic ſe ad favorem dictæ novæ erectionis nimis partialem demonſtraret, hanc nihil prorſus Conventibus Mendicantium ibi præexiſtentium præjudicare retulit, quamvis de cætero admittat & referat, ſumptuoſam Eccleſiam, & fabricam hucuſque productam, & ſemper magis dilatatam, eleemoſynis eſſe factam, à paucis miſeriſque Incolis ſubminiſtratis, & quidem in grave damnum & præjudicium, non ſolùm humilium Oratorum, ſed etiam aliorum Conventuum Mendicantium, tum in dicta Terra Miſuracæ, tum Philocaſtri, à dicta Terra parum diſtantis, tum in aliis in diſtrictu quatuor milliariorum exiſtentibus, & conſequenter in celebri Conſtitutione Gregorii XV. quâ hujuſmodi erectiones ſeu fabricæ abſque expreſſo Conventuum Mendicantium intra limites quatuor milliariorum præexiſtentium conſenſu prohibentur, comprehenſis. Et quantumvis Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus, præjudicium à dicta nova fabrica prædictis Ordinibus Mendicantium adnaſcens, probè agnoſcat, & ideo in ſua informatione exponat, quod Sacerdos Lamanna, ejuſdemque ſequaces deinceps quæſtuationem non ſint facturi, hoc tamen ſufficere non videtur, nam, cum Lamanna quotidie confeſsiones excipiat, eleemoſynas probeneficio Pœnitentium ad fabricam continuandam & proficiendam dari debere inculcat; ſique etiam hodie à quæſtuatione abſtinerent, non tamen abſtinere poterunt cras, nec etiam, cum ſolitarium hoc Domicilium ſit Eremitarum, ſeu Sacerdotum nihil poſsidentium; aliter facere poterunt, quàm neceſsitate compulſi eleemoſynas pro ſua ſuſtentatione, & proviſione Eccleſiæ conquirere. Quo in caſu Mendicantes, qui jam à centum annis in dicto loco reperiuntur, ſe ſuâ neceſsariâ ſuſtentatione privari conſpicient, quod ne fieret, principalis ſcopus fuit præfatæ Conſtitutionis Gregorii XV. & aliarum Bullarum Apoſtolicarum ſupra hujuſmodi controverſias emanatarum, vigore quarum etiam hæc Sacra Congregatio ſemper tales novas fundationes inhibuit, ne Mendicantibus, qui miſerè ex quæſtuatione, per Regulæ obſervantiam iis præſcriptâ vivunt, præjudicium inferatur. Ut autem Eminentiæ Veſtræ cum ſolidiore fundamento prætenſam novam erectionem inhibere, & de præjudiciis, quæ defacto Oratores ſufferunt, & quæ deinceps majora ſufferre debebunt, meliùs informarè poſsint, humillimè ſupplicant, quatenus Epiſcopi vicinioris, qui ab omni paſsione purus EE. Veſtras de intollerabili præjudicio, quod ipſi Oratores, & alii Mendicantium Ordines ex hac nova fundatione patiuntur, & deinceps adhuc magis patientur, edocere poterit, dandam informationem committere, & interim proſecutionem dictæ fabricæ uſque ad novam EE. Veſtrarum diſpoſitionem ſuſpendi mandare dignentur. Quod &c.

Sacra Congregatio Eminentiſsimorum ac Reverendiſsimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, referente Eminentiſsimo Lantes, Ponente, re maturè perpenſa, cenſuit reſcribendum, prout reſcripſit: Prohibitâ quæſtuatione, & Habitu Eremitico, in reliquis ad Ordinarium ſimpliciter. Romæ 11. Decembris 1750.

Autogr. in Arch. Conventûs.

Decretum, quo S. Congregatio Epiſc. & Regul. RR.PP. Reformatis Civitatis Neocaſtrenſis Feſtum & Tredicinam S. Antonii, aliàs in Eccleſia FF. noſtrorum ſolemniter celebrari ſolitam, necnon aliam quamcumque feſtivitatem intra Tredicinam incidentem, cum pompa, & campanarum pulſatione celebrare prohibuit,

ad inſtantias Syndicorum & Electorum Civitatis prædictæ confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Syndici & Electi Civitatis Neocaſtren., quod, cum ipſi ab antiquo, & immemorabili tempore in pacifica poſſeſſione eſſent celebrandi Tredicinam vulgò, ut dicitur, ac feſtivitatem S. Antonii Patavini Patroni, & Protectoris Principalis prædictæ Civitatis ſolemni apparatu in Eccleſia dilectorum pariter Filiorum, Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ejuſdem Civitatis privativè quoad omnes, etiam dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum, tamen dicti Fratres Reformati uſque ad ann. 1708. dictam poſſeſſionem diſceptare præſumpſerunt, ita ut cauſa ſuper prætenſione celebrationis Tredicinæ, & Feſtivitatis hujuſmodi inter Exponentes, & Fratres Reformatos prædictos coram tunc exiſtente Epiſcopo Neocaſtren. agitata, & diſcuſſa remanſit, & memoratus Epiſcopus per ſuum Decretum declaravit, ne dicti Patres Reformati Tredicinam, & Feſtum ejuſdem S. Antonii, quippe quod illud in Eccleſia Fratrum Capucinorum celebrabatur, ſub pœna interdicti eorum Eccleſiæ celebrarent. Porro appellantibus FF. Reformatis prędictis à Decreto ab ipſo Epiſcopo contra eos lato, ad tunc exiſtentem Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Generalem Auditorem, & non obſtante, quod cauſa hujuſmodi adhuc pendebat indeciſa, ſæpedictam Tredicinam, & Feſtivitatem attentatè celebrare præſumpſerunt, ita ut idem Generalis Auditor dictos Fratres Reformatos non ſolùm ad purgationem attentatorum condemnavit, verùm etiam Decretum per Epiſcopum, ut præfertur, publicatum confirmavit. Dicti verò FF. Reformati hiſce duobus Decretis, ſeu judicatis minimè acquieſcentes recurſum habuerunt ad Congregationem tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſitorum, in qua die XV. Maji MDCCXVI. facta fuit propoſitio cauſæ hujuſmodi, Ponente bon. mem. Annibali, dum viait, S. R. E. Cardinali Albano nuncupato, propoſito dubio = An liceret Patribus de Obſervantia Reformatis Civitatis Neocaſtri celebrare Feſtum S. Antonii de Padua ipſius Civitatis Patroni & Protectoris cum præventiva ſolemnitate nuncupata Tredicina, ac cum aliis quibuſcunque ſignis quomodolibet ipſum feſtum indicantibus, tam in die XIII. Junii, quàm per dies tredecim ante? Ipſa Cardinalium Congregatio reſpondit = quoad diem Feſtum licere, ſine tamen pompa, & quoad Tredicinam pariter licere, ſed de manè in caſu &c. Quod quidem Decretum, ſubinde novis ſuperveniențibus rationibus anno 1750. dilectus Filius Magiſter Joſephus Alexander Furietti, tunc temporis ejuſdem Auditoris Generalis Locumtenens, per ſuam definitivam ſententiam latam confirmavit, illudque obſervandum, & exequendum fore decrevit ſub pœnis in ipſamet lata ſententia contentis. Quamquam enim in ſequelam dictorum Decretorum, & ſententiæ in judicatum tranſactæ dicti Exponentes blandirentur nullam amplius inpoſterum oriri poſſe controverſiam, nihilo tamen minus ipſi FF. Reformati ad effectum reddendi eluſoria, & inutilia ſupradicta Decreta, & ſententiam ab Epiſcopo, Auditore Generali, Congregatione Cardinalium, & Magiſtro Joſepho Alexandro prędictis editam, & publicatam anno 1750 ſub prærextu celebrandi Feſtivitatem Sanctiſſimi Corporis Chriſti cum octava, cujus aliquot dies anno prædicto intra Tredicinam prædictam incidebant, ultimodictam Feſtivitatem, magnâ cum campanarum pulſatione, vulgo, ut dicitur, *à Martello*, celebrare inchoârunt, ita ut attentâ propinquitate Eccleſiarum Ordinum prædictorum, nec quidem panegiricum ſermonem, qui eodem tempore in Eccleſia dictorum FF. Capucinorum habebatur, audiri, ac capleri potuit, & id præbuit occaſio, ut magnus tumultus factus fuerit in populo, qui ſeſe interponentibus probis Viris, vix ſedatus remanſit; Quare dicti Exponentes ad evitandas ulteriores perturbationes, quæ ea præmiſſis oriri poterant, ad dilectum quoque Filium Magiſtrum Flavium Chigi, Cameræ prædictæ Auditorem generalem, recurſum de novo habuerunt, ut litteras monitoriales ſuper manutentione, & obſervantia memoratorum Decretorum & ſententiæ expediret; Interea dicti FF. Reformati habito recurſu ad dilectum Filium noſtrum Nereum, S.R.E. prædictæ Diaconum Cardinalem Corſini nuncupatum, Signaturæ noſtræ Juſtitiæ Præfectum obtinnerunt Decretum, quo declaratum fuit, cauſam hujuſmodi ad eandem Cardinalium Congregationem ſpectare, ita tamen, ut vigore ejuſmodi Decreti, dicti Exponentes cauſam hujuſmodi ad ipſammet Cardinalium Congregationem tranſtulerunt, ac electo, dilecto etiam Filio noſtro Carolo Alberto ejuſdem S. R. E. Presbytero Cardinali Cavalchini nuncupato, cauſæ prædictæ Ponen-

nen-

nente, concordato coram ipſo ſequenti Dubio = An ſtante Reſcripto hujus Sac. Congregationis edito de anno 1706. licitum ſit RR. PP. Reformatis Civitatis Neocaſtri celebrare cum pompa, & ſignanter eum pulſatione campanarum, ut dicitur, *à Martello*, poſt horam pomeridianam uſque ſerò quameumque feſtivitatem infra Tredicinam Sancti Antonii Patavini contingentem in caſu &c. ſubindè in Congregatione die 27 Auguſti proximè præteriti habita, Reſcriptum fuit tenoria ſequentis, videlicet = Sac. Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo Cavalchini Præfecto & Ponente, re maturè perpenſâ, ad ſupraſcriptum dubium, ſequentem in modum reſpondit, nempe = Negativè, & ad mentem: Mens eſt, quod, ſi PP. Reformati conſueverunt infra octavam Corporis Domini exponere Sanctiſſimum Sacramentum, poſſint eandem conſuetudinem ſervare, ſed abſque ullo ſtrepitu, ſeu pulſatione campanarum. Romæ XXVII. Auguſti MDCCLI. C. A. Cardinalis Cavalchini. Joſeph Maria Archiepiſc. Damaſc. Secret. Loco ✠ Sigilli. Quoniam autem Exponentes prædicti, ut lites, diſſenſiones hujuſmodi, ac expenſæ ad id neceſſariæ inpoſterum evitentur, quò Decreta hujuſmodi firmiùs ſubſiſtant, & ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſerta ejuſdem Congregationis Cardinalium Decreta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, itliſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas validas &c. ac exponentibus præfatis, pleniſſimè ſuffragari, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices &c. judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus &c. cæte. riſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcat. die 1. Decemb. MDCCLI. Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.

Breve formatum in Arch. Provinciæ.

Provinciæ Barenſis.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſc. & Regular. circa electionem Superiorum Provincialium alternativam, alioſque articulos Capitulariter concluſos emanatum confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

SUprema Apoſtolicæ charitatis, providentiæque noſtræ erga omnes Chriſtifideles, atque eos potiſſimum, qui è fluctibus ſæculi erepti ad tranquillum Religionis portum confugerent, adhibenda à Nobis cura maximoperè poſtulat, atque exigit, ut omnem Pontificiæ Benignitatis authoritatiſque operam, conſiliumque in hoc ſtudioſſimè collocemus, ut diſſidiis, partiumque ſtudiis procul amotis, atque eliminatis, ubi quas eſſe contigerit, omnia inter Viros, præſertim Religioſos, in pace fiant, & omnia ad divinum cultum adaugendum, regularem diſciplinam confirmandam, procurandamque animarum ſalutem componantur, conſtabilianturque. Emanavit nuper ad ſupplicationem majoris partis Fratrum Provinciæ Sancti Nicolai Baren. Ord. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultat. Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum Decretum tenoris ſequentis, videlicet = Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini = Ad Emin. Veſtrarum pedes proſtrata major pars Capucinorum Provinciæ Sancti Nicolai Barenſis hîc ſubſcripta cum debito obſequio exponit, qualiter Pater Generalis Ordinis hùc venerit ad celebrandum ejuſdem Provinciæ Capitulum, cujus felix ſucceſſus octavo Jan. anni currentis patenter cognoſcere fecit, quod divinâ miſericordia adjuvante, magna Electorum pars, ſepoſitâ antiqua æqualitate duarum partium, Ciſterninenſis videlicet, & Barenſis, in quas dicta Provincia ab origine dividitur, finaliter convenerit in conſilium pacis & utilitatis, elegit & dedit miſerè prius concuſſæ Communitati Superiores bonos, & ad gubernium, ſecundum rigidum ſuæ Profeſſionis inſtitutum capaces. Et quando dictus P. Generalis exhibendo facultates extraordinarias ab EE. VV. ipſi commiſſas ſubjunxit, ſe ad ſtabiliendam inter prædictas duas partes electionem alternativam de triennio in triennium pro parte una & altera ſufficiente authoritate eſſe munitum, ſi hujuſmodi

remedium à toto Capitulo laudabile, & ob ſpem de perpetuando impoſterum inter hujus Provinciæ Alumnos ſuſpiratæ harmoniæ flore conceptam aeceptabile judicaret, inopinò P. Generalia dictam alternativam ad ſolos ſex annos limitatam proponi fecit, quin motiva, quæ eum de facultate Emin. VV. in perpetuum executioni danda abſtrahebant, à Capitulo penetrari potuerint. Inde Capitulum prævidens, quod tale temperamentum Provinciæ tranquillitatem permanentem dare non poſſet, P. Generalem pro projecti executione, uſque dum partes meliùs negotium examinâſſent, ſuſpendenda rogârunt. Ex quo maturo judicio (Deo ſint laudes) omnes duæ partes in hoc ſolum, & idem abjerunt propoſitum, quod EE. Veſtrarum benignitatem implorare velint, quatenus Capucinis Provinciæ S. Nicolai Barenſis facultatem concedere dignentur eligendi Superiorem Provincialem quolibet triennio alternativè, id eſt, una vice ex una, & alia vice ex altera parte, ſalvo ſemper ſolito uſu & praxi eligendi quatuor Diffinitores, duos videlicet pro qualibet parte, cum juſtitia diſtributiva, pariter Cuſtodem pro qualibet parte, ſive Provincialem, ſive Generalem tempore Capituli Generalis occurrente eligendi. Motiva, quæ infraſcriptos Oratores ad petendam ab EE. Veſtris hanc gratiam induxerunt, ſunt, quod hoc medio non ſolùm non tolli, ſed econtra Capitulo dari eredant libertatem eligendi illos Superiores, quos meliores reputaverint, & qui nunquam vel uni vel alteri parti deficiunt. Cumque ſit notorium abſque alternativa perpetua, ordinarie gubernium in illa partium, quæ ſortem gubernandi acquiſiverit, fieri cum præjudicio Provinciæ, cum damno Juventutis, quæ cum injuſtitia reſpectu eorum, qui deberent eligi, & per ſpiritum factionis excludunrur, Oratores obtentâ alternativa, juſtitiam ita bene diviſam fore ſperant, ut Fratres utriuſque partis majore zelo Provinciæ ſervire, & Pruvincia in perpetuum ſua pace & concordia frui poſſint. Conditiones puræ & ſimplices, quibus electio alternativa firmari deberet, ſalvo ſemper meliore EE. VV. judicio, poſſent eſſe ſequentes: Prima, ut per integrum triennium Provincialatu illa Pars, cui ſorte obtinget, & per aliud triennium altera pars frui poſſit, & ita alternativè Provincialatus quolibet triennio ab una parte ad aliam devolvatur in perpetuum: Secunda, ut caſu, Provincialem mori, aut in Capitulo intermedio deponi contingeret, alius ejuſdem Partis eligatur, ſi autem poſt Capitulum intermedium moreretur, in hujuſmodi caſu computetur triennium pro illa parte, cujus erat Provincialis, seu terminatum, & eligatur alius alterius partis Provincialis: Tertia, ut quælibet pars ſemper æqualiter duos habet Definitores: Quarta, ut Guardiani eligantur modo ſequenti, videlicet, in Capitulo, in quo novus eligitur Provincialis, Definitorium facultatem habeat eligendi quindecim Guardianos, qui ſint partis Provincialis, in Capitulo autem intermedio quatuordecim tantùm, & ita ſemper ad tollenda, quæ oriri poſſent, inconvenientia continuetur. Quinta, ut, ſi Provincia hanc electionem alternativam, quam jam utilem & neceſſariam agnoſcit, in futurum non neceſſariam, & Dei cultui, ac bono publico præjudicantem cenſeret, huic Sacræ Congregationi alium libellum ſupplicem præſentare non poſſit, quin à P. Provinciale cum quatuor Definitoribus, & duabus tertiis Guardianorum, majoriſque partis Religioſorum Provinciæ juxta cautelam, in præſenti inſtantia adhibitam, ſit firmatus = Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultat. Epiſcoporum & Regularium præpoſita, attenta relatione P. Procuratoris Generalis, referente Eminentiſſimo Domino Cardinale Spinola Ponente, petitam alternativam per decem triennia benignè impertita eſt; Ita tamen, ut ſingulis capitulis celebrandis in decurſu triginta annorum viciſſim eligatur in ſingulis triennii Provincialis eum duobus Definitoribus ex una parte, & duo Definitores ex altera, quod etiam ſervari debeat in electionibus Guardianorum; videlicet per Definitorium pro tempore medietas Guardianorum ex una parte eligatur, & medietas ex altera, & ſucceſſivè ita ſervandum. Quò verò ad alias electiones, & proviſiones fiant à Definitorio juxta ſuum prudentem zelum, & charitatem, juſtitiam diſtributivam, & notitiam Religioſorum magis habilium ad alia munera, & officia ejuſdem Provinciæ; In reliquis quoad Capitulum intermedium, & in caſu renuntiationis, & mortis P. Provincialis, ſervetur, quod diſpoſitum fuit pro Provincia Neapolitana, niſi aliter per ipſam Sacram Congregationem provideatur. Romæ prima Aprilis MDCCXLVI. C. A. Cardinalis Cavalchini = Joſeph Maria Archiepiſcopus Damaſc. Secretarius = Loco ✠ Sigilli = = Cum autem, ſicut dicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Decretum hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſen-

ſentes ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, alternativam quoad electionem Superiorum dictæ Provinciæ continens, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas &c. ſicque in præmiſſis &c. ac irritum & inane &c.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciæ & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento &c. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XI. Maji MDCCXLVI. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

Exempl. in Arbc. Ord. Armario Provincia Barenſis.

RESCRIPTO PONTIFICIO

In Domibus ſeu Palatiis Provinciarum Siciliæ, in quibus à Fratribus exercitia Sæcularibus dantur, Altare erigi, ac peractis exercitiis Benedictionem nomine Suæ Sanctitatis cum indulgentia plenaria à Directoribus dari indulgetur.

CUm ingenti animarum fructu à Capucinis Provinciarum Siciliæ. *Reſiduum, ſicut & extenſionem indulti ad totum Ordinem, quoad Benedictionem, & indulgentiam tum pro Sæcularibus, tum pro Religioſis, vide ſuprà fol.* 376.

Provinciæ Panormitanæ.

AUCTORITATE APOSTOLICA

Vota & Anathemata ex auro, argento &c. confecta, ac ad marmoream ſtatuam Beatæ Virginis Mariæ in Eccleſia Fratrum Panormi gratiis inſignem appenſa acceptari conceditur.

Admodum Reverende Pater.

PRinceps Catholicæ, non ſolùm ſuo, ſed etiam totius Nobilitatis & populi Panormitani nomine libellum ſupplicem Sanctiſſimo Domino Noſtro porrexit, quo poſt expoſitam ſingularem devotionem, qua in iſta PP. Capucinorum Eccleſia miraculoſa imago Beatæ Virginis Mariæ Puerum Jeſum brachio tenentis, in marmore expreſſa colitur, & poſt relatas continuas gratias, quibus devotus populus illius interceſſione cumulatur, exponit tum zelum & fervorem, quo hic ad oblationes ex auro, argento &c. Beatiſſimæ Virgini faciendas ſtimulatur, tum Religioſorum ad hujuſmodi vota, ob timorem lædendi vota paupertatis, acceptanda repugnantiam. Eapropter Suæ Sanctitati ſupplicavit, quatenus ad hunc ſolum effectum Religioſos in præfato voto diſpenſare, & non ſolùm præſenti P. Guardiano, ſed etiam ejuſdem Succeſſoribus acceptationem faciendarum hujuſmodi oblationum permittere dignaretur. Inſtantiis tam piis condeſcendit Sanctiſſimus clementiſſimè, mihique injunxit, ut cum facultate auctoritatis Apoſtolicæ Paternitati Veſtræ ſcriberem, quod, non obſtante paupertatis voto oblationes gemmarum, rerumque aliarum, quas fideles ad dictam Imaginem offerre poſſent, recipere queat. In executionem proin &c.

Romæ 17. Aprilis 1750.

Th. Card. Ruffus Decan. Prot.

Autograph. in Arch. Conventûs Panormit.

Provinciæ Meſſanenſis.

Sacras Reliquias ab Eccleſia Fratrum Domûs Gibilmannæ extrahi vetat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futurum rei memoriam.

COnſervationi & manutentioni Sacrarum, ut piè creditur, Reliquiarum, quas

quas in Eccleſia Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ Gibilmannæ, Cephaluden. Dioeceſis, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac dilectos filios, Guardianum & Fratres dictæ Domûs ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorumdem Guardiani & Fratrum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quævis perſona, ſive Regularis ſive Sæcularis, cujuſvis gradûs, conditionis, qualitatis & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacunque auctoritate, ſuperioritate & officio fungens, etiam individus mentione digna, prædictas Reliquias, ſeu earum aliquam partem aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu locis piis commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione è dicta Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia extrahere & aſportare, ſen, ut extrahantur & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & etiam quoad Regulares, privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis eò ipſo abſque ulla declaratione incurrendis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, vel alio conſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Per præſentes quoque non intendimus Reliquias prædictas in aliquo approbare.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Junii MDCLXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

Breve formatum in Arch. Conventûs.

In Valetudinario Fratrum in Civitate Cephaludenſi Perſonis Sæcularibus, etiam Eccleſiaſticis, hoſpitari ſeu pernoctare ſub cenſuris & pœnis prohibet.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius, Illuminatus à Capizzi Definitor, & Guardianus Conventûs de Gibilmanna, Cephaluden. Dioeceſis in Sicilia, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres dicti Ordinis in Civitate Cephaludenſi Valetudinarium pro curatione Fratrum infirmorum dicti Ordinis habeant: verùm idem Valetudinarium à diverſis Perſonis ſæcularibus per eamdem Civitatem tranſeuntibus, & in eo hoſpitari volentibus occupetur in grave eorumdem Fratrum infirmorum detrimentum, Nubis propteres dictus Illuminatus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Illuminati votis, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de cætero quiſquam, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticus, cujuſcumque ſtatûs, gradûs, Ordinis, præeminentiæ & dignitatis exiſtat, qui Frater Ordinis præfati non ſit, in Valetudinario prædicto, ſub quocumque prætextu, quæſito colore, ingenio, vel cauſa aut occaſione hoſpitari, vel pernoctare, neve ullus Superior vel Frater dicti Ordinis, etiam ſpecifica & individua mentione, vel expreſſione dignus quempiam, qui Frater Ordinis hujuſmodi non ſit, hoſpitio ibidem excipere, aut, ut ibidem hoſpitetur, vel pernoctet, concedere, vel permittere audeat quovis modo, ſeu præſumat ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis per contrafacientes, eoipſo abſque alia declaratione incurrendis, à quibus nemo abſolutionis beneficium, niſi in mortis articulo conſtitutus, relaxationis, ſeu rehabilitationis gratiam à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, valeat obtinere, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium interdicimus & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. confirmatis & innovatis. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis exemplum in aliquo dicti Valetudinarii loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die VII. Junii MDCCXXXII. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

Autograph. in Secret. Brev. Apoſt. Regeſto menſis & anni præd. fol. 9.

SUP-

SUPPLEMENTUM TOMI QUARTI,

DE PROVINCIIS GERMANIÆ AGENTIS DOCUMENTA,

Vel omnibus, vel pluribus Germaniæ Provinciis communia.

In omnibus Germaniæ Provinciis Fratribus, aut ab Ordinariis locorum deputatis, aut neceſſitate cogente à Superioriſſa requiſitis, interiora Clauſtra ad confeſsiones Monialium & aliarum Perſonarum infirmarum excipiendas, vel ad iis agonizantibus aſsiſtendum ingrediendi licentiam impertitur.

INTUS.

Beatiſſime Pater.

FRater Gelaſius Goritienſis, Ord. FF. Min. Capucinorum Definitor Generalis, pro parte RR. PP. Provincialium Provinciarum Germanicarum, Helvetiæ, Anterioris Auſtriæ, Flandro-Belgicæ, Valloniæ, Leodienſis, Tyrolenſis, Bavaricæ, Franconiæ, Bohemicæ cum Cuſtodia Poloniæ, Auſtriaco-Hungaricæ Viennenſis, Styriacæ, Colonienſis, & Rhenanæ, exponit humillimè Sanctitati Veſtræ, quod Fratres hujuſmodi ad excipiendas Sacramentales Confeſsiones Monialium, aliarumque perſonarum in earum Clauſtris degentium, ab Ordinariis Locorum ſæpius deputentur, aut aliàs à Superioriſſa Monaſterii neceſsitate cogente requirantur; Cùm autem frequenter contingat, quod tam ex Monialibus, quàm aliis perſonis ibidem degentibus ita ſint infirmæ, ut ad Confeſſarium, & Feneſtrellam accedere non valeant, aut jam agonizent, atque eis his in caſibus ſpirituliter ſubvenire nequeant, eò quòd per Regulam ipſius S. Franciſci cap. XI. Fratribus univerſis dicti Ordinis præcipiatur, ne ingrediantur Monaſteria Monialium, præter ipſos, quibus eſt à Sede Apoſtolica ſpecialis ad id conceſsa facultas. Eapropter ſupradictus Orator nomine, quo ſupra, humiliter ſupplicat Sanctitati Veſtræ, quatenus de benignitate Apoſtolica indulgere dignetur, ut, quotieſcùmque Fratres dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum in ſupra ſpecificatis Provinciis ad audiendas confeſsiones Monialium, aliarumque perſonarum à Locorum Ordinariis fuerint deputati, aut à Superioriſſa neceſsitate cogente, & attentâ Loci Ordinarii nimia diſtantia requiſiti, infirmarum quoque Monialium, aliarumque perſonarum ægrotantium ad feneſtrellam accedere non valentium, de ſuorum Superiorum Localium licentia intra Clauſtra ingredi, earumve Confeſsiones Sacramentales excipere, & agonizantibus aſsiſtere valeant. Quam gratiam &c.

Forli. Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Papæ Benedicto XIV. pro Fr. Gelaſio Goritienſi, Definitore Generali Capucinorū.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI.

Ex Audientia Sanctiſſimi die 15. *Mart.* 1749.

Sanctiſſimus, attentis expoſitis, benignè annuit juxta petita, Ordinariorum tamen reſpectivè Locorum, licentia accedente.

Exemplar impreſſum & Authenticum in Arch. Gen. Ordinis.

Fidelibus Eccleſias, ſeu Oratoria Miſſionariorum Miſsionum intra Provincias exiſtentium in feſtis expreſsis viſitantibus Indulgentiam plenariam cum facultate eam Defunctis applicandi in perpetuum largitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CŒleſtium munerum theſauros. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 184.

Fra-

Fratribus Miſsionariis, etiam intra Provincias munus Miſsionariorum explentibus, ac Medicinæ vel Chirurgiæ Artium peritis, etiam Presbyteris, de Superiorum, ſeu Præfectorum Miſsionum licentia prædictas artes in ſæcularis Medici, vel Chirurgi defectu in caſu neceſsitatis, & gratis exercere, ac alia neceſſaria præbere indulget.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Ludovicus à Taurino Procurator, ac Commiſſarius Generalis. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 185.

Tum iiſdem Fratribus Miſsionariis, tum Chriſtifidelibus virilis ſexûs in Domibus & Hoſpitiis Miſsionum, exercitia ſpiritualia per quinque dies continuos peragentibus plenariam ſemel in anno Indulgentiam concedit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut dilectus Filius Ludovicus à Taurino Procurator. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 186.

RESCRIPTO PONTIFICIO

Fratribus Miſsionariis in hæreticorum Regionibus degentibus, Chriſtifidelibus in articulo mortis conſtitutis, Apoſtolicam Benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiendi facultas conceditur, ac gratia ad ipſos quoque Miſsionarios extenditur.

Beatiſſime Pater.

QUandoquidem ex Ordine FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum &c. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 186. *cum formula dandæ Apoſtolicæ Benedictionis ſubnexa.*

Iiſdem Fratribus Miſsionariis in hæreticorum Regionibus degentibus, deficiente Confeſſarii copia, præmiſſum contritionis actum pro Indulgentiarum conſecutione ſufficere indulgetur.

Beatiſſime Pater.

QUandoquidem ſel. recordat. Clemens Pap. XII. ſub die 22. Januarii 1733. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 168.

Provinciæ Helveticæ.

Altare ab Ordinario deſignandum in Eccleſiis Monialium Tertii Ordinis S.P. Franciſci, Capucinarum nuncupatarum, Congregationis Helveticæ, pro animabus Monialium, earum Conſanguineorum, & Affinium uſque ad ſecundum gradum incluſivè, *quotieſcumque* pro iis Miſſæ celebrantur, in perpetuum privilegiatur, gratiam lapideo monumento incidi jubetur, ac abſque Brevis expeditione ſuffragari declaratur.

Conſtantien. Provinciæ Moguntinæ.

AD humillimas preces Superioriſſæ, & Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci, Capucinarum nuncupatarum, Monaſterii N. Loci N. Diœc. N. Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. volens Eccleſiam præfati Monaſterii, in qua aliud Altare, vel in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum ſimili privilegio decoratum forſan reperitur, quod per præſens Decretum revocavit, & in ea ſitum Altare ab Ordinario deſignandum hoc ſpeciali dono illuſtrare, ut *quandocumque* Sacerdos aliquis Sæcularis, vel Regularis Miſſam pro anima ipſarum Monialium, earumque Conſanguineorum, & Affinium in primo & ſecundo gradu incluſivè, necnon Monaſterii præfati Benefactorum, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per

mo-

modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, ita ut D. N. J. Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, benignè conceſſit, atque indulſit, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque, præſenti Decreto in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam abſque ulla Brevis expeditione ſuffragari, lapideoque monumento inſcribi.

Datum Romæ &c.

N O T A

ACtum eſt de Monaſteriis & Monialibus, quæ prædicta gratia fruuntur, *tom.4. Bullar. fol.60.* ubi cujuslibet Monaſterii Altare privilegiatum ad ſeptennium, & unam hebdomadæ feriam &c. reſtrictum legitur. Amplior iis per ſuprapoſitum Decretum jam conceſſa eſt gratia, tum, quod in perpetuum duret, tum quod ad quamcumque hebdomadæ feriam ſine limitatione ſit extenſa, uti ex verbis Decreti = *Quandocumque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel Regularis Miſſam pro anima ipſarum Monialium, earumque Conſanguineorum &c. celebraverit*, = patenter eruitur.

Quodlibet prædictorum Monaſteriorum Decreti Autographum particulare, & diſtinctum ſub diverſa Datâ, & mutato etiam uno vel altero verbo expeditum, ſicut & autographum Decreti ſequentis aſſervat.

Altaria omnia Eccleſiarum Monialium prædictarum pro animabus Monialium defunctarum in die obitûs, vel alia die pariter in perpetuum privilegiantur.

AD humillimas preces Superioriſſæ, & Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci, Capucinarum nuncupatarum, Monaſterii N. Loci N. Diœc. N. Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV. clementer indulſit, ut omnes & ſingulæ Miſſæ, quæ juxta earum Conſtitutiones pro anima cujuſcumque Monialis Monaſterii ejuſdem, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, in earum obitûs, vel alia die ad quodcumque Altare Eccleſiæ ejuſdem Monaſterii celebrabuntur, animæ ejuſmodi, pro qua celebratæ fuerint, proinde ſuffragentur, ac ſi ad Altare privilegiatum celebratæ fuiſſent. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque, præſenti Decreto in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam ſuffragari abſque ulla Brevis expeditione.

Datum Romæ &c.

Provinciæ Tyrolenſis.

Ad Eccleſiam Parochialem loci *Monaſterii* à Sanctimonialibus Ord. Sancti Benedicti Fratribus Miſſionariis ibidem conceſſam tum Indulgentias Ordinis, tum quotidianum Altaris privilegium extendit.

Beatiſſime Pater.

FR. Ludovicus à Taurino, Ordinis Min. S. Franciſci Capucinorum Procurator, ac Commiſſarius Generalis humillimè exponit Sanctitati Veſtræ, qualiter Provincia Tyrolenſis ejuſdem Ordinis habeat *Monaſterii* in Rhetia Curien. Diœc. Hoſpitium aliquod, in quo PP. Miſſionarii Apoſtolici pro illis partibus commorantur: Hoſpitio illi annexa equidem eſt parva quædam Eccleſia; at verò, cum eadem copioſiſſimum populum Chriſtianum ad Sacras Miſſiones confluentem capere nequeat, Moniales Ordinis S. Benedicti, alteram aliàs ſibi propriam, eamque loci illius Parochialem Eccleſiam, quæ medio milliari à parva Hoſpitii Eccleſiâ eſt diſſita, cum jure collaturæ in perpetuum ceſſêre ipſi Tyrolenſi Capucinorum Provinciæ, ita ut in hac dicta Eccleſia ab illius Provinciæ Patribus, tanquam Parochis, omnes functiones Parochiales, ſimul autem & tanquam Miſſionariis Apoſtolicis omnes functiones Miſſionum peragantur, quo pacto Eccleſia iſthæc verè dici poterit Religioni Capucinorum quoad uſum perpetuò propria: Eapropter nonnulli indubitanter aſſerunt, in eâ Miſſionum Eccleſiâ locum habere indultum illud à Sanctitate Veſtra per literas Apoſtolicas in forma Brevis die XIV. Februarii MDCCXII. Provinciis Capucinorum ultra montes gratioſiſſimè conceſſum, virtute cujus, *tam Fratres omnes ejuſdem Ordinis in Provinciis ultra*

montes commorantes, ſacrorum Operariorum, Miſſionariorumque functiones, officia, & alia pietatis opera peragentes, quàm etiam omnes utriuſque ſexûs Chriſtifideles, qui iiſdem functionibus, officiis, & pietatis operibus ab ipſis Fratribus per dictas Provincias ultra montes fieri ſolitis interſunt, eas omnes & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequuntur, quas conſequerentur, ſi aliquam ex propriis Eccleſiis perſonaliter & devotè viſitarent = Ne tamen ullus deſuper dubitandi locus ſuppetat, humillimus Orator ſupplicat, ut Sanctitas Veſtra per gratioſum Reſcriptum declarare dignetur, Indultum Apoſtolicum, ſuperiùs poſitum de lucrandis Indulgentiis Ordini Capucinorum conceſſis & concedendis etiam competere Eccleſiæ Miſſionum, Monaſterii in Rhetia ſiti, alioquin tum ipſi Patres Capucini, eoipſo quod eſſent Operarii pro Fide Catholica, & occupati in peragendis Miſſionibus Apoſtolicis, deſtituerentur beneficio lucrandarum Ordinis Indulgentiarum, Altariſque Privilegiati quotidiani à Sanctitate Veſtra Religioni Capucinorum benigniſſimè conceſſi, tum Chriſtifideles etiam privarentur gratiâ Indulgentias lucrandi, dum ipſi, ut Catholicæ Religionis zelo ducti intereſſent Miſſionibus Apoſtolicis, ad Eccleſiam illam convenirent. Quam gratiam &c.

Ex audientia Sanctiſſimi die 25. Septembris 1750.

Sanctiſſimus, attentis expoſitis, & quoàduſque Eccleſia Parochialis, de qua in precibus, erit in poſſeſſione Religioſorum Capucinorum Ordinis, prout in ſupplici libello exprimitur, benignè annuit pro gratia extenſionis ad eamdem Eccleſiam tum Indulgentiarum, tum Privilegiati Altaris juxta petita; In hoc tamen Jubilæi anno lucrandarum Indulgentiarum dumtaxat per modum applicationis in ſuffragium Fidelium defunctorum.

Autogr. in Arch. loci.

Provinciæ Bavaricæ.

Indulgentias Viæ Crucis, per Apoſtolicas litteras ſingulis Provinciæ Bavaricæ Eccleſiis conceſſas, ad Eccleſias Miſſionum ſive Sæculares ſive Regulares extendi declaratur.

Beatiſſime Pater.

FR. Floridus Burghuſanus, Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Provinciæ Bavaricæ Miniſter Provincialis, ſumma, qua decet, reverentiâ, exponit S. V., quod ad ſupplicationem Sacræ Congregationi Indulgentiarum olim porrectam pro declaratione dubii = An Eccleſiæ, Capellæ, & Oratoria publica in Reſidentiis & Hoſpitiis Miſſionum Ordinis Capucinorum gaudeant Indulgentiis generaliter conceſſis omnibus Eccleſiis Ordinis ejuſdem? = Eadem Sacra Congregatio die 27. Maji 1732. cenſuerit gaudere, atque ſub die undecima Junii ejuſdem anni Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa XII. benignè approbaverit: quam gratiam Sanctitas Veſtra die 14. Februarii 1742. in locis Miſſionum, in quibus Fratres dicti Ordinis Capucinorum ultra montes proprias non habent Eccleſias, Sæcularibus etiam Eccleſiis per litteras in forma Brevis de benignitate Apoſtolica conceſſit, ac communicavit: unde nonnemini luculenter videtur haud eſſe, quod reſtet dubium, quin erectione ac Indulgentiis Viæ Crucis à Sanctitate Veſtra die 26. Martii 1746. per litteras quoque Apoſtolicas in forma Brevis ſingulis Capucinorum Eccleſiis Provinciæ Bavariæ conceſſis, gaudeant etiam omnes prædictæ in Provincia Miſſionum Eccleſiæ, nihilo tamen minus ad quamcunque, ſi quam movere quis attentaret, ambiguitatem penitus tollendam, Orator S. V. humillimè ſupplicat pro gratioſiſſima declaratione expreſſa erectionem ac Indulgentias Viæ Crucis, Eccleſiis Capucinorum Provinciæ Bavaricæ conceſſas, ad omnes & ſingulas ſive Regulares, ſive Sæculares Eccleſias Miſſionum præfatæ Capucinorum Provinciæ Bavaricæ ſe ſe indifferenter extendere; Quam gratiam Deus &c.

Sacra Congregatio Indulgentiis ſacrisque Reliquiis præpoſita die 30. Martii 1751. cenſuit ſingulas Eccleſias Miſſionum FF. Min. Capucinorum Provinciæ Bavaricæ, gaudere iiſdem privilegiis, facultatibus, & Indulgentiis in allegatis Brevibus diei 14. Februarii 1742. & diei 26. Martii 1746. expreſſis. De quibus facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium die 8. Aprilis ejuſdem anni Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua votum Sacræ Congregationis benignè approbavit.

Autograph. in Arch. Provinciæ.

Pro-

Provinciæ Colonienſis.

Fratribus in Oppido Peinæ adminiſtrandi Parochiam, hujuſque redditus mediante Perſona Sæculari ad ſuos, Eccleſiæque uſus percipiendi durante Miſſionis exercitio conceditur.

Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitæ die 9. Januarii 1747.

RElatâ per Eminentiſſimum & Reverendiſſimum D. Cardinalem Lantes inſtantiâ Patrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum Provinciæ Colonienſis ſupplicantium concedi ſibi facultatem adminiſtrandi Parochiam Oppidi Peinæ Dioec. Hildesheimen. ad quam admiſſi jam à pluribus annis fuerê ab Epiſcopis Hildesheimen., ejuſque redditus, mediante perſonâ Sæculari, percipiendi, ac inſumendi in proprios & Eccleſiæ præfatæ uſus, Eminentiſſimi Patres re maturè perpensâ, attentiſque peculiaribus circumſtantiis cenſuerunt concedendam eſſe arbitrio Ordinarii, ſi Sanctiſſimo Domino placuerit, petitam facultatem, & quamdiu PP. Capucini prædictæ Provinciæ permaneant in exercitio Sacrarum Miſſionum.

Factâque de ſupradictis Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PP. XIV. relatione per R. P. D. Nicolaum Lercarium Secretarium in audientia habita die 22. ejuſdem, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis ſententiam in omnibus approbavit.

Datum Romæ ex Ædibus prædictæ Sacræ Congregationis die 28. ejuſdem menſis & anni.

Autograph. in Arch. Provinciæ.

DECRETO

Sac. Congreg. de Propag. Fide.

Superior Miſſionum in Eccleſia B. V. Mariæ in Benradt Nuntius Apoſtolicus Colonienſis declaratur, cum authoritate facultates ſolitas Fratribus Miſſionariis communicandi.

Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 17. *April.* 1747.

REferente R. P. D. Nicolao Lercario Secretario, Sacra Congregatio Superiorem Miſſionum in Eccleſia B. M. Virginis in Benradt, quæ vulgò Heremi appellatur, in Ducatu Montenſi ad quinquennium declaravit R. P. D. Hieronymum Spinula, Archiepiſcopum Laodicenſem, Nuntium Apoſtolicum Colonienſem, cum authoritate exercendi ea, quæ ad Miſſionis regimen pertinent, ad præſcriptum Decretorum ejuſdem Sacræ Congregationis, & cum ſolitis facultatibus & poteſtate eaſdem communicandi Fratribus Ordinis Capucinorum ab ipſomet Nuntio eligendis, & non aliàs, nec alio modo &c.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Cuſtodiæ Poloniæ.

Suſcipiendo ad Ordinem Alumno Græci ritûs, ad ritum latinum tranſeundi facultas conceditur.

Sanctiſſime Pater.

ADpedes Sanctiſſimos provolutus Joannes Broruski Leopolienſis Sanctit. Veſtræ reverenter exponit, quod ad Religionem Capucinam à Deo, prout credit, vocatus, licèt ejuſdem Religionis in Polonia Superior eum recipere ſit paratus, id tamen exequi nequit, eâ tantùm de cauſa, quod, cum Orator Græci ritûs ſit, præter hîc annexam licentiam ab Archiepiſcopo Metropolitano Kiovanii &c. Epiſcopo Leopolienſi ſuo Ordinario obtentam, ad hoc, ut ad ritum latinum tranſire poſſit, requiritur inſuper ſpecialis iſtius Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis diſpenſatio, prout in ipſamet Ordinarii ſui licentia exprimitur. Quapropter Sanctit. Veſtræ devotus Orator perhumiliter & enixè ſupplicat, ut hujuſmodi diſpenſationem ſibi benignè impertiri dignetur, ut vocationi Divinæ obtemperare valeat. Et pro gratia &c.

Feria quinta die 20. *Aprilis* 1747.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Divinâ Providentia Papa XIV. cui in ſolita audientia per R. P. D. Aſſeſſorem Sancti Officii relata fuerunt vota Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, conceſſit ſupradicto Oratori gratiam tranſeundi ad ritum latinum ad effectum ingrediendi Religionem, & in ea emittendi Profeſſionem, accedente tamen conſenſu Epiſcopi, & dummodo in ritu latino ſufficienter ſit inſtructus, ac ritum Græcum amplius non reaſſumat.

Exempl. in Arch. Gen. Ordinis.

SUPPLEMENTUM
TOMI QUNTI
DE PROVINCIIS GALLIÆ ET HISPANIÆ AGENTIS
DOCUMENTA

Vel omnibus, vel aliquibus Galliæ Provinciis communia

Hæc ſunt ea ipſa, quæ ſuprà fol. 407. & 408. extenſa reperiuntur : ex quibus Galliæ Provinciæ ea, quæ ſibi competunt, vel in totum vel in partem ſeligent.

Provinciæ Pariſienſis.

Fr. Bernardum Attrebatenſem de utili Eccleſiæ ſtudio commendat, & pro opere illi tranſmiſſo gratum animum teſtatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

INjuria non infertur Viro erudito, dum reſpondetur ad doctam illius epiſtolam latinam, ſub 22. Apr. proximè præteriti, datam in idiomste illius nativo, quo & ille ipſe utitur, dum tam frequentia & utilia Eccleſiæ opera evulgat. Hæc inter ſinceras redhibemus grates pro illo, quod Nobis à P. Cherubino de Noves, Definitore Generali ſui Ordinis cum præfata epiſtola fuit præſentatum, & in fronte titulatum = Myſterium primitivum pœnitentiæ in omni Gallicana Eccleſia traditæ, ſeu adminiſtratio hujus Sacramenti juxta antiquiſſimæ diſciplinæ principia, unanimiter à Galliæ Clero ſervata &c.

Teſtimonio hoc novo tui zeli, ac ſtudii publicum inſtruendi non indiguimus, cum præcedentia opera ſufficienter nobis perſpectum fecerint tum pretium laboris, tum fructum ſeriæ tuæ applicationis. Eaproter captum à P. Generali conſilium, in Conventu S. Honorati P. Tuam colloeandi, & executioni jam traditũ, plenè approbamus, in hoc enim omne commodum ſtudia proſequendi & Rempoblicam litterariam ditandi reperies. Ubi & occaſio ſe obtulerit, noſtram ſatisfactionem deſuper teſtari non omittemus, & in monumentum illius, quod P. Tua de nobis meretur, Apoſtolica Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXIV. Maji MOCCLII. Pontificatûs noſtri anno duodecimo.

Exempl. in Areb. Ord. Arm. Provincia Pariſienſis.

Provinciæ Lugdunenſis.

De Martyrio Fr. Hieronymi de Condrieu, Conventûs Valentiæ in Gallia Guardiani, in Sac. Congregatione de Propag. Fide relato, proceſſum authoritate ordinaria fieri & ad Urbem mitti ſtatuitur.

In Congregatione Generali de Propaganda Fide habita coram Sanctiſſimo die 7. Auguſti 1629.

REverendiſſimus Dominus Corſius retulit inſigne Martyrium Patris Hieronymi de Condrieu, Conventûs Capucinorum Valentiæ in Gallia Guardiani, qui ab Hæreticis durante Oppidi Privatæ obſidione requirentibus, ut Fidem Catholicam abiuraret, & arcana Exercitûs Chriſtianiſſimi patefaceret, poſt inciſum naſum, & aures, erutoſque oculos, percuſſiones cum pugionibus, & inciſiones genarum in Crucis formam, quinque exoneratis in eum ſclopetis, crudeliter interfectus fuit.

Extract. ex Actis S. Congregationis de Propag. Fide de anno 1629. p. 318. n. 38.

NO-

NOTA

CUm ad Superiorem relationem Sacra Congregatio ſua conſilia necdum cepiſſet, fuit in S. conſeſſu habito die 17. Novemb. 1629. eadem cauſa repropoſita, & ad eandem reſolutum, quod ſequitur:

Relatis litteris Patrum Capucinorum Valentiæ de crudeli nece Fr. Hieronymi de Condriew, Conventûs Capucinorum Valentiæ Guardiani, ab hæreticis prope Oppidum Privatæ Occitaniæ, dum à Rege Chriſtianiſſimo hoc anno illud obſidebatur, perpetrata, S. Congregatio cenſuit, ex dictis litteris tantùm poſſe Procuratorem Generalem admoneri, ut curet inſtantiam fieri apud Ordinarium loci pro confectione Proceſſûs ordinaria authoritate ſuper nece præfata, illumque, poſtquam abſolutus fuerit, ad Urbem mitti.

Extract. ex act. Sac. Congreg. anni 1629. *pag.* 357. *num.* 5.

Provinciæ Provinciæ, ſeu S. Ludovici.

Ex diviſa & ſuppreſſa Provincia Provinciæ, ſeu S. Ludovici, duas, Avenionenſem videlicet & Maſſilienſem conſtituit, primæ ſigillum antiquum aſſignat, & utramque privilegiis aliarum Ordinis Provinciarum gaudere declarat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUprema Apoſtolicæ charitatis, providentiæque noſtræ erga omnes Chriſti fideles, atque eos potiſſimùm, qui è fluctibus ſæculi erepti ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda à Nobis cura maximoperè poſtulat atque exigit, ut omnem Pontificiæ benignitatis auctoritatiſque operam, conſiliumque in hoc ſtudioſiſſimè collocemus, ut diſſidiis, partiumque ſtudiis procul amotis atque eliminatis, ubi opus eſſe conſtiterit, omnia inter Viros, præſertim Religioſos, in pace fiant, & omnia ad divinum cultum adaugendum & Regularem diſciplinam confirmandam conſtabiliantur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius, Laurentius Retellenſis Frater expreſsè profeſſus, ac Miniſter Provincialis Provinciæ Pariſienſis Ord. Fratrum Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum nonnullæ diſſenſiones & animorum ſimultates inter Fratres Provinciæ S. Ludovici nuncupatæ dicti Ordinis vigerent, quæ Religioſam quietem ac Regularem obſervantiam aliquando conturbare ſolent, ipſe Laurentius Miniſter Provincialis, quò illas dirimeret & componeret, in Commiſſarium canonicè deputatus fuerit: quoniam autem dictus Laurentius Miniſter Provincialis & Commiſſarius adhibitis omnibus diligentiis compertum habet, ut nullum aliud efficacius memoratis diſſidiis componendis, aliiſque in poſterùm avertendis remedium ſuppetat, quàm quod Conventus memoratæ Provinciæ S. Ludovici ſegregentur, & duæ Provinciæ eriganturr, idque etiam dilectus filius, Sigiſmundus à Ferraria dicti Ord. Miniſter Generalis, prævio & accedente jam conſenſu chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Ludovici Francorum Regis chriſtianiſſimi neceſſarium fore exiſtimavit. Nobis propterea dictus Laurentius humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Laurentium, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quâvis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, memoratam Provinciam Provinciæ nuncupatam Ord. Fratrum Min. S. Franciſci Capucinorum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſupprimimus, ac ſuppreſſam eſſe declaramus, ſeu Conventus, qui Provinciam Provinciæ hujuſmodi conſtituebant, ab ipſa Provincia dicta auctoritate ſeparamus & diſmembramus, ac ex Conventibus, nempè magno Conventu Avenionenſi, Carpentoractenſi, Caballicenſi, Belloquadrenſi, Auriſicanenſi, Valreacenſi, Inſulanenſi, Vapincenſi, Sanſpiritenſi, Nemaucenſi, Ebredunenſi, Uticenſi, Aleſienſi, Aquæ Mortenſi, altero Avenionenſi Novitiatui deſtinato & Barjacenſi, unam Provinciam Avenionenſem nuncupandam: ex reliquis verò Conventibus, nempe

Mar-

Maſſilienſi, Aquenſi, Arelatenſi, Salonenſi, Tolonenſi, Brinonienſi, Draguignanenſi, Marticenſi, Pertuſienſi, Graſſenſi, Civitatenſi, Regienſi, Manoſcenſi, Aptenſi, Taraſconenſi, Siſtaricenſi, Santorpetenſi, Seinenſi, Sanmaximinenſi, Juncarienſi, Soleirenſi ac Leovicenſi unà cum hoſpitiis Auriolenſi & Cannenſi, aliam Provinciam Maſſilienſem nuncupandam, quæ à propriis Miniſtris Provincialibus ac Definitoribus, cæteriſque Superioribus juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta eligendis, nominandis & deputandis inpoſterùm regi & gubernari debeant, auctoritate & tenore prædictis perpetuò erigimus, conſtituimus & deputamus, ac ſignum ſeu ſigillum antiquæ Provinciæ Provinciæ ſeu S. Ludovici per Nos vigore preſentiũ, ut præfertur, ſuppreſſæ Majori Conventui Avenionenſi tanquam ex fundatione & erectione ejuſdem cæterorum dictæ Provinciæ ſic ſuppreſſæ Conventuum antiquiori, auctoritate & tenore prædictis concedimus & aſſignamus: Fratribus verò utriuſque Provinciæ Avenionenſis ſcilicet & Maſſilienſis per Nos, ſicut præmittitur, per præſentes creatæ, qui votum ſive ſuffragium in antiqua Provincia Provinciæ habebant & ferebant, in poſterum iiſdem modo & forma, quibus illo in antiqua Provincia prædicta frui, uti & gaudere poterant, pari modo in propria cujuslibet Provincia uti frui & gaudere valeant, auctoritate & tenore prædictis itidem concedimus & decernimus. Inſuper ipſis novis Provinciis per præſentes erectis & conſtitutis ac cuilibet earum, illarumque Conventibus, Domibus ac Miniſtris Provincialibus & Definitoribus, cæteriſque Superioribus pro tempore exiſtentibus, ac Fratribus & perſonis quibuslibet, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, præeminentiis, Indulgentiis & Indultis, quibus aliæ ejuſdem Ordinis Provinciæ, illarumque Conventus, Domus, Superiores & Fratres, aliæque perſonæ tam de jure, uſu & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui & gaudere poſſunt & poterunt in futurum, pari modo & abſque ulla prorſus differentia uti, frui & gaudere liberè pariter & licitè poſſint & valeant reſpectivè eadem auctoritate, harum ſerie ſimiliter perpetuò concedimus & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras &c. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos &c. ac irritum & inane ſi ſecus &c. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Provinciæ primo dictæ, etiam juramento &c. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis &c. prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Februarii MDCCL. Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Exempl. in Arch. Gen. Ord.

NOTA

COhærenter ad ea, per quæ nova Provincia Avenionenſis ſuperiore Apoſtolico Brevi fuit contradiſtincta, fuit & præcedentia illius in Capitulis & tabulis generalibus petita, libello ſupplici ſubjuncto:

BEATISSIME PATER.

Ad pedes Sanctitatis Veſtræ provoluti, Miniſter Provincialis cæterique Religioſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Avenionenſis, ſub titulo S. Ludovici, humillimè exponunt, quod ad dirimenda & componenda diſſidia, quæ inter Fratres Religioſos Provinciæ dicti Ordinis vigebant, Sanct. Veſtra, per ſuum Breve Apoſtolicum datum ſub die 17. Februarii hujuſce anni 1750. abolendam fore cenſuit & abolitam eſſe declaravit memoratam Provinciam Provinciæ, quâ ſuppreſſâ, novas duas Provincias, Avenionenſem ſcilicet & Maſſilienſem erexit atque conſtituit, ac ſignum ſeu ſigillum antiquæ Provinciæ Sancti Ludovici Majori Conventui Avenionenſi tanquam ex fundatione & erectione antiquiori conceſſit & aſſignavit, ſimul atque præeminentiam & præcedentiam. Verùm, cum in præfato Brevi Apoſtolico, minimè ſit enuntiatus & deſignatus ordo, quem novæ ambæ Provinciæ occupare & obtinere debent inter alias totius Religionis Provincias, & valdè ſit pertimeſcendum, ne novæ diſſenſiones & diſcordiæ oriantur occaſione hujus ordinis; Oratores humiliter ſupplicant Beatitudini Veſtræ, ut, quatenus de ſuâ benignitate Provinciæ Avenionenſi ratione antiquitatis dignata eſt aſſignare & adjudica-

dicare ſigillum antiquæ Provinciæ Sancti Ludovici, dignetur quoque pari ratione eundem Ordinem & locum ipſi conſervare & aſſignare, quo inter alias Provincias ante ſeparationem & diſmembrationem potiebatur Provincia Sancti Ludovici, nempe immediatè poſt Provinciam Burgundiæ: hanc gratiâm eò confidentiùs à Beatitudine Veſtra petunt, quò nullatenus ſeparationem poſtulaverunt Oratores, & ſolummodo ei acquieverint, quia ſic erat voluntas Regis Chriſtianiſſimi, cui acceſſit conſenſus Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis hujus Ordinis; cum igitur pro parte illorum nihil geſtum fuerit, quo mereantur illorum jure orbari & ſpoliari, non dedignetur Sanctitas Veſtra eorum ſupplicationes benignè audire, & poſtulatam gratiam indulgere, ſcilicet, ut in capitulis & tabulis generalibus eo Ordine colloceetur Avenionenſis Provincia, quo antea collocabatur Provincia Sancti Ludovici, & prò gratia &c.

Fuit & gratia conceſſa per Reſcriptum Sanctiſſimi ſequens.

Ex audientia Sanctiſſimi die 16. Septembris 1750.

Sanctiſſimus auditâ ſuper expoſitis Procuratoris Generalis Ordinis relatione, Provinciæ Avenionenſi ſub titulo Sancti Ludovici, præeminentiam ac præcedentiam ſpectare, juxta preces, & hoc eum Ordine in capitulis & tabulis generalibus immediatè poſt Burgundicam, locum & ordinem ipſi competere declaravit.

Exempl. in Archivo gen. Ordinis.

Provinciæ Lotharingiæ.

Fr. Thomæ à Charmis de opere Theologico, accuratè nitidèque conſcripto gratulatur, eidemque pro hoc ſuo Nomini dicato, ac in donum miſſo, grates rependit.

A' tergo. *Dilecto Filio, Fr. Thomæ ex Charmes, Capucino*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TUæ ad Nos delatæ ſunt litteræ, ſcriptæ die 30. Maji unà cum libris à te editis, Theologiam univerſam complectentibus. Curſim aliquas quæſtiones perlegimus, accuratè nitidèque conſcriptas, meritòque credere poſſumus, alias ab eodem Authore tractatas & editas, futuras eſſe conſimiles. Tecum itaque, & cum tuo Ordine gratulamur, tibique reddimus gratias, tum pro munere, tum pro eo, quod nomini noſtro libros inſcriptos vidimus; & interea Te plenis ulnis amplectentes Tibi, tuiſque Correligioſis Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXV. Septembris MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Exempl. in Archivo Ordin. Armar. Provincia Lotharingiæ.

SUPPLEMENTUM

EJUSDEM TOMI QUINTI,

E T

Provinciarum Hiſpaniæ.

DOCUMENTA COMMUNIA.

Confraternitates ſub titulo Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ in Hiſpaniarum Regnis à Fr. Juſto à Valentia Miſſionario cum nonnullis Conſtitutionibus erectas confirmat, Archiconfraternitati ſub eodem titulo in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi de Urbe inſtitutæ aggregat, ac eidem Indulgentias Archiconfraternitatis, Viæ Crucis, Coronæ D.N. J. Chriſti &c. communicat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitus erga Sanctiſſimam Dei Genitricem, ſemper Virginem Mariam cultus & obſequium, quò frequentiori &c. *Reſiduum vide ſuprà fol.* 340.

Devo-

Devotionem Viæ Crucis in Eccleſiis Fratrum Provinciarum totius Hiſpaniæ peragentibus, ad inſtantias Regis Catholici Ferdinandi conſuetas Indulgentias largitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm jamdudum ſanè dignus, & laudabilis in plurimis Chriſtiani Orbis partibus Dominicæ Paſſionis memoriam pio quodam exercitio, vulgò *Via Crucis*, ſeu Calvaria nuncupata, ſtatutis precibus locisve recolendi uſus inoleverit, & ad præſens, ſicut accepimus, in Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciarum Hiſpaniarum maximè vigeat; Nos, ut devotio hujuſmodi majora in dies acquirat incrementa, eamque cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, quorum diſpenſationem Fidei noſtræ credidit Altiſſimus, conſovere, ac excitare volentes, de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, atque ſupplicationibus Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Ferdinandi, Hiſpaniarum Regis Catholici, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui pium devotionem Viæ Crucis hujuſmodi, quotics in aliqua ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciarum Hiſpaniarum, ſeu in Regnis Hiſpaniarum exiſtentium dumtaxat, Dominicæ Paſſionis memoriam, ut præfertur, recolendo peregerint, aliaque injuncta pietatis opera, ut moris eſt, adimpleverint, eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Innocentius PP. XI., & Innocentius PP. XII., aliique Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Chriſtifidelibus Viæ Crucis exercitium in Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci de Obſervantia, & Reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus conceſſerunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus noſtrâ & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCCLI. Pontificatûs Noſtri Anno Undecimo.

Exempl. in Areh. Gener. Ord.

Provinciæ Caſtellæ.

Nonnulla Decreta de erigendis in Provincia Caſtellæ tribus Cuſtodiis, diviſione officiorum &c. confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolicæ charitatis, providentiæque noſtræ erga omnes Chriſtifideles, atque eos potiſſimùm, qui ex fluctibus ſæculi crepti, ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda à Nobis cura maximopere poſtulat, atque exigit, ut omnem Pontificiæ benignitatis, auctoritatiſque operam, ſtudiumque in hoc ſtudioſiſſimè collocemus, ut diſſidiis, partiumque ſtudiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus eſſe conſtiterit, omnia inter Viros Religioſos præſertim, in pace fiant, & omnia ad divinum cultum adaugendum, Regularem diſciplinam confirmandam, procurandamque æternam animarum ſalutem, componantur, conſtabilianturque. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Miniſter Provincialis, & Cuſtodes Provinciæ Incarnationis Dominicæ nuncupatæ in Regno Caſtellæ Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, de expreſſo mandato, & nomine totius Capituli, quod ipſi ad majorem Dei gloriam, ejuſdemque Provinciæ bonum commune, & Regularem obſervantiam in vinculo pacis, & ſpiritu charitatis conſervandam, fovendam, promovendam, & roborandam, congruentiſſimam exiſtimârunt quamdam officiorum diſtributionem, quæ ſecundùm æquitatis, & juſtitiæ metas, omnes ejuſdem Provinciæ Alumnos, Profeſſoreſve, eorumque partes in oneribus & honoribus æquales ſeu conformes efficiat, omnemque, vel remotiſſimam confœderationis, præpotentiæ, aut partialis affectûs ſuſpicionem tollat, viamque quærelis, & vanis præſumptionibus intercludat. Congregato

De-

Definitorio memoratę Provincię die 9. Octobris 1745., convocatiſque & auditis ſuper præmiſſis omnibus Ex-Provincialibus, aliiſque Ex-Definitoribus, Ex-Cuſtodibus, & Ex-Lectoribus, & per aliquot dies collatis inter ipſos conſiliis, re maturè conſideratâ & perpensâ, tandem die 15. ejuſdem menſis ab omnibus ſupradictis unanimi voto & conſenſu conſectum fuit, & ſubſcriptum quoddam planum accomodæ diſtributionis, & Decretorum tenoris ſequentis, videlicet:

1. Cum tres partes ſint in Provincia, quæ non à territorio, aut nationali affectu diſtinguuntur, ſed præciè à ſtudiis, quæ cum ſint ſex, ex triplici fonte ortum habuerunt, tres conſequenter inſtituendæ ſunt Cuſtodiæ, ſcilicet Matritenſis, Toletana, & Valiſoletana cum ſuis reſpectivè Conventibus, ita tamen, quod nec formaliter, nec materialiter diſtinguantur, ſed ſub eodem capite & regimine, prout hucuſque fuerunt, remaneant, neque ſit inter eas præferentia, aut coarctatio, ſolùmque deſerviant ad diſtinguendas illas tres partes honeſtiori vocabulo, & ad diſtributionem Prælaturarum, & Officiorum infrà dicendam.

2. Cum omnes Religioſi Provinciæ jus ad rem habeant æquale ad honores & onera, ne cuique fiat injuria, illi, qui aliquando fuerunt, vel fuerint in ſtudio poſiti, ſi forſan ex aliqua cauſa continuare non valuerunt, aut non potuerunt, ejuſdem tamen partes reputandi ſunt; & ſi duobus ſtudiis extemporaneè fuerunt, vel fuerint aſſignati, ad ultimum pertinebunt: qui verò nunquam fuerunt, vel fuerint in ſtudio Provinciæ, ſicuti etiam Religioſi laici, inter ſupradictas partes æquo numero adſcribi debeant.

3. Cum tres ſint Cuſtodiæ, tres utique Cuſtodes ſunt nominandi, unus ex qualibet Cuſtodia ad arbitrium Definitionis in quaeumque earum collocandi; Quando verò eliguntur ad Comitia generalia, duo tantùm ſecundùm Conſtitutionem à Capitulo Provinciali eligendi ſunt, unus ex una Cuſtodia, & alius ex alia, ex quibus non fuerit Provincialis. Tertius verò, qui remanebit in Provincia, nominandus à Definitorio.

4. Officia majora ita diſtribuenda ſunt, ut Provincialis ſit de una Cuſtodia, duo Definitores de altera, unus de uno ſtudio, & alius de alio, & pariformiter alii bini Definitores de altera Cuſtodia, unus de uno ſtudio.

5. Cum valde conveniens ſit, quod in Provinciali eligatur aptior, & congruentior inter omnes ſine reſtrictione ad partes, neceſſarium eſt, quod Capitulares conveniant, vel per vota ſecreta determinent ante Capitulum, de qua Cuſtodia aſſumendus ſit Provincialis, ut, cum devenerint ad electiones Definitorum, ſciant nullum ex illa eligi poſſe, cum reſervata ſit ad Provincialatum in illo Capitulo; hoc etenim modo, abſque præjudicio diſtributionis, electio primi Capitis remanebit libera.

6. Guardianatus, Vicariatus, & Præſidentiæ Hoſpitiorum diſtribuendæ ſunt inter tres Cuſtodias, earumque partes reſpectivè cũ omnimoda poſſibili æqualitate; ſi verò omnimoda æqualitas propter imparem numerum ſervari non poſſit, minor reſpectivè ſit pro Cuſtodia & parte, ex qua fuerit Provincialis.

7. Ut Guardiani majoris auctoritatis ſint probatæ jam vitæ, & prudentiæ, nullus ad hoc officium aſſumatur, qui ſeptendecim annos poſt profeſſionem non expleverit, nulluſque pariter, qui ſaltem per ſeſquiennium non fuerit Vicarius, niſi antea fuiſſet Lector, aut Magiſter Studentium, Secretarius Provincialis, vel Reverendiſſimi P. Generalis, Procuratoris, vel Definitoris generalis, aut Procurator Provinciæ, Præſes Hoſpitii, Qualificator S. Officii, vel Concionator Regius, vel ex aliquo caſu ſpeciali Definitorio per vota conformia & ſecreta diſpenſare viſum fuerit.

8. Si aliquis Guardianatus, Vicariatus, Lectura, aut Magiſterium Studii per mortem, dimiſſionem, aut amotionem poſt Capitulum vacare contigerit, alius ejuſdem Cuſtodiæ, & partis ſubſtituendus erit, ut in omni eventu integra ſemper maneat diſtributio.

9. Lecturæ, & Magiſteria conferantur cuilibet parti reſpectivè, prout vacaverint, abſq; præferentia aut antelatione unius ad alteram.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes, præmiſſa, quò firmiùs ſubſiſtant, & ſeventur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas ſore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſerta Decreta, & ſtatuta, aut ordinationes, cum omnibus & ſingulis in eis contentis & expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus & ſanamus. Decernentes &c. Sicque in præ-

miſſis &c. Quibus omnibus &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Julii MDCCXLVII. Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.

Exempl. in Arch. Gener. Ordinit.

Decretum Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. de Hoſpitio intra limites Parochialis Eccleſiæ de Deuſto informalem Fratrum Domum, etiam aliorum Regularium conſenſu non requiſito, erigendo confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

NObis pro parte dilecti Filii, Ludovici à Taurino, Ordinis FF. Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Procuratoris Generalis, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negot. & conſult. Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ expoſito, quod in Oppido, ſeu Terra intra limites Parochialis Eccleſiæ de Deuſto Calaguritanæ Diœc. octo ab hinc annis erectum fuerat Hoſpitium Regulare Fratrum dicti Ordinis à Provincia Caſtellæ memorati Ordinis dependens, de conſenſu bon. mem. Joſephi, dum vixit, Epiſcopi Calaguritani, & dilectorum Filiorum Univerſitatis & Hominum dicti Oppidi ſeu Populi Parochialis Eccleſiæ hujuſmodi; poſtmodum verò ortæ fuerant nonnullæ controverſiæ aut lites circa qualitates ipſius Hoſpitii, nolentibus Fratribus dicti Ordinis inibi perſeverare abſque Regulari obſervantia, & in eâdem Expoſitione ſubjuncto, ut diſſenſionum litiumque hujuſmodi radicitus præcideretur occaſio, & ne Univerſitas & Homines prædicti ſpirituali ſubſidio valde neceſſario privarentur, præhabitâ Ven. Fratris, Didaci, moderni Epiſcopi Calaguritani licentia, facultatem erigendi prædictum Hoſpitium in formalem Conventum, in quo eum Regulari obſervantia duodecim ſaltem Fratres, juxta præſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum & Regularium Ordinis hujuſmodi, reſidere valeant, ſibi concedi plurimùm deſiderabant: Emanavit ab ipſa Cardinalium Congregatione Decretum tenoris ſequentis, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Tanario Ponente, attentâ Ordinarii Calaguritani relatione, ac re maturè perpenſâ, cenſuit reſcribendum, prout reſcripſit = Pro erectione Hoſpitii in Conventum = Ideoque eidem Ordinario benignè commiſit, ut conſtito ſibi fabricam dicti Hoſpitii cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Refectorio, Dormitorio, & Horto eſſe abſolutam, ac inibi ex Piorum eleemoſynis, ſaltem duodecim Religioſos, ſubſtentari poſſe, ad executionem enunciati Reſcripti, ſervatis omnibus per S. Concilium Trident. & Conſtitutiones Apoſtolicas præſcriptis, etiam abſque aliorum Regularium conſenſu, pro ſuo arbitrio & conſcientia deveniat. Romæ IX. Februarii MDCCLIII. C. A. Card. Cavalcbini. Joſeph Maria Arch. Damiat. Secretarius. L. ✠ S.

Cum autem, ſicut dictus Ludovicus Procurator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere cupiat, Nos ipſum Ludovicum ſpecialibus favoribus &c. Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus &c. ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes &c. Non obſtantibus &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Februarii MDCCLIII. Pontificatûs Noſtri Anno Decimo tertio.

Exempl. in Arch. Gener. Ord.

SUP-

SUPPLEMENTUM

FUNDATIONIS MONIALIUM CAPUCINARUM LIMÆ IN AMERICA.

NOvum & ſuccinctum Divinæ Providentiæ fortiter, ſuaviterque agentis paradigma exhibet quintus Bullarii tomus *pag.*387. in hiſtoria originis & fundationis Monialium Capucinarum in America, cujus progreſſum à R. P. Balthaſaro Huever, Societatis Jeſu, Provinciæ Chillenſis in America Procuratore, & ob negotia ejuſdem curanda Romæ hoc anno opportunè appulſo, humaniſſimè mihi relatum, & in ſcriptis traditum, hîc ſubjungi Lectori ingratum non fore cenſui, imò neceſſarium duxi, ne, quæ gloriam Ordinis reſpiciunt, & virtutem ſexûs inter barbaras gentes commendat, aut cum incuria diſpergantur, aut in oblivionis pulvere marceſcant. Retulit autem & propriâ manu præfatus R. P. Procurator conſcripſit ſequentia:

Poſtquam Moniales Capucinæ ex Europa in Americam tranſlatæ, Conventum primum fundaverunt Limæ, quæ Americæ Metropolis eſt, non ſolùm plures nobiliſſimæ ejuſdem Civitatis & Regni Virgines idem Sanctum Inſtitutum amplexæ, & Fundatricibus aſſociatæ ſunt, ſed etiam ſparsâ longè latèque ſtrictiſſimæ obſervantiæ famâ, factum eſt, ut Regnum Chillenſe, ejuſque Caput, Jacobopolis (vulgò Ciudad de Sant Jago) enixè à Rege Catholico peterent, Religioſas eaſdem ſuos intra limites fundari & collocari.

Annuente precibus piiſſimo Rege, ex Monaſterio Limano Sorores aliquæ, Præſide omnium Matre Bernardâ, natione Hiſpana, per Mare ad Regnum Chillenſe perrexerunt. Feliciter anno 1727. attigerunt Jacobopolim, & ibidem maximâ receptæ celebritate. Data illis tunc fuit Domus privata, quæ paucorum annorum ſpatio excrevit in amplum, & commodum Monaſterium, adjuncto Templo præclaro, & ſat magnifico, ita ut nemo ſit, qui non miretur, potuiſſe tot ac tanta perficere Virgines & voto, & re pauperes.

Hiſce tria ſunt addenda. Primum, licèt plurimæ, eæque primæ Nobilitatis ſint, quæ in Sacrum Cœtum cooptari expetunt, Statutum tamen manet indiſpenſabiliter, ut numerus Religioſarum trigeſimam tertium non excedat. Habent Capellanum, qui ordinarias earum confeſſiones excipit. Præter hunc eſt & Director extraordinarius, Peregrinus vocatus, ex Societate Jeſu, cui quovis trimeſtri conſcientiæ ſuæ rationem reddunt, ab eoque in Spiritualibus, durante mora, dirigunur. Secundum, Fama eſt, quod aliquibus ante fundationem annis facta fuerit revelatio ſpectatæ virtutis Perſonæ, in Domo illa, tunc prophana, nunc Monaſterio, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum tempore colendum & adorandum eſſe. Tertium, Mater Bernarda, quæ ex Europa cum reliquis Fundatricibus Limam profecta eſt, poſt fundatum, uti dictum eſt, & per plures annos inſtantibus ita Sororibus, ab ea ſummâ cum laude gubernatum Monaſterium Jacobopolitanum Sanctiſſimæ Trinitatis, piiſſimè relictâ magnæ & heroicæ virtutis famâ anno 1738. vel 1739. è vivis diſceſſit.

Anno 1748. evocatæ iterum ſunt ex Conventu Jacobopolitano quinque Moniales ad fundandum aliud Monaſterium in Civitate, ſeu portu Bonaerenſi (vulgò buonos aytes). Præfecta fuit Abbatiſſa harum Fundatricum ab Epiſcopo Chillenſi, ea ipſa nominata fuit, quæ tunc Jacobopoli hoc officium exercuit, videlicet Mater Auguſtina ex Familia de Charavaxal. Hanc (uti ipſa mihi narravit) morbo graviſſimo colluctanti, & vix non jam conclamatæ ſuprà laudata Ven. Mater Bernarda prædixerat, ipſam ex hac infirmitate non morituram, addendo, ut ſe pararet ad peregrinationem longinquam, & ad novum Monaſterium diſtante in climate fundandum. Eventus docuit prædictionis veritatem.

Delatæ Moniales in Civitatem Bonaerenſem, trecentis circiter leucis, Jacobopoli diſtantem, licèt anguſtè fuerint exceptæ Domo, Religioſæ tamen obſervantiæ, ſuique rigidi Inſtituti nihil amittunt, ut ipſemet vidi & ſcio: modò fundant & erigunt Monaſterium novum ſub titulo Deiparæ columnatæ, ſeu del Pilar, *uti vocant Hiſpani: habent & hîc, quia ſui Ordinis Religioſi non ſunt, ex Societate Jeſu Directorem. Nec deſunt ex prima loci nobilitate, quæ ipſarum in numerum tranſcribi conſendunt. Concludo cum hoc uno. Cum nota ſit nobilitas harum Virginum Capucinarum, & nota, quam Domi habuerunt, educatio, mollis nempe & pro more Nationis delicata, & olimnde patens ſit auſteritas & rigor, quo vivant in Religione, hæc illarum vita non modò multis eſt confuſioni, ſed etiam ſtimulo ad relinquendas vias peſſimas, & ad currendam virtutis, & perfectionis ſemitam.*

Balthaſar Huever Soc. Jeſu Procurator Provinciæ Chillenſis.

SUPPLEMENTUM TOMI SEXTI.

Syndicis Apoſtolicis Fratrum Minorum, Monialium S. Claræ &c. ac Tertii Ordinis S. P. Franciſci, præter Indulgentiarum communicationem, privilegium fori in cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis, motis & movendis concedit.

CLEMENS PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

DUm deſideramus aſſiduos labores, & vigilias, quos dilecti Filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monaſteriorum FF. Minorum S. Franciſci Regularis Obſervantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, & Annunciationis Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci ſuſtinere non ceſſant, meritò nos obligant, ut animarum ſuarum ſaluti conſulamus, ipſoſque à quibuſvis moleſtiis, & injuriis ſibi pro tempore illatis, quantùm cum Deo poſſumus, relevemus.

Idcirco uni Syndico, & Procuratori hujuſmodi cum illius Uxore, & liberis, præſenti & futurâ, ſingulæ Domui, & Monaſterio prædictis pro tempore ſervientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipſi & eorum quilibet omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Obſervantiæ prædicti utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant.

Et inſuper in quibuſvis cauſis, & rebus ipſos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus Domorum illarum, quarum ipſe Syndicus, & Procurator fuerit, de Juſtitia reſpondere teneatur, auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus. Inhibendo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna univerſis & ſingulis Iudicibus, Commiſſariis Eccleſiaſticis & Sæcularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ne de cauſis contra dictos Syndicos, & Procuratores motis & movendis, directè vel indirectè, quovis quæſito colore, ſeu prætextu, ſe intromittere quomodolibet de cætero audeant, vel præſumant: Decernentes quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos & Procuratores, per alios, quàm dictos Conſervatores, in cauſis dumtaxat contra eos motis & movendis habendos, & ſententias ferendas, nullos & invalidos, nulliuſque roboris & momenti fuiſſe & eſſe, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ &c. XVI. Apr. MDXXVI.

Ex Bullario Romano.

Decreta variarum Sacrarum Congregationum ſuper exemptione & privilegiis præfatorum Syndicorum emanata, in forma ſpecifica confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte dilecti Filii, Franciſci Mariæ Tagliaferri, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regular. præpoſitæ, expoſito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præſertim ſel. record. Nicolaus III. & Nicolaus IV. Martinus V. & Eugenius IV. Prædeceſſores Noſtri, ut vera obſervantia, Regulæque puritas in Ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratreſque ipſius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conſervarentur, ſtatuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis aſſignaretur unus Procurator, ſive Syndicus Apoſtolicus, qui omnes eleemoſynas tam pecuniarias, quàm aliarum re-

rerum colligere, illaſque ſolus in neceſſitates Pratrum præfatorum applicare deberet.

§. I. Et ſubinde recol. mem. Clemens Papa VII. etiam Prædeceſſor Noſter, intuitu laborum, quos ejuſmodi Syndici in beneficio dictorum Fratrum, quocumque tempore, & quavis occaſione aſſiduè ſubſtinebant, eoſdem Syndicos à foro ſæculari exemerat, volens, ut in cauſis, tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, nonniſi coram Judicibus Conſervatoribus eorumdem Fratrum Minorum de Obſervantia de juſtitia reſpondere tenerentur, & aliàs, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris Litteris, deſuper in ſimili forma Brevis die 16. Aprilis 1526. expeditis, plenius dicitur contineri.

§. II. At in eadem expoſitione ſubjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujuſmodi in aliqua ſui parte ampliùs in uſu non eſſe; alii verò prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum officii tantùm, non autem uti talibus perſonis, competere; unde fiebat, ut Fratres prædicti non ſine Paupertatis, & Regulæ, quam profitentur, ſuarumque conſcientiarum detrimento, neminem ampliùs reperire poſſent, qui eorum Syndici, ſive Procuratoris munus in ſe ſuſcipere, eumque laborem aſſumere vellent.

§. III. Ideoque pro parte præfati Franciſci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut non ſolùm auctoritate Apoſtolica confirmaretur dictum privilegium, ſed etiam illud Syndicis, ſive Procuratoribus hujuſmodi, uti talibus perſonis, competere declararetur.

§. IV. Emanavit ab eadem Congregat. Cardinalium Decretum tenoris ſequentis, videlicet: Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta remiſſione libelli per SS.D. Noſtrum facta, referente Eminentiſſimo Norfolch, cenſuit danda eſſe Oratori Decreta aliàs edita: nempe ſuper præmiſſis ſervandam eſſe præfatam Conſtitutionem ſan. mem. Clementis VII, prout præſentis Decreti tenore omnino ſervari mandat, & præcipit. Romæ 28. Martii 1686.

§. V. Porrò, cum dictus Franciſcus Maria Procurator Generalis prænarrata pariter expoſuiſſet Congregationi etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus deputatorum: hæc Congregatio cenſuit, danda eſſe Decreta anteriora tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus, habita ſub hac die Martii 1686. circa expoſita in præſenti ſupplici libello, dixit, danda eſſe Decreta, ut infrà, die 31. Maji 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Obſervant. S. Franciſci, Sacra, &c. cenſuit, reſpondendum Epiſcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Minorum de Obſervantia loci de Cartoceto faciat Bullam Clem. VII. obſervari, ſi in eo concurrant requiſita ejuſdem Bullæ.

§. VI. Die 17. Novembris 1642. Peruſina, Fratres Sancti Franciſci Minorum Obſervantiæ Sacra, &c. cenſuit ſervandam eſſe Bullam Clem. VII. circa privilegium fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

§. VII. Die 4. Auguſti 1654. Fanen. Epiſcopus: An Syndicus Fratrum Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci gaudere debeat privilegio fori? Sacra, &c. cenſuit, hujuſmodi Syndicum gaudere privilegio fori, juxta Conſtitutionem Clem. VII.

§. VIII. Die 23. Maji 1645. Romana. Pater Commiſſarius Generalis Curiæ quærit: An Syndici, & Procuratores Apoſtolici Conventuum ſuæ Religionis gaudeant privilegio fori, etiam in cauſis, tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, motis ante inſtitutionem officiorum, virtute Bullæ Clem. ſel. record. Papæ VII.? Sacra Congr. reſpondit, Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervant. S. Franciſci ex Bulla ſel. record. Clem. VII. gaudere privilegio fori, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, ſeu inſtitutionem in officium Syndicatûs.

§. IX. Die 23. Maji 1645. Recinaten. An Syndicus Monialium Sanctæ Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Minorum de Obſervantia? Sacra, &c. cenſuit, hujuſmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem, &c. Datum Romæ ſub hac die 20. Aprilis 1646.

§. X. Cum autem, &c. Nos, &c. Decreta præinſerta à memoratis Congregationibus Cardinalium reſpectivè emanata, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate earumdem reſpectivè Congregationum Cardinalium. *Decernentes, &c. ſicque in præmiſſis, &c. irritum, & inane, &c. non obſtantibus, &c.* Romæ 19. Junii 1686.

Ex Bullario Romano.

NO-

NOTA

CONſtitutiones Pontificias, quæ Ordini Minoritano Syndicum Apoſtolicum indulgent, continet Tomus Sextus Bullarii, & notantur in Indice generali hujus Tomi VII. *Syndicus*. Abhorruit hucuſque Religio noſtra generale hoc indultum, & non obſtante, quod dictæ Conſtitutiones illud puritati regulæ non adverſari expreſſis declarent verbis, nihilo tamen minùs Religio latentem in illo regulæ relaxationem, & paupertatis læſionem ſemper ſuſpexit; ſtante enim hujuſmodi Syndico, celſitudinem paupertatis Seraphicæ cadere neceſſum eſt, cum Religioni ſaltem id, quod Syndicus pro ea aſſervat, ceu proprium, Apoſtolicâ licèt facultate affectum, ſemper maneat. Hinc, ut tum paupertas ſecundùm apicem regulæ, & abſque omni proprietatis figura, & conſequenter ab omni alia paupertate diſtincta conſervetur, tum neceſſitati, ac rerum ioutilium indemnitati conſulatur, Religio noſtra in ea duotaxat parte, qua Syodicus pro vendendis rebus ſuperfluis admittitur, Apoſtolico privilegio utitur, & ut ita reſtrictim duntaxat uti queat, à Summo Pontifice requiſivit juxta Documentum in Archivo Generali Ordinis origioaliter & ita aſſervatum:

Cum hodie 21. Jan. 1614. Sanct. D. N. Paulus V. in Palatio Montis Quirinalis cæleretur, ego Fr. Clemens à Noto Procurator Generalis Ordinis FF. Min. Capucinorum illum, acceſſi, & poſt pedis oſculum, Sæ Sanctitati ſupplicavi, ut juxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. &c. Religioni facultatem eomiaandi Syndicum, qui nomine Sanctæ Sedis res uſui Fratrum aon amplius aeceſſarias vendere poſſet, concedere dignaretur. Cumque Sanctitas Sua, quid de præterito à Religioae hac in re faiſſet practicatum, à me ſcire cuperet, reverenter reſpondi, talem facultatem ab aliis Summis Pontificibus ampliſſimè ſemper fuiſſe conceſſam, addendo, quod tamen noſtri Superiores hujuſmodi privilegio, in quo nonnulla Regulam relaxantia conceſſa viderentur, uſi aon fuerint, niſi in ea tantummodo parte, quæ puritoti regulæ non officeret. Ad quæ Sanctitas Sua ſequenti repoſuit modo = indulgemus, ut in Religione veſtra ſervetur deinceps, quod de præterito circa hoc actum fuit, & concedimus Præfatis, ut Syndicum, qui res ſuperfluas vendat, & id emat, quod ejus officium ſecundùm regulæ puritatem requirit, agat, Sedis Apoſtolicæ nomiae deputent & conſtituant.

In fidem hujus concelſioais præſentes de verbo ad verbum expediri, ac ſigillo noſtro communiri feci, propria mana firmavi, nec non pro memoria poſterorum in Religionis Archivo repoſui. Datum Romæ die, meaſe & anno ſupradicto.

Hujuſmodi coarctato Apoſtolici indulti uſu Religioni noo ſatis proviſum eſſe ex diverſis ſiniſtris caſibus, qui circa Fratribus relicta pia legata, ultimas voluntates, elemoſynas &c. hinc inde in Ordine obtigerunt, Reverendiſſimum Definitorium Generale conſpicans, ſan. mem. Clementi XII. libello ſupplici, à memetipſo extenſo, pro validiore remedio ſuppliçare decreverat, cujus effectum autem mors Summi Pontificis, quæ interceſſit, uſque ad hodiernum diem ſuſpendit. Interim gratias & privilegia, quibus Apoſtolici Syndici, Procuratores &c. gaudent, per antepoſitas Conſtitutiones nota facere volui, quin de cæterο diverſæ opinioni, quæ in Ordine de neceſſitate melioris proviſionis ingraveſcit, me hîc ingeram.

Indulgentias pro feriis VI. Martii ſeu quadrageſimæ concedi ſolitas, aliis Indulgentiis non obſtare declaratur.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

EDitum jam fuit à Sacra Congregatione Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpolita Decretum tenoris, qui ſequitur = *Ne contra veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, Indulgentiarum aumero nimis aucto, Eccleſiaſtica diſciplina enervetur, ſæpius in Brevibus apponi conſuevit Clauſula illa = Volumus autem, ut, ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes Litera nullæ fiat = Cùm aliàs autem pro ejuſdè Clauſulæ explicatione ſupplicatum faerit, Sac. Congr. Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita declaravit = Ed nullatenus comprehendi Altaria Privilegi-*

Digitized by Google

tan-

giata pro Defunctis, neque Indulgentias aut certo Perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitatibus, & Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, altaſque hujuſmodi recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Expoſitioni cum Oratione quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias ad inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quę pro unica vice conceduntur. Cæterùm, ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontefice generaliter Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Cappellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Literis Apoſtolicis mentio, hæ Literæ ob dictam Clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas = ut expreſsè habetur in Decreto ab eadem Sacra Congregatione deſuper edito die 23. Junii 1676. Poſtea tamen eidem Sacræ Congregationi delatum fuit, non paucos eſſe, qui prædictum Decretum non rectè intelligentes ſibi ſuadeant, quod, ſi in aliqua Eccleſia jam conceſſæ reperiantur Indulgentiæ, quæ pro Feriis ſextis menſis Martii dari ſolent, & poſtea in eadem Eccleſia alia Indulgentia concedatur cum appoſitione in Brevi ſupramemoratæ Clauſulæ = Volumus autem = Indulgentia, quæ poſtremo loco data eſt, valida ſit. Quapropter ut omnis in poſterum erroris occaſio aufferatur, eadem Sacra Congregatio habita die 18. Aprilis 1716. declaravit, Indulgentiam ultimo loco conceſſam ob ſæpedictam Clauſulam = Volumus autem = Literis Apoſtolicis inſertam, eſſe nullam. Datum die 11. Septembris 1716. = Ludovicus Card. Picus Præfect. = Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius = Loco ✠ Sigilli. Cùm verò ex frequenti conceſſione Indulgentiarum pro ipſis Feriis ſextis Martii, ſeu Quadrageſimæ frequens pariter ſequatur nullitas reliquorum Brevium, quæ de ſtylo eum reſtrictivis poſtea expediuntur; idcirco eadem Sacra Congregatio, re maturius perpenſa, ad tollendas quaſcumque dubietates, ac Brevium nullitates, quibus Chriſtifideles quandoque decipi poſſent, die 9. Februarii 1745. cenſuit, *hujuſmodi Indulgentias Feriarum ſextarum menſis Martii, ſeu Quadrageſimæ excipiendas eſſe, itaut alias quaslibet impedire nequeant, ac propterea præfato Elencho Indulgentiarum exceptarum die 23. Junii 1676. ab eadem Sacra Congregatione edito, addendas eſſe.* De quibus facta per me infraſcriptum Secretarium die 13. ejuſdem menſis Sanctiſſimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacræ Congregationis approbando benignè annuit.

C. Card. de Hieronymis Præf.

Ex Regeſto Sacræ Congreg. diei menſis, & anni prædictorum.

Quaſcumque Moniales Ordinis Sancti Patris Franciſci, earumque Eccleſias tum Indulgentiis Sanctorum Ordinis prædicti, tum & ſignanter illis pro die ſecunda Auguſti conceſsis frui declaratur.

Viennen. in Auſtria.

DECRETUM.

NUper emanatum fuit Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet = Cum pluribus non obſtantibus Decretis, quibus Sacra Congr. Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita declaravit, & ſignanter die 20. Aprilis 1711. Monaſteria omnia Sanctimonialium, quæ à cura, & gubernio Fratrum ſuorum Ordinum ſub immediatam Epiſcoporum Juriſdictionem translata ſunt, ſeu inpoſterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo Privilegia & Indulgentias, quibus antea gaudebant, amiſiſſe, ſeu amiſſas fore, ſed eodem modo cunctis prædictis Privilegiis & Indulgentiis uti, & frui debere, ac ſi ſub gubernio Fratrum ſuorum Ordinum actu exiſterent; Die verò 3. Decembris 1736. Monaſteria Monialium Eliſabethinarum, licèt ſub cura & gubernio Ordinariorum exiſtant, gaudere Indulgentiis earum Ordini generaliter conceſſis; Ac die 23. Septembris 1741. Sanctiſſimus Dominus Noſter, audito prius voto ejuſdem Sacræ Congregationis, die 19. ejuſdem Menſis, declaraverit, & quatenus opus ſit, conceſſerit, Eccleſias Monialium Clariſſarum Ordinis S. Franciſci Aſſiſinatis gaudere Indulgentia, Portiunculæ nuncupata, die ſecunda menſis Auguſti pro omnibus Chriſtifidelibus, eo modo, quo gaudent Eccleſiæ Fratrum Minorum univerſi ejuſdem Ordinis S. Franciſci; Et demum 18. Maji 1744. Sanctimoniales quaſcumque Ordinario Locorum ſubjectas gaudere Indulgentiis ſuorum reſpectivè Ordinum, aut Congregationum, quorum ritum in Officio recitando ſequuntur, ac ſimul Inſtitutum profitentur; His, inquam, non obſtantibus, cum pro parte Monia-

Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci Congregationis Eliſabethinarum nuncupatarum Civitatis Viennen. in Auſtria, Sacræ Congregationi expoſitum fuerit, nonnullos credidiſſe ſive excogitâſſe, ipſarum Eccleſiam, & alias ejuſmodi Congregationis, & Ordinis, utpote Ordinario ſubjectas, Privilegiis & Indulgentiis in Eccleſiis earum Ordinis & ſignanter pro die ſecunda Auguſti conceſſis, minimè gaudere, ſed præfata Decreta pro perſonis dumtaxat Monialium, non verò pro omnibus Chriſtifidelibus illarum Eccleſias viſitantibus intelligenda fore. Quare propoſito ab his deſuper Dubio = *An Indulgentiæ generaliter conceſſæ Eccleſiis Fratrum pariter & Monialium tum in diebus feſtivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujuſmodi ſolemnitatibus cunctæ, & ſingulæ æquè lucrari queant à Chriſtifidelibus viſitantibus Eccleſias Monialium, quę Ordinariorum gubernio, & juriſdictioni ſubſunt?* Sacra eadem Cong. die 19. Aug. 1747. ad formam alterius Decreti die 27. Febr. 1673. reſpondit, ac declaravit, *Gaudere*. De quibus facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium die 26. ejuſdem Menſis Sanctiſſimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacræ Congregationis benignè approbavit = F. J. Card. Portocarrero = Loco ✠ Sigilli = A. M. Erba Protonotarius Apoſtolicus Secretarius = Cum verò pro parte Monialium Eliſabethinarum præfatarum dubitatum fuerit = *An ipſę, earumque Eccleſię in prędicto favorabili Decreto comprehendantur, ex eo, quod ibi non conſueta Vota ſubſtantialia Inſtituti, & Ordinis S. Franciſci profiteantur, attamen non Divinum vigore prędicti Decreti 18. Maji 1744. ſed B. M. V. Officium tantummodo recitant?* Eadem Sacra Congregatio die 5. Februarii 1748. ejuſmodi propoſito Dubio reſcribendum eſſe cenſuit = *Conſulendum Sanctiſſimo pro benigna declaratione*. De quibus facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium die 2. menſis Martii prædicti anni Sanctiſſimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacræ Congregationis approbando benignè annuit, ac ejuſmodi declarationem, ſeu conceſſionem quibuſcumque etiam reliquis Monialibus Inſtituti, aut Ordinis S. Franciſci Aſſiſinatis, earumque Eccleſiis ſuffragari voluit.

Fr. J. Card. Portocarrero Præf.

Ex Regeſto Sac. Congregationis menſis & anni prędictorum.

DECRETO

Sac. Congregationis Indulgentiarum.

Eccleſiam, cui, ceu inter hæreticos exiſtenti, Altare privilegiatum conceditur, hæreticis mixtam, ſeu conterminam eſſe debere, & exiſtentiam in Dioeceſi pro privilegii valore non ſufficere declaratur.

Urbis & Orbis, ſeu Prag.

CUm in partibus Acatholicorum ob modicam Sacerdotum copiam Altare privilegiatum abſq; ulla expreſſione numeri Miſſarum pro una feria cujuslibet ſeptimanæ & octiduo com. fidelium in illis Eccleſiis concedi, ac ideo in Brevi clauſulam = dummodo locus ſeu Eccleſia ſit inter—vel prope Hæreticos = apponi ſoleat, nuper à quibuſdam, & ſignanter Dioec. Pragen. excitatum fuit dubium, utrum ad verificandam dictam clauſulam debeat locus, vel Eccleſia eſſe verè inter—vel prope hæreticos, ſufficiat locum vel Eccleſiam eſſe in Dioeceſi hæreticis mixta, ſeu contermina? Quare Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita die 23. Novembris 1750. re matura perpenſa declarandum eſſe cenſuit = non ſufficere Dioeceſim, ſed Eccleſias, ſeu loca eſſe omnino debere hæreticis mixta, vel contermina.

Ex Regeſto Sac. Congregationis menſe & anni prędicti.

SUP-

SUPPLEMENTUM TOMI SEPTIMI.

Viſitantibus aliquam ex Eccleſiis Fratrum Miſſionariorum Gallorum in partibus Infidelium, à Cuſtode, ſeu Præfecto Miſsionum hujuſmodi deſignandam, die feſto S. Ludovici Francorum Regis Indulgentiam plenariam perpetuam largitur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ credidit Divina dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris Sanctorum in cœlis cum Chriſto regnantium, fovendamque & excitandam erga illos fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Supplicationibus itaque dilecti Filii Cherubini de Noves Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſoris, ac dilectorum Filiorum Miſſionariorum Gallorum ejuſdem Ordinis in partibus Infidelium exiſtentium in Romana Curia Procuratoris, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis, ſeu Oratoriis dictorum Fratrum Miſſionariorum, Mulieribus verò, quibus ad illas, ſeu illa liber non patet acceſſus ſeu ingreſſus, quæ aliam Eccleſiam, ſeu Oratorium Catholicorum earumdem partium, à Cuſtode, ſeu Præfecto Miſſionum hujuſmodi deſignandam ſeu deſignandum, die feſto S. Ludovici Regis à primis veſperis uſque ad occaſum Solis feſti hujuſmodi, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia &c. pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV. Junii MDCCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Exſcript. ex Bull. Romano.

RESCRIPTO PONTIFICIO

Indultum Altaris privilegiati perpetui & quotidiani, omnibus Fratrum Eccleſiis conceſſum, ad omnes Eccleſias Monialium Ordinis Capucinorum extenditur.

Beatiſſime Pater.

FR. Ludovicus à Taurino, Ord. Minorum S. Franciſci Capucinorum Procurator, & Commiſſarius Generalis humillimè exponit, ex ſpecialiſſima S. V. gratiâ jam omnibus Eccleſiis Ordinis Capucinorum conceſſum fuiſſe Altare Majus privilegiatum perpetuum; Cum autem non appareat in hoc indulto comprehenſas eſſe Eccleſias Monialium ejuſdem Ordinis, & ex parte earumdem, ad removendum omne dubium, reiteratæ factæ fuerint inſtantiæ, ſupplicat Orator S. V. clementiæ, ut, ſi in prædicto Indulto comprehenſæ non fuiſſent illarum Eccleſiæ, ipſas comprehendi paterna ſua benignitate declarare dignetur. Et pro gratia &c.

Ex audientia SSmi die 31. *Maji* 1753.

Sanctiſſimus benignè annuit pro Gratia extenſionis Indulti, de quo in precibus, etiam ad omnes, & ſingulas Eccleſias Monialium Capucinorum Ordinis ubique locorum exiſtentes, eamdemque gratiam per hoc ſimplex Reſcriptum in perpetuum ſuffragari voluit, perinde, ac ſi ſuper eodem litteræ Apoſtolicæ in forma Brevis, ſolitis munitæ clauſulis, expeditæ fuiſſent.

Autogr. in Arch. Proc. Gen.

APPENDIX

Quorumdam Summariorum, & formularum Indulgentiarum, ſcitu magis neceſſariarum, necnon virtutis Ceræ Papalis.

ANIMADVERSIO.

TEmpore, quo Romæ moror, vix aliud frequentiùs à Fratribus noſtri Ordinis, præſertim Ultramontanis, à me fuit requiſitum, quàm Summaria ſupradicta, hinc, ut neceſſitati proviſum maneat, & ea, quæ omnibus Chriſtifidelibus communia ſunt, omnibus Fratribus ſine ulteriori Romam recurſu innoteſcant, Appendicem de hujuſmodi Summariis, & Formulis, operi Bullarii annecti conſultum duxi.

FORMULA INDULGENTIARUM.

Quas Benedictus Papa XIV. concedit Coronis, Roſariis, Crucibus, parviſque Imaginibus, ſeu Numiſmatibus, ex auro, aut argento, aliove Metallo confectis, Medalliis vulgò nuncupatis.

QUicumque ſaltem ſemel in hebdomada, Coronam Domini, vel Beatiſſimæ Virginis, aut Roſarium, ejuſve tertiam partem, aut Officium vel Divinum, vel parvum Beatiſſimæ Virginis, vel Defunctorum, vel Septem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, recitare, aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus Domûs Hoſpitalis Ægrotos viſitare, aut Pauperibus ſubvenire, aut Miſſam, vel audire, vel, ſi eſt Sacerdos, celebrare conſuevit, ſi verè pœnitens, & Sacerdoti per Ordinarium approbato confeſſus, Euchariſtiæ Sanctiſſimum Sacramentum acceperit, in quolibet ex diebus infraſcriptis, nimirum die feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis Chriſti, & die Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, tum Feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, atque Omnium Sanctorum, piaſque ad Deum preces fuderit pro Hæreſûm, atque Schiſmatum extirpatione, Fidei Catholicæ propagatione, pace, & Chriſtianorum Principum concordia, cæteriſque Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, Plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequetur.

Qui eadem aliis Feſtis Domini, aut Beatæ Virginis peregerit, in quolibet eorum percipiet Indulgentiam ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum: Qui verò quavis Dominica, vel alio anni Feſto, Indulgentiam quinque annorum, & totidem quadragenarum: qui demum alio anni die, Indulgentiam centum dierum.

Quiſquis animam ſuam Deo in articulo mortis devotè commendans, ipſamque mortem (juxta inſtructionem Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIV. in ejus Bulla, diei 5. Aprilis 1747. incipien. = *Pia Mater* = expreſſam) æquo, ac libenti animo de manu Domini ſuſcipere paratus, & verè pœnitens, confeſſus, & ſacra Communione refectus, ſi potuerit, alioquin contritus, nomen Jeſu ore, ſi pariter potuerit, ſin minus, ſaltem corde invocaverit, Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequatur.

Quicumque in celebranda Miſſa, vel ſumenda Euchariſtia, aut Officio Divino, vel parvo Beatæ Virginis recitando, priuſquam incipiat, devotam aliquam præparationem adhibuerit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice percipiat.

Qui detentos in carcere, aut Ægrotos in Noſocomiis viſitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut Doctrinam Chriſtianam in Eccleſia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties Indulgentiam 200. dierum conſequetur.

Quicumque ſaltem ſemel in hebdomada recitare conſuevit Coronam, aut Roſarium, aut Officium Beatæ Virginis, vel Defunctorum, aut Veſperas, unumque ſaltem ex Nocturnis, & Laudes, aut Septem Pſalmos

mos Pœnitentiales, & Litanias, eorumque Preces, quo die id fecerit, præter Indulgentiam à S. Pio conceſſas, Indulgentias centum dierum percipiet.

Qui ad pulſum Campanæ alicujus Eccleſiæ, manè, aut meridie, aut veſperi, conſuetas preces, *Angelus Domini &c.* dicet, vel, ſi eas ignoret, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, vel dato ſigno orandi pro Defunctis, Pſalmum *De profundis*, aut, ſi hunc neſciat, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit, eandem Indulgentiam adipiſcetur.

Eandem pariter conſequetur, qui Feria ſextâ devotè cogitaverit de Paſſione, ac morte Jeſu Chriſti, terque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit.

Quiſquis verè pœnitens peccata commiſſa emendare firmiter propoſuerit, conſcientiamque ſuam excuſſerit, ter Oratione Dominica, & Angelica Salutatione devotè repetita, vel in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis eaſdem precès ter, aut ob reverentiam quinque Vulnerum Jeſu Chriſti, quinquies devotè recitaverit, Indulgentiam dierum centum lucrabitur.

Qui pro Chriſtifidelibus ægrotis in exitu vitæ conſtitutis piè Deum orabit, vel ſaltem pro ipſis Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſemel dicet, ea die quinquaginta dierum Indulgentiam conſequetur.

Habentes in cubiculo, vel quovis alio loco decenti domûs, ubi erunt, Crucifixi ſignum, Crucem, aliamve ſacram Imaginem à Sanctitate Sua benedictam, ſi coram illa præſcriptis precibus recitatis, cætera, quæ ſupra dicta ſunt, adimpleverint, eaſdem Indulgentias quiſque pro ratione precum, operumque impletorum, adipiſcetur.

Quilibet omnes ſupradictas Indulgentias memoratis diebus, aut ipſe adipiſci, aut fidelibus defunctis per modum ſuffragii applicare poteſt.

Imagines autem ſint, ut vult Sanctitas Sua, non chartaceæ, ſed ex auro confectæ, aut ex argento, aliove metallo, quæ Sanctos repræſentent, vel Canonizatos, vel in Martyrologio Romano deſcriptos.

In diſtribuendis hujuſmodi Coronis, Crucibus &c., eorumque uſu Sanctiſſimus ſervari jubet Decretum ſel. record. Alexandri VII. editum ſub die 6. Februarii 1657. nimirum, ut Coronæ, Cruces, Roſaria, Numiſmata, quæ vulgo Medalliæ nuncupantur, & Sacræ Imagines cum præfatis Indulgentiis benedictæ non tranſeant perſonam illorum, quibus à Sanctitate Sua conceſſæ ſunt, aut quibus ab his prima vice diſtribuuntur, neque commodari, aut precariò dari poſſunt, alioquin careant Indulgentiis jam conceſſis, & aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera nullo modo poſſit, quacumque conceſſione, aut privilegio in contrarium non obſtante.

Item Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIV. per ſuum Decretum diei 19. Auguſti 1752. expreſè declarat, Miſſas ad Altare, in quo aliqua ex præfatis, ſive Crucifixi, ſive Numiſmatis Imago quoquomodo collocata fuerit, lectas, ſive à Sacerdote ejuſmodi Imaginem ſecum habente celebratas, nullo prorſus vigore dictæ Imaginis gaudere privilegio.

Inſuper vetat, ne quiſquam, quem Infirmis morti proximis aſſiſtere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis virtute ejuſmodi Imaginis, illis impertiri audeat, ſine ſpeciali facultate in ſcriptis obtenta; Cum ad hujuſmodi effectum ab eadem Sanctitate Sua per ſupranunciatam Conſtitutionem diei 5. Aprilis 1747. incipien. = *Pia Mater* = ſatis proviſum fuit.

Prohibet Sanctitas Sua hanc Indulgentiarum Formulam imprimi extra Urbem.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1752.

BREVE APOSTOLICUM

Continens Indulgentias, quas Ven. Dei Servus Innocentius XI. Crucibus, Coronis, & Roſariis Terræ Sanctæ, ſeu Jeroſolymitanis, *quæ loca Sacra dictæ Terræ Sanctæ, Sacraſque Reliquias ibi exiſtentes tetigerunt*, conceſſit, & quæ in ſuo adhuc robore perſiſtunt.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNigeniti Dei Filii, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui è ſinu Patris deſcendit in terram, & caducam humanæ carnis fragilitatem ineffabili clementia induens pro humani generis redemptione ſe ipſum exinanivit, factus obediens uſque ad mortem, vices, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, gerentes in terris, tanti & tam ſalubris Myſterii ſacra monumenta, quæ in Ci-

vitate Hieruſalem, aliiſque locis Terræ Sanctæ conſervantur, ſincera devotione recolimus, piamque fidelium erga illa veneration-nem ſpiritualium gratiarum, quarum diſpenſatio nobis à Domino credita eſt, largitionibus fovere, atque incitare ſtudemus, & aliàs deſuper diſponimus, ſicut omnibus matura conſideratione perpenſis, ad Chriſtiani Populi ædificationem, Eccleſiæque utilitatem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus, Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, ſuper Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, quæ à pluribus Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſæ fuiſſe aſſeruntur iis, qui penes ſe habuerint Cruces, Coronas, Roſaria, vel grana ex lignis ejuſdem Terræ Sanctæ confecta, variæ exortæ fuerint dubitationes, adeo, ut ex illis aliquæ apocryphæ & ſuppoſititiæ exiſtimentur: ac propterea idem Petrus Marinus Miniſter Generalis, ut omnes inpoſterum hac in re controverſiæ præcidantur, plurimùm cupiat opportunè in præmiſſis à Nobis provideri; Nos piis ipſius Petri Marini Miniſtri Generalis votis, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ipſumque à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis &c. inclinati; de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum, qui hujuſmodi rem juſſu noſtro maturè diſcuſſerunt, conſilio, omnes & quaſcunque Indulgentias, ſeu peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quæ pro Crucibus, Coronis, Roſariis & granis præfatis dictæ Sanctæ Terræ in perpetuum, ſeu ad tempus nondum elapſum Apoſtolicâ, vel alia quavis auctoritate quomodocunque, ac quandocunque conceſſæ fuiſſe dicuntur, harum ſerie, quatenus opus ſit, perpetuò revocantes & annullantes, omnibus & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, quandiu Cruces, Coronas, aut Roſaria duntaxat, quæ loca Terræ Sanctæ hujuſmodi, ſacraſque reliquias ibi exiſtentes tetigerunt, penes ſe habuerint, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi verè pœnitentes & confeſſi, Sacraque Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus, corde devotè invocaverint, Plenariam: præterea eiſdem, ſi ſemel in hebdomada, aut Officium Divinum ordinarium, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aut Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales, aut Coronam Domini, vel ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, aut tertiam partem Roſarii recitare: aut Chriſtianam Doctrinam docere: aut infirmos alicujus Hoſpitalis, vel detentos in carcere viſitare: ſeu pauperibus Chriſti ſubvenire: vel Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe: vel illud, ſi ſint Sacerdotes, celebrare conſueverint: ac verè ſimiliter pœnitentes, & confeſſi Sacerdoti ab Ordinario approbato Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, in aliquo ex diebus infraſcriptis: nempe Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, feſti Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti: Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis: Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, ac Matthiæ Apoſtolorum & omnium Sanctorum: atque eo die pias ad Deum preces effuderint pro hæreſum & ſchiſmatum extirpatione, pro fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, atque aliis Sanctæ Matris Eccleſiæ neceſſitatibus; in ſingulis diebus hujuſmodi Plenariam pariter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præmiſſa autem peragentibus in aliis quidem diebus feſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel Beatæ Mariæ Virginis, ſeptem annos, & totidem quadragenas: in quocunque die Dominico, ſeu alio anni feſto, quinque annos, & totidem quadragenas: in quolibet verò alio anni die, centum dies: ſimiliter iis, qui detentos in carcere, vel infirmos alicujus Hoſpitalis viſitaverint, eis aliquo pio opere ſubveniendo: aut Doctrinam Chriſtianam in Eccleſia, vel domi proprios filios, conſanguineos, vel famulos docuerint, quoties hæc fecerint, ducentos dies: Illis inſuper, qui campanæ alicujus Eccleſiæ ad id dato ſigno, ſive matutino, ſive meridiano, ſive veſpertino conſuetas preces: *Angelus Domini &c.* vel, ſi eas ignoraverint, ſemel Orationem Dominicam, & ſemel etiam Salutationem Angelicam: aut pariter dato ſimili ſigno pro defunctis Pſalmum *De profundis*, vel, ſi illud neſciverint, ſemel Orationem Dominicam, & ſemel Salutationem Angelicam præfatas recitaverint: quive feria ſexta cujuslibet hebdomadæ Paſſionem, & Mortem Domini Noſtri Jeſu Chriſti devotè meditati fuerint, ac ter eo die Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ſupradictas dixerint: vel, qui cum vero dolore de peccatis, & ſtabili emendationis propoſito conſcientiam ſuam examinaverint, ac ter Orationem Dominicam, & toties Salu-

lutationem Angelicam præfatas, ſive ter etiam illas in honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, aut quinquies utramque in memoriam quinque Plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, devotè recitaverint: aut demum, qui ſemel ſaltem in hebdomada Coronam, ſeu Roſarium, aut Officium Beatæ Mariæ Virginis, ſeu Defunctorum, ſeu Veſperas, & unum ſaltem Nocturnum cum Laudibus, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & Precibus recitare conſueverint, quo de hæc fecerint, ultra Indulgentias & peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes, à fel. rec. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro iis, qui præmiſſa peregerint, conceſſas, centum dies. Iis quoque, qui ante Miſſæ celebrationem, ſeu Sacram Communionem, ſeu recitationem Officii Divini ordinarii, vel Beatæ Mariæ Virginis aliquam recitationem præparatoriam fecerint; quoties id egerint: vel qui pro fidelibus in extremo vitæ agone conſtitutis devotè oraverint, aut pro illis ſemel ſaltem Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam dixerint, quo die id fecerint, quinquagiota dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino, dicta auctoritate, tenore præſentium relaxamus. Poſtremo eiſdem, ut omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones præfatas animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, eadem auctoritate, harum ſerie concedimus & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Januarii MDCLXXXVIII. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Ex Typographia prædicta.

Conſtitutio Benedicti Papæ XIII. quâ Summarium Indulgentiarum Crucibus, Roſariis, Numiſmatibus, & Coronis benedictis ab Abbate Montis-Serrati, Congregationis Valliſoletanæ, Ordinis Sancti Benedicti, conceſſarum confirmatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pii Orthodoxorum Principum de Eccleſia Dei multis nominibus optimè meritorum ſtudiis paterna charitate libenter obſecundamus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, bonorumque operum incrementum, & Chriſtifidelium devotionem ad pietatis opera incitandam & confovendam ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

§ 1. Pro parte ſiquidem Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri, Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Eliſabethæ, earumdem Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ, Conjugum, Nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs Summarium Indulgentiarum Crucibus, Numiſmatibus, Roſariis, & Coronis à pro tempore exiſtente Abbate Monaſterii Montis Serrati, Congregationis Valliſoletanæ, Ordinis Sancti Benedicti in Cathalaunia benedictis conceſſarum, de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum, per ſex Conſultores ad id ſpecialiter deputatos confectum, & ab eadem Congregatione Cardinalium recognitum, & approbatum fuit, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

§. 2. *Summarium Indulgentiarum Crucibus, Roſariis, & Numiſmatibus ab Abbate Monaſterii B. V. Mariæ Montis Serrati in Hiſpania benedictis conceſſarum.*

SAnctiſſimus Dominus Noſter Papa Benedictus XIII. audito Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Reliquiarum voto, concedit Crucibus, Roſariis, & Numiſmatibus ab Abbate Monaſterii Beatæ Virginis Mariæ Montis-Serrati benedictis ſequentes Indulgentias:

I. Qui hebdomadatim ſemel coronam Domini, vel B. V. Mariæ, vel Roſarium, vel tertiã partem, vel Officium Divinum, vel parvum B. Virginis, vel Mortuorum, vel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales

recitaverit, vel in Doctrina Chriſtiana inſtruere, vel carceratos, vel infirmos cujuſcumque boſpitalis viſitare, vel pauperibus ſuccurrere, vel Miſſæ intereſſe, vel (ſi Sacerdos ſit) eam celebrare conſueverit, & verè pœnitens, & penès Confeſſarium ab Ordinario approbatum confeſſus fuerit, in quocumque ſubſequentium dierum, videlicet Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes; in feſtis Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Corporis Domini, in feſtis Purificationis, Conceptionis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis B. V. Mariæ, die primo Novembris, omnibus Sanctis ſacro, ac in die feſto S. Benedicti Sacram Synaxin ſumpſerit, & pro extirpatione hæreſûm, & ſchiſmatum, pro Fidei Catholicæ incremento, ac pro pace, & concordia Principum Chriſtianorum, ac aliis Sanctæ Eccleſiæ neceſſitatibus pias ad Deum preces effuderit, illo die remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, & indulgentiam plenariam conſequatur.

II. Qui idipſum in aliis feſtis Domini, B. V. Mariæ, SS. Apoſtolorum, S. Joſephi, SS. Mauri, & Placidi, Scholaſticæ, & Gertrudis, Ordinis Sancti Benedicti, peregerit, in quolibet dictorum dierum ſeptem annos & totidem quadragenas Indulgentiæ lucrabitur.

III. Qui unâ, vel pluribus vicibus per diem dicere conſueverit: *Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio*, ſemel in die 40. dies Indulgentiæ lucretur.

IV. Quilibet, qui Roſarium, vel coronam B. V. Mariæ in illius puriſſimæ, & immaculatæ Conceptionis honorem recitaverit, rogando Beatam Virginem, ut apud Divinum Filium ſuum pro eo intercedat, quatenus ſine peccato mortali vivat, & moriatur, ſeptem annos Indulgentiæ conſequatur.

V. Qui quotidie pro extirpatione hæreſûm orabit, omni ſeptimana 20. annos Indulgentiæ obtineat:

VI. Quilibet, qui veſpere, antequam cubitum eat, examen ſuæ conſcientiæ faciet, & quinquies *Pater noſter* & *Ave Maria* recitabit cum confeſſionis propoſito, annum Indulgentiæ conſequatur, & ſi confeſſus, & communicatus fuerit, illo die decem annos Indulgentiæ acquirat.

VII. Quicumque devotione, quam erga S. Joſephum, S. Maurum, S. Sebaſticam, & S. Gertrudem gerit, motus, pſalmum *Miſerere mei Deus*, vel quinquies *Pater noſter* & *Ave Maria* recitabit, orando, ut Deus per illorum interceſſionem Eccleſiam ſuam conſervet, ſibi verò felicem mortem concedat, 100. dies Indulgentiæ conſequatur.

VIII. Qui ſemel ſaltem per ſeptimanam Coronam, vel Roſarium, vel Officium Beatæ Virginis Mariæ, vel Mortuorum, vel Veſperas, & Nocturnum ſaltem cum Laudibus, vel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & ſuis orationibus, vel ex devotione erga Sanctiſſimum Nomen Jeſu, vel quinque vulnera quinquies *Pater noſter*, & *Ave Maria*, vel Antiphonam *Sub tuum præſidium* cum quacumque oratione Mariana approbata recitaverit, illo die, quo id fecerit, lucretur 100. dies Indulgentiæ.

IX. Qui recitaverit qualemcumque orationem præparatoriam ad S. Miſſam, vel Communionem, vel recitationem Officii Domini noſtri, vel B. Virginis, toties 50. dies Indulgentiæ conſequatur.

X. Qui carceratos, vel Infirmos Hoſpitalium viſitabit, eos pio opere adjuvando, vel in Eccleſia, vel Domi in Doctrina Chriſtiana filios, parentes, vel ſervos inſtruendo, ultra Indulgentias jam aliàs à Summis Pontificibus conceſſas, qualibet vice 200. dies Indulgentiæ lucretur.

XI. Qui die Veneris Paſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti devotè meditabitur, & tribus vicibus *Pater noſter*, & *Ave Maria* recitaverit, illo die 100. dies Indulgentiæ adipiſcatur.

XII. Qui Sanctiſſimum Sacramentum, quando pro Viatico ad infirmos portatur, comitabitur, præter Indulgentias pio huic operi jam conceſſas, ſeptem annos Indulgentiæ lucratur.

XIII. Qui ex devotione erga Paſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti feriis ſextis per annum, vel ex devotione erga B. V. Mariam diebus Sabbathi jejunabit, quolibet prædictorum dierum Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum conſequetur, & illi, qui confeſſi, & communicati per integrum annum prædictam devotionem peregerint, lucrentur Indulgentiam plenariam, quam & ii conſequentur, qui intra annum moriuntur, habitâ tamen intentione illam complendi.

XIV. Qui ter *Pater noſter* & *Ave Maria* pro Fidelibus in tranſitu conſtitutis recitaverit, 40. dies Indulgentiæ conſequatur.

XV. Qui exemplo vel conſilio ſuo peccatorem ad pœnitentiam reducet, veniam, & remiſſionem tertiæ partis pœnarum illius peccatis debitarum obtineat.

XVI. Qui confeſſus fuerit, & Sacram Synaxin in diebus Cœnæ Domini, & Paſchatis ſumpſerit, & Divinam Majeſtatem pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, & Summi Pontificis conſervatione exoraverit, Indul-

dulgentiam, quam Sua Sanctitas in dictis diebus Benedictione, publicè populo dari ſolitâ largitur, conſequitur.

XVII. Qui audiet, vel (ſi Sacerdos ſit) Miſſam celebrabit, & pro Principum Chriſtianorum proſperitate, & pro illorum Statuum tranquillitate orabit, lucratur Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum.

XVIII. Qui pro conſervatione, & augmento Religionis S. Benedicti oraverit, omnium bonorum, quæ in dicta Religione peraguntur, particeps erit.

XIX. Quoties quis ob infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum audire, vel celebrare Miſſam, vel Officium Divinum, vel B. V. Mariæ, vel alia virtutis exercitia pro prædictarum Indulgentiarum conſecutione præſcripta, peragere non potuerit, has conſequetur recitando in vices ter *Pater noſter*, tot *Ave Maria*, & *Salve Regina*, ac in fine hujus dicendo: *Benedicta ſit Sanctiſſima Trinitas, & laudatum Sanctiſſimum Sacramentum, ac puriſſima Conceptio Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſine peccato originali concepta*, ita tamen, ut confeſſus & communicatus, aut ſaltem corde cum confeſsionis proposito contritus fuerit.

XX. Quicumque in articulo mortis poſt recepta Sacramenta, vel, ſi ob impedimentum ea recipere non poſſit, fuerit contritus, corde *Jeſus & Maria*, ſi ore non poſsit, dixerit, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conſequitur.

XXI. Omnes prædictas Indulgentias quilibet poteſt applicare pro ſe, vel pro Animabus Purgatorii.

Mandat Sua Sanctitas, ut in diſpenſatione, vel uſu hujuſmodi Numiſmatum, Coronarum &c. Decretum ſel. mem. Alexandri VII. ſub 6. Februarii 1657. impreſſum obſervetur, videlicet, quod Numiſmata, Coronæ &c. benedictæ cum prædictis Indulgentiis non tranſeant ultra Perſonas, quibus datæ, vel quibus ab his prima vice fuerint diſpenſatæ: & quod non poſſint aliis commodari precariò, aliàs Indulgentiam, quam habent, amittunt, & quod unâ perdità non poſſit ſubſtitui alia, non obſtante quacumque conceſſione, vel privilegio.

Declarat inſuper, quod, ſi aliqua dictarum Crucûm, Coronarum, Roſariorum, Numiſmatum perdatur, non poſſit ſubſtitui alia, quæ ab Abbate Montis-Serrati non fuerit benedicta.

Prohibet quoque, quod pro hiſce Crucibus, Coronis, Roſariis, vel Numiſmatibus, nec minimum poſſit exigi ſub pœna perditionis Indulgentiarum, & aliis pœnis Canonicis ab Epiſcopis, vel Fidei Inquiſitoribus, ſeu Quæſtoribus, & aliis, qui hujuſmodi res Sacras venales exponunt, imponendis.

Declarat demum Sanctitas Sua, quod omnes aliæ Indulgentiæ, & gratiæ, quæ dictis Numiſmatibus, Crucibus, & Coronis conceſſæ aſſeruntur, & in præſenti Summario non expreſſæ continentur, nullæ, & à Sua Sanctitate expreſsè revocatæ ſint.

Datum 2. Januarii 1727.

L. Card. Pico Præfectus.

Raffael Coſimus de Hieronymis Secret.

§. 3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Philippus Rex, & Eliſabeth Regina Summarium hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent, Nos laudabilia eorumdem Philippi Regis, & Eliſabethæ Reginæ erga res Sacras ſtudia plurimùm in Domino commendantes, piiſque eorum precibus favorabiliter annuere paterna benignitate cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio præinſertum Summarium Indulgentiarum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea nunc, & pro tempore exiſtenti Præſidenti, ſeu Superiori prædicti Monaſterii, abſente, vel impedito illius Abbate, Cruces, Roſaria, Numiſmata, & Coronas hujuſmodi benedicendi facultatem, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impartimur: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes ipſas præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut præſentium Litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum

rum habeatur, quæ ipſis præſentibus Litteris haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Martii MDCCXXIX. Pontificatûs Noſtri Anno Quarto.

Exſcripto ex Bullarii Romani tomo 12. fol. 370. col. 2.

Summarium omnium, & ſingularum Indulgentiarum Archiconfraternitati Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe erectæ, cæteriſque ſingulis Confraternitatibus ejuſdem Inſtituti, ubique Locorum canonicè erectis, & erigendis conceſſarum.

A PAULO V.

Die 3. Novembris 1606.

1. INdulgentia plenaria cuicumque utriuſque ſexûs Chriſtifideli pro die, qua quiſque confeſſus, & Sacra Communione refectus Sodalitio nomen dederit.

2. Indulgentia plenaria Confratribus, & Conſororibus ejuſdem Sodalitatis, qui verè pœnitentes, & Sacra Communione refecti Proceſſioni Sanctiſſimi Sacramenti, quæ die octavæ Solemnitatis Corporis Domini peragi ſolet, ſingulis annis interfuerint, illudque aſſociaverint, orantes pro pace, & concordia Chriſtianorum Principum, Hæreticorum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione.

Hæc Indulgentia fuit inde ab Innocentio XII. die 27. Novembris 1694. ad feriam ſextam poſt Corporis Domini ſolemnitatem immediatè ſequentem translata.

3. Eamdem Indulgentiam poſſunt omnes Confratres, & Conſorores, qui legitimè impediti prædictam Proceſſionem comitari nequiverint, dummodo tamen verè pœnitentes confeſſi, ac Sacra Communione refecti fuerint, &, ut ſuprà, oraverint.

5. Indulgentia plenaria omnibus, & ſingulis Confratribus, & Conſororibus, qui confeſſi, ac Sacra Communione refecti, ac in mortis articulo conſtituti, Sanctiſſimum Jeſu Nomen ore, ſi potuerint, ſin minus, corde ſaltem invocaverint.

5. Indulgentia ſeptem annorum, totidemque quadragenarum, Confratribus, & Conſororibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in feſto Corporis Domini ſumpſerint, &, ut ſuprà, oraverint.

6. Indulgentia centum dierum ſingulis Confratribus, & Conſororibus, quotieſcumque Divinis Officiis, & Sodalitatis Proceſſionibus interfuerint.

7. Indulgentia centum dierum Confratribus, & Conſororibus in qualibet feria ſexta totius anni viſitantibus Eccleſiam, in qua Confraternitas reperitur erecta.

8. Indulgentia ſeptem annorum totidemque quadragenarum Confratribus, & Conſororibus, qui verè pœnitentes, confeſſi, ac Sacra Communione refecti, Proceſſioni in Dominica tertia cujuslibet menſis, & feria quinta in Cœna Domini fieri ſolitæ interfuerint.

9. Indulgentia centum dierum Confratribus, & Conſororibus, qui ſaltem pœnitentes, & confeſſi Proceſſionem feria quinta in Cœna Domini peragendam comitati fuerint.

10. Indulgentia ſeptem annorum, totidemque quadragenarum Confratribus, & Conſororibus, quotieſcumque Sanctiſſimum Sacramentum, cum ad Infirmos, vel aliò defertur, cum lumine, aut ſine lumine aſſociaverint.

11. Indulgentia centum dierum Confratribus, & Conſororibus, qui locum, ubi Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur, feria quinta in Cœna Domini viſitaverint, ac, ut ſupra, oraverint.

A CLEMENTE X.

Die 24. Januarii 1673.

12. Indulgentia centum dierum Confratribus, & Conſororibus pro qualibet vice, qua cadaver alicujus Chriſtifidelis defuncti ad ſepulturam aſſociaverint.

A BENEDICTO XIV.

Die 2. Auguſti 1749.

13. Indulgentia centum dierum Confratribus, & Conſororibus, quotieſcumque Miſſis in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis:

14. Seu Congregationibus publicis, vel privatis Confraternitatis ubivis faciendis:

15. Vel quibuſcunque Proceſſionibus de licentia Ordinarii peragendis interfuerint.

16. Aut pauperes Hoſpitio ſuſceperint.

17. Vel Pacem inter Inimicos, aut diſſidentes compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint.

18. Vel

18. Vel, ſi impediti, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tam in Proceſſionibus, quàm cum ad infirmos, aut aliàs quocumque, & quomodocumque pro tempore defertur, comitari nequiverint, & campanæ ad id ſigno datu ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam dixerint, aut quinquies oratinnem, & ſalutationem eaſdem pro Animabus Defunctorum Confratrum, & Conſororum ejuſdem Confraternitatis recitaverint.

19. Aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint;

20. Vel ignorantes Dei præcepta, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint;

21. Vel infirmitate, aut carcere detentos viſitaverint, aut aliquo ſpirituali, ſeu temporali ſubſidio ſubvenerint.

22. Vel quodcumque aliud Pietatis, vel Charitatis opus exercuerint.

Indulgentiæ omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui ad honorem, & cultum Sanctiſſimi Sacramenti ſeſe in ſequentibus piis operibus exercuerint conceſſæ. Ab Urbano IV. anno 1264. *per ſuam Bullam incipientem* = Tranſiturus = *quâ feſtivitatem Corporis Domini inſtituit, à Martino V. die* 26. *Maji* 1429. *ampliatæ, & ab Eugenio IV. die* 26. *Maji* 1433. *confirmatæ, & adauctæ.*

1. INdulgentia biſcentum dierum omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi in pervigilio feſtivitatis Corporis Domini jejunaverint, aut aliud opus pium juxta conſilium Confeſſarii peregerint.

2. Indulgentia quatuorcentum dierum unicuique Chriſtifideli pœnitenti, & confeſſo, Officio Divino in primis, ſecundis Veſperis, Miſſæ ejuſdem feſtivitatis præſentibus.

3. Indulgentia centum ſexaginta dierum, quotieſcumque in prædicto feſto horis primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, & completorii, quis intervenerit, pro qualibet ipſarum horarum.

4. Indulgentia trecentum dierum, quotieſcumque præfatis ſacris functionibus Veſperarum, Matutini, & Miſſæ diebus octavæ ejuſdem feſtivitatis quis interfuerit pro qunlibet ipſorum operum.

5. Indulgentia octoginta dierum pro ſingulis reliquis horis in diebus prædictis.

6. Indulgentia biſcentum dierum cuicumque, qui, ſi Sacerdos ſit, & Miſſam celebraverit, ſi verò Laicus, Sacram Communionem devotè ſumpſerit, & Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti in dicta feſtivitate, aut alia octavæ die comitatus fuerit, orando pro pace, & Sanctæ Matris Eccleſiæ tranquillitate.

A PAULO V.

Die 3. *Novembris* 1606.

7. Indulgentia biſcentum dierum omnibus Chriſtifidelibus, qui Proceſſionem à Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitate in Dominica tertia cujuslibet Menſis, & feria quinta in Cœna Domini fieri ſolitam comitati fuerint.

8. Indulgentia quinque annorum, totidemque quadragenarnm Parochis, cæteriſque utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui ſine lumine SS. Sacramentum, eum ad Infirmos, aut aliò defertur, proceſſionaliter aſſociaverint.

9. Indulgentia centum dierum omnibus Chriſtifidelibus, qui impediti Sanctiſſimum Sacramentum, ut ſuprà, comitari nequiverint, & unum Pater noſter, & Ave Maria recitaverint, &, ut ſupra, oraverint.

10. Indulgentia centum dierum omnibus, & ſingulis Mulieribus, quæ ex juſta cauſa dictum SS. Sacramentum aſſociare nequiverint, & unum Pater noſter, & Ave Maria recitaverint, ac pro Infirmo oraverint.

A VEN. D. S. INNOCENTIO XI.

Die 1. *Octobris* 1678.

11. Indulgentia ſeptem annorum, totidemque quadragenarum omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, quotieſcumque in qunlibet loco Sanctiſſimum Sacramentum ad Infirmos cum lumine proſequuti fuerint, & pro pace, & concordia, ut ſupra, oraverint.

AB INNOCENTIO XII.

Die 5. *Januarii* 1695.

12. Indulgentia trium annorum, totidemque quadragenarum omnibus, & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui quotieſcumque legitimè impediti Sanctiſſimum Sacramentum, cum ad Infirmos defertur, comitari perſonaliter nequiverint, lumen pro illius aſſnciatinne miſerint.

A BENEDICTO XIV.

Die 13. *Septembris* 1749.

13. Omnes, & ſingulæ præfatæ Indulgentiæ ſive plenariæ, ſive partiales poſſunt

Animabus Fidelium Defunctorum per modum ſuffragii applicari.

Sacra Congregatio Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſita die 6. Septembris 1749. præfatum Indulgentiarum Summarium approbari, publicari, typiſque mandari poſſe cenſuit. De quibus facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium die 13. prædicti Menſis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua votum Sacræ Congregationis benignè approbavit, & prædictam pro Defunctis applicationem conceſſit = Henricus Cardinalis Pro Præfectus = Loco ✠ Sigilli = A. M. Erba Protonotarius Apoſtolicus Secretarius =.

Ita reperitur in regeſtis Decretorum ejuſdem S. Congregationis.

Indulgentiæ pro ſe invicem ſalutantibus, dicendo, *laudetur Jeſus Chriſtus*, & reſpondentibus *Amen*, & pro invocantibus SS. Nomen Jesus, & Mariae, aut Litanias B. Mariæ Virginis recitantibus.

ALiàs ſan. mem. Sixtus V. Bullâ, quæ incipit, *Reddituri*, edita die 11. Julii anni 1587. Univerſis Chriſtifidelibus, qui ſe invicem ſalutantes dixerint *ſia lodato Geſù Criſto*, & reſpondentibus *Amen*, aut in ſæcula, ſive Italico, ſive Latino, vel quocumque alio idiomate id expreſſerint, quoties id egerint Indulgentiam centum dierum, & illis, qui Sanctiſſimum Nomen JESUS, aut MARIÆ devotè invocaverint, Indulgentiam viginti quinque dierum conceſſit.

Iis verò, qui præfata agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel, ſi non potuerint, ſaltem corde, Sanctiſſimum Nomen JESUS, & MARIÆ invocaverint, inſuper Plenariam Indulgentiam adjecit.

Eaſdem Indulgentias tribuit Prædicatoribus, qui inter prædicandum Auditores hortati fuerint, ut modo ſuprà expoſito Sanctiſſimum Nomen JESUS laudantes ſe ſe invicem ſalutent, & idem Nomen JESUS, & MARIÆ devotè invocent, cæteriſque omnibus, qui hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint.

Recitantibus tandem Litanias Beatiſſimæ Virginis MARIÆ bis centum dies Indulgentiæ dedit.

Cum autem Sanctiſſimo D N. BENEDICTO Papæ XIII. humillimè ſupplicatum ſuerit, ut omnes, & ſingulas Indulgentias ſupramemoratas confirmare dignaretur, Sanctitas Sua, audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ, hujuſmodi precibus benignè annuens, eaſdem Indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmavit. Datum die 12. Januarii 1728.

L. Card. Picus Præfectus.

Ex Typographia Camerali Romana.

De ritu, & uſu Cerearum Formarum, quæ benedici, & conſecrari ſolent à Romano Pontifice.

PErvetuſtus in Eccleſia Romana ritus eſt ille, quo Summi Pontifices benedicere, & conſecrare ſolent Cereas Formas, quæ *Agnus Dei* vulgò apellantur. In Ordine Romano, qui Eruditorum judicio antiquior eſt Seculo octavo, innuitur præfatus Ritus; In Cæremoniali verò ejuſdem Romanæ Eccleſiæ deſignantur materia, forma, & preces in hujuſmodi conſecratione adhibendæ, quæ ſacras continent, myſticaſque ſignificationes.

Conficiuntur hi *Agnus Dei* ex Cera alba, pura, virginea, quo Humana denotatur natura à Chriſto virtute Divina, ſine ulla mixtione, aut contagione culpæ in puriſſimo Mariæ Virginis utero aſſumpta. Agni imago in illis imprimitur, Agni illius immaculati ſymbolum, qui pro humana reparatione in Ara Crucis immolatus eſt. Adhibetur Aqua benedicta, quo nimirum elemento cum in veteri, tum in novo Fœdere præclara Sacramenta, & prodigia à Deo effecta ſunt. Miſcetur in ea balſamum, quo bonus Chriſti odor ſignificetur, quem in omni actu, & converſatione redolere debent Chriſti fideles. Superinfunditur Chriſma, quo res aliæ Divino cultui ſpecialiter addictæ, veluti Templa, Altaria, Sacerdotes præparari ſolent, ac conſecrari, atque in eo præſtantiſſima virtutum omnium Charitas figuratur.

In Aqua igitur prius benedicta, ac balſamo, & Chriſmate mixta Cerei illi *Agnus Dei* immerguntur, & Summus Pontifex tam ante, quàm poſt merſionem ſanctiſſimis precibus Deum exorat, ut eas Formas benedicere, ſanctificare, & conſecrare dignetur, iiſque tantam impertiat virtutem, ut quicumque recta fide, ac vera pietate iiſdem uſus fuerit, hæc dona, ac beneficia conſequatur.

I. Ut

I. Ut aſpectu vel contactu Agni in cereis illis formis impreſſi excitentur Fideles ad memoranda ſub eo ſymbolo Redemptionis noſtræ myſteria, conceptiſque grati animi ſenſibus Divinam in nos Bonitatem benedicant, venerentur, ac diligant, fidentes fore, ut per eam peccatorum veniam obtineant, & maculas omnes abſtergant.

II. Ut ad vivificæ Crucis ſignum in iiſdem Cereis impreſſum maligni Spiritus contremiſcant, & fugiant, faceſſant grandines, ſubſidant venti, diſſipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura, & tempeſtates.

III. Ut Divinæ benedictionis virtute non prævaleant diabolicæ fraudes, inſidiæ, & tentationes.

IV. Ut Parturientes cum fœtu incolumes ſerventur, eumque feliciter in lucem emittant.

V. Ut iiſdem devotè utenti nulla dominetur adverſitas, nulla noceat peſtilentia, aëriſve corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat; nulla maris tempeſtas, nullum incendium, nulla inundatio, nulla adverſus eum prævaleat malignitas.

VI. Ut in proſperis, adverſiſque caſibus Divina protectione muniatur, ab humanis, vel diabolicis inſidiis, à ſubitanea, & improviſa morte, à cunctis denique malis, & periculis liberetur, per Vitæ, ac Paſſionis Jeſu Chriſti myſteria.

Mirabiles hujus Sacri Signi virtutes explicatæ jam olim fuêre, atque his verſibus comprehenſæ.

Pellitur hoc ſigno tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo ſurgit, abitque tepor.
Hoc aconita fugat, ſubitæque pericula mortis,
Hoc & ab inſidiis vindice, tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne ſæva tonitrua lædant,
Ne mala tempeſtas obruat, iſtud habe.
Undarum diſcrimen idem propulſat, & ignis,
Ullaque ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera fœtû
Incolumem mundo proferet, atque Deo.
Unde, rogat, uni tam magna potentia ſigni?
Ex Agni meritis, haud alunde fluit.

Quæ quidem beneficia, & gratiarum dona à bonorum omnium Largitore Deo Fidelibus tribui, ac concedi virtute hiſce Sacris Cereis communicata per benedictionem, ac precationes in primis, quas Chriſti Vicarius Romanus Pontifex univerſæ Eccleſiæ nomine in eorum conſecratione fundere ſolet, res eſt firmiter omnino credenda, ac variis, eximiiſque miraculis ſæpiſſime confirmata. Quod ſi optatus non ſemper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei ſacræ, ſed vel infirmæ, exiguæque utentium Fidei, ac devotioni, vel alteri occultæ cauſæ Deo compertæ, ac probatæ tribuendum eſt.

Ex Typogr. Rev. Cam. Apoſt.

PROTESTATIO
COMPILATORIS, SEU AUCTORIS.

DUM in Virorum Illuſtrium elogiis, per hunc Septimum Bullarii Tomum ſparſis, nonnulla, quæ iis Sanctitatem attribuere videntur, attingo, geſta, quæ miracula redolent, de iis recenſeo, aliaque, forſan in aſpectu dura ad credendum hiſtoriæ immiſceo, illa ceu ab Apoſtolica Sede examinata, & approbata à Lectore teneri nolo, ſed contra Apoſtolico Sacræ Congregationis Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decreto die 13. Martii 1625. edito, & 5. Julii 1634. confirmato integrè inſiſtendo, juxta Declarationem ejuſdem Decreti à SS. D. N. Urbano PP. VIII. die 5. Junii 1631. factam declarato, quod, quidquid Sanctitatis aut cultûs hujuſmodi Viris attribuitur, id non ſuper eorum Perſonas, ſed mores & opinionem dumtaxat cadat, & facta immixta totum auctoritatis pondus à chartis hiſtoricis, aut Auctoribus & libris, è quibus illa hauſta & deprompta ſunt, mutuent: eapropter omnia in eo ſenſu & fide, quam ſecluſa mea narratione obtinerent, eâ, quâ par eſt, erga Sanctam Sedem, reverentia & obedientia relinqui, accipi, & teneri cupio. Et ita profiteor, & proteſtor.

SERIES SCRUTINIORUM

PRO DEFINITORIBUS GENERALIBUS

Ab initio Ordinis uſque ad ultimum Capitulum Generale inclusivè, ex Regeſto Actorum Capitulorum Generalium exſcripta.

Anno 1529.

FF. Ludovicus à Foro Sempronio.
= Matthæus à Baſſio *Vicarius Generalis.*
= Angelus à Tiſerno Metaurenſi.
= Paulus Clodienſis.

Renuntianti Fr. Matthæo à Baſſio Vicariatum Generalem Fr. Ludovicus prædictus fuit ſubrogatus.

1535.

FF. Bernardinus à Senis.
= Bernardinus Aſtenſis *Vicarius Gener.*
= Joannes à Fano.
= Euſebius ab Ancona.

1538.

FF. Bernardinus à Senis *Vicarius Gener.*
= Euſebius ab Ancona.
= Franciſcus Æſinus.
= Joannes à Fano.

1541.

FF. Bernardinus Aſtenſis.
= Franciſcus Æſinus.
= Hieronymus à Monte Politiano.
= Thomas Tiſernas.
= Euſebius ab Ancona.
= Evangeliſta à Canobio.
= Bernardinus à Senis *Vic. Gen. reelectus.*

1543.

FF. Franciſcus Æſinus *Vicarius Generalis.*
= Bernardinus Aſtenſis.
= Hieronymus à Monte Politiano.
= Euſebius ab Ancona.
= Thomas Tiſernas.
= Bernardinus à Monte Ulmo.

1546.

FF. Euſebius ab Ancona.
= Thomas Tiſernas.
= Hieronymus à Monte Politiano.
= Evangeliſta à Canobio.
= Marcianus Cyrnæus.
= Bernardinus à Monte Ulmo.
= Bernardinus Aſtenſis *Vic. Gen. reelectus.*

1549.

FF. Franciſcus Æſinus.
= Thomas Tiſernas.
= Euſebius ab Ancona.
= Evangeliſta à Canobio.
= Bernardinus à Monte Ulmo.
= Joſephus à Ferno.
= Bernardinus Aſtenſis *Vic. Gen. reelectus.*

1552.

FF. Euſebius ab Ancona *Vicarius Generalis.*
= Joſephus à Ferno.
= Thomas Tiſernas.
= Evangeliſta à Canobio.
= Bernardinus à Monte Ulmo.
= Marius à Foro Sarzinio.

1555.

FF. Alphonſus Sueſſanus.
= Thomas Tiſernas
= Bernardinus à Monte Ulmo.
= Evangeliſta à Canobio.
= Hieronymus à Monte Florum.
= Hieronymus à Piſtorio.
= Euſebius ab Ancona *Vicarius Generalis.*

1558.

FF. Alphonſus Sueſſanus.
= Thomas Tiſernas *Vicarius Generalis.*
= Franciſcus à Soleto.
= Hieronymus à Monte Florum.
= Evangeliſta à Canobio *Proc. Gener.*
= Amadæus ab Antiquata.

1561.

FF. Euſebius ab Ancona.
= Fran-

= Franciſcus à Suriano.
= Marius à Foro Sarzinio.
= Evangeliſta à Canobio *Proc. Generalis.*
= Franciſcus à Monte Politiano.
= Hieronymus à Piſtorio.
= Thomas Tiſernas *Vic. Gen. reelectus.*

1564.

FF. Evangeliſta à Canobio *Vic. Generalis.*
= Euſebius ab Aneona *Proc. Generalis.*
= Marius à Foro Sarzinio.
= Bonaventura à Rhegio.
= Alphonſus Sueſſaous.
= Hieronymus à Moote Florum.

1567.

FF. Bonaveotura à Rhegio *Proc. Generalis.*
= Marius à Foro Sarzinio *Vic. Gen.*
= Euſebius ab Aneona.
= Thomas Tiſernas.
= Honorius à Monte Granario.
= Hieronymus à Piſtorio.

1570.

FF. Hieroovm. à Monte Florum *Proc. Gen.*
= Bonaventura à Rhegio.
= Evaogeliſta à Canobio.
= Thomas Tiſernas.
= Vincentius à Monte Ulmo.
= Aoſelmus à Petra Molaria.
= Marius à Foro Sarzinio *Vic. Gen. reelectus.*

1573.

FF. Vineentius à Monte Ulmo *Vic. Gen.*
= Hieronymus à Monte Florum.
= Thomas Tiſernas *Proc. Generalis.*
= Evangeliſta à Canobio.
= Bernardious à Bagoaja.
= Hieronymus Panormitanos.
Fr. Vincentio Vicario Generali Meſſanæ 1574. *defuncto ſucceſſit Fr. Hieronymus prædictus primus Definitor.*

1575.

FF. Hieronymus à Monte Florum *Vic. Gen.*
= Matthias à Salodio.
= Thomas Tiſernas.
= Marius à Foro Sarzinio.
= Laurentius à Monte Politiano.
= Joan. Maria à Tiſſa *Proc. Generalis.*

1578.

FF. Joan. Maria à Tiſſa *Proc. Generalis.*
= Mathias à Salodio.
= Anſelmos à Petra Molaria.
= Marius à Foro Sarzinio.
= Franciſcus à Mediolano.
= Bonaventura à Monte Regali.
= Hieronymus à Monte Florum *Vicarius Generalis reelectus.*

1581.

FF. Joan. Maria à Tiſſa *Vicarius Generalis.*
= Franciſcus à Mediolaoo *Proc. Gener.*
= Franciſcus à Bormiis.
= Bonaventura à Monte Regali.
= Silveſter à Roſſaoo.
= Apollonius à Brixia.

1584.

FF. Apollonius à Brixia.
= Jacobus à Foro Sarzinio *Vic. Gener.*
= Hieronymus Tiſernas.
= Hieronymus à Politio *Proc. Gen.*
= Evangeliſta à Canobio.
= Franciſcus à Monte Regali.
Mortuo Januæ anno 1586. *prædicto Jacobo, Ordinem gubernavit P. Apollonius pariter prædictus, ac Viſitationem continuavit uſque ad Capitulum Generale.*

1587.

FF. Hieronymus à Politio *Vic. Generalis.*
= Apollonius à Brixia.
= Chriſtophorus ab Aſſiſio *Proc. Gener.*
= Evangeliſta à Canobio.
= Hieronymus à Sorbo.
= Silveſter Hippooias, ſeu à Monte Leone.

1593.

FF. Silveſter Hipponias *Vicar. Generalis.*
= Chriſtophorus ab Aſſiſio *Proc. Gener.*
= Apollonius à Brixia.
= Hieronymus à Sorbo.
= Bonaventura à Monte Regali.
= Jacobus à Superato.

1596.

FF. Anſelmus à Monopoli.
= Hieronymus à Sorbo *Vic. Generalis.*
= Ven. D. S. Laurentius à Brunduſio.
= Bonaventura à Monte Regali.
= Hieron. à Caſtro Ferettorum *Proc. Gen.*
= Silveſter ab Aſſiſio.

1599.

FF. Hieron. à Caſtro Ferettorum *Vic. Gen.*
= Anſelmus à Monopoli *Proc. Generalis.*
= Sil-

= Silveſter Hipponias.
= Sanctes Romanus.
= V.D.S. Laurentius à Brunduſio.
= Dionyſius à Placentia.

1602.

FF. Anſelmus à Monopoli *Proc. Gen.*
= Ven. Dei Servus Laurentius à Brunduſio *Vicarius Gen.*
= Illuminatus à Panormo.
= Silveſter ab Aſſiſio.
= Paulus à Cæſena.
= Dionyſius à Placentia.

1605.

FF. Hieronymus à Caſtro Ferettorum *Procurator Gen.*
= Silveſter ab Aſſiſio *Vic. Gen.*
= Dionyſius à Placentia.
= Paulus à Cæſena.
= Sanctes Romanus.
= Hieronymus à Politio.

1608.

FF. Hieronymus à Caſtro Ferettorum *Vicarius Generalis.*
= Dionyſius à Placentia.
= Silveſter Hipponias.
= Angelus Jojoſæus.
= Michael Angelus ab Arimino *Procurator Generalis.*
= Paulus à Cæſena.

1613.

FF. Paulus à Cæſena *Vic. Gen.*
= Michael Angelus ab Arimino.
= Hieronymus Narnienſis.
= V.D.S. Laurentius à Brunduſio.
= Clemens à Noto *Proc. Gen.*
= Sanctes Romanus.

1618.

FF. Clemens à Noto *Vic. Gen.*
= Hieronymus à Caſtro Ferettorum *Procurator Generalis.*
= Hieronymus Narnienſis.
= V.D.S. Laurentius à Brunduſio.
= Joannes à Venetiis.
= Honoratus Pariſienſis.

1625.

FF. Hieronymus Narnienſis.
= Joannes Maria à Noto *Min. Gen.*
= Hieronymus à Caſtro Ferettorum.
= Michael Angelus ab Arimino.
= Franciſcus à Neapoli.
= Paulus à Cæſena.
= Franciſcus à Genua *Proc. Gen.*

Electus extra gremium Definitorii: Defuncto quoque P. Joanne Maria à Noto Neapoli, gubernium Ordinis ſuſcepit P. Hieronymus Narnienſis.

1633.

FF. Franciſcus à Genua *Proc. Gen.*
= Theodorus à Bergamo.
= Antonius à Mutina *Min. Gen.*
= Joannes à Monte Calerio.
= Leonardus Pariſienſis.
= Zacharias à Salutiis.

1637.

FF. Joannes à Monte Calerio *Min. Gen.*
= Zacharias à Salutiis.
= Felicianus à Placentia *Proc. Gen.*
= Ludovicus à Saragoſſa.
= Cyprianus Anverſanus.
= Marcus Antonius à Carpenedulo.
= Bernardinus à Macerata.

1643.

FF. Carolus ab Aremberg Bruxellenſis.
= Simplicianus à Mediolano *Proc. Gen.*
= Innocentius à Caltaggirone *Min. Gen.*
= Juſtus à Monte Ulmo.
= Bernardinus à Macerata.
= Franciſcus Aſculanus.
= Ludovicus à Roſenheim.

1650.

FF. Fortunatus à Cadoro *Min. Gen.*
= Marcus Antonius à Carpenedulo *Procurator Gen.*
= Simplicianus à Mediolano.
= Carolus ab Aremberg Bruxellenſis.
= Ludovicus à Roſenheim.
= Joannes à Monte Calerio.
= Bonaventura Toloſanus.

1656.

FF. Simplicianus à Mediolano *Min. Gen.*
= Marcus Antonius à Carpenedulo *Procurator Gen.*
= Aloyſius à Verona.
= Emericus à Macon.
= Thomas à Florentia.
= Bonaventura à S. Matthæo.
= Romualdus à Parma.

FF. For-

1662.

FF. Fortunatus à Cadoro *Proc. Gen.*
= Marcus Antonius à Carpenedulo *Miniſter Generalis.*
= Samuel à Bilſemburgo.
= Bonaventura à S. Mathæo.
= Aloyſius à Verona.
= Bonaventura à Recineto.
= Claudius Bituricenſis.

1667.

FF. Fortunatus à Cadoro *Min. Gen.*
= Bonaventura à Recineto *Proc. Gen.*
= Aloyſius à Verona.
= Alexander Lugdunenſis.
= Lucas Maringanus.
= Franciſcus à Xeres.
= Claudius Bituricenſis.

1671.

FF. Bonaventura à Recineto *Proc. Gen.*
= Jovita Burgundus.
= Stephanus à Cæſena *Min. Gen.*
= Franciſcus à Xeres.
= Aloyſius à Verona.
= Petrus Pictavienſis.
= Carolus Maria Maceratenſis.
= Alexander Lugdunenſis, *ſubrogatus Patri Aloyſio ipſo tempore Capituli defuncto.*

1678.

FF. Bernardus à Portu Mauritio *Min. Gen.*
= Bonaventura à Recineto.
= Ildephonſus ex Auſtria.
= Martinus à Torricilla.
= Ludovicus ex Julio.
= Carolus Maria Maceratenſis.
= Ioan. Baptiſta à Sabbio *Proc. Gen.*

1685.

FF. Bonaventura à Recineto *Proc. Gen.*
= Franciſcus à Peruſio.
= Emmanuel à Matrito.
= Ludovicus à Iulio.
= Ildephonſus ex Auſtria.
= Bernardinus ab Aretio.
= Carolus Maria Maceratenſis *Min. Gen. electus extra gremium Definitionis.*

1691.

FF. Franciſcus à Peruſio *Proc. Gen.*
= Bernardinus ab Aretio *Min. Gen.*
= Joannes Baptiſta à Sabbio.
= Nicolaus Divionenſis.
= Joſephus à Zurrita.
= Juvenalis Ananienſis.
= Auguſtinus à Tiſana.

1698.

FF. Angelicus Wolffacenſis.
= Franciſcus Maria ab Aretio *Proc. Gen.*
= Auguſtinus à Tiſana.
= Ioannes Petrus à Buſto *Min. Gen.*
= Emmanuel de Laiſſe.
= Joſephus à Zuritta.
= Ioan. Bapt. à Sabbio.
Defuncto P. Miniſtro Generali, primus Definitor P. Angelicus Wolffacenſis Ordinem rexit ceu Vicarius Generalis.

1702.

FF. Franciſcus Maria ab Aretio.
= Bernardinus à Salutiis *Proc. Gen.*
= Angelicus Wolffacenſis.
= Franciſcus Maria à S. Maclovio.
= Timotheus à Rodenas.
= Auguſtinus à Tiſana *Min. Gen.*
= Emmanuel à Neapoli.

1709.

FF. Franciſcus Maria ab Aretio.
= Bernardinus à Salutiis *Min. Gen.*
= Ioan. Antonius à Florentia *Proc. Gen.*
= Antonius à Cramburgo.
= Timotheus à Rodenas.
= Angelicus Albigenſis.
= Michael Angelus à Raguſa.

1712.

FF. Michael Angelus à Raguſa *Min. Gen.*
= Ioannes Antonius à Florentia *Proc. Gen.*
= Antonius à Cramburgo.
= Maximus à Muro.
= Thimotheus à Flexia.
= Ioachimus à Soranea.
= Timotheus à Rhodenas.

1719.

FF. Joan. Antonius à Florentia *Min. Gen.*
= Bernardinus à S. Angelo in Vado *Proc. Gener.*
= Ioan. Franciſcus à Caſtro S. Petri.
= Hartmannus Brixienſis.
= Franciſcus Joſephus à Matignon.
= Franciſcus à Santander.
= Maximus à Muro.
Renuntiante P. Joan. Antonio à Florentia Generalatum, P. Bernardinus ceu Vicarius Generalis per Breve Apoſtolicum ſuc-

ſucceſſit, & huic in officio Procuræ Generalis P. Petrus Maria à Luca ſufficitur &c.

1726.

FF. Hartmannus Brixienſis *Min. Gen.*
= Bonaventura à Ferraria.
= Franciſcus à Benevento.
= Antonius ab Ordis.
= Auguſtinus à Guimperle.
= Bernardinus à S. Angelo in Vado *Proc. Gener.*
= Antonius à Cavis.

1733.

FF. Bonaventura à Ferraria *Min. Gen.*
= Cyrillus à Cubla.
= Petrus Maria à Lucca *Proc. Gen.*
= Iordanus Waſſerburgenſis.
= Iuſtinus Biterrenſis.
= Bernardinus à S. Angelo in Vado.
= Antonius à Palatiolo.

1740.

FF. Ioſeph Maria ab Interamna *Min. Gen.*
= Sigiſmundus à Ferraria *Proc. Gen.*
= Maximilianus à Wanghena.
= Iuſtinus Biterrenſis.
= Celidonius à Calahora.
= Benedictus à Maſſafra.
= Ioan. Maria à Parma.
= Cherubinus à Noves *ſubſtitutus loco P. Juſtini Defuncti.*

1747.

FF. Sigiſmundus à Ferraria *Min. Gen.*
= Gelaſius Goritienſis.
= Paulus à Collindres.
= Ludovicus à Taurino *Proc. Gen.*
= Cherubinus à Noves.
= Hilarion à Foroletto.
= Ioannes Maria à Parma.

INDEX GENERALIS,

In quo materiæ præcipuæ per ſeptem Bullarii Tomos diſperſæ reperiuntur, aut in alio Tomo collectæ annotantur.

A

Abbatia (*Terra.*) Provinciæ Umbriæ, Fratribus ibi degentibus pro tempore æſtivo hoſpitium in loco S. Malliani conceditur, *tom.2. fol.*148.

Abbatia (*Terra.*) Provinciæ Venetæ, octo dumtaxat Fratres ibi morari indulgetur, *tom.2. fol.*293.

Abbatiſſarum exemptarum electioni Epiſcopus vel per ſe, vel per alium adeſſe poteſt, *tom.6.fol.*368.debet ei à Regularibus dies electionis indicari, *ibi. fol.* 369. loquens Regularis, etiam cum Abbatiſſa, ſine licentia incurrit pœnas &c. *ibi. fol.*503.

Abbavillenſem Conventum ingrediendi Matronis de Melun d'Epinois facultas datur, *tom.5. fol.*61.

Abdalla (*Emir*) Princeps Montis Libani hoſpitium pro nova Miſſione fundat, *tom. 7.fol.*313.

Abſolvendi à caſibus reſervatis ampla Fratribus datur facultas, *tom.* 4. *fol.* 3. *&* 5. item ab hæreſi, *ibi*.

Abſolvunt *Prælati Regulares in genere* ſubditos tum Fratres, tum Moniales ab omnibus exceſſibus & cenſuris, *tom.6.fol.*225. *Pro reliqua abſolutionis materia adeat benevolus Lector Indicem Tomi 6. ubi illam unitam ac integram reperiet.*

Acciajolus, Nicolaus Cardinalis, & Ordinis Protector fundationem Domûs Leopolitanæ approbat, *tom.* 4. *fol.* 359. per 42. annos Ordinem ſollicitè protexit, *tom.*1. *fol.* 129.

Fr. Accurſius Gallus Miſſionarius ab Eutimio Metropolita Romam ablegatur, *tom. 7.fol.*312.

Adelaidi, Duciſſæ & Electrici Bavariæ difficultas circa votorum paritatem in Capitulis renuntiatur, *tom.*4. *fol.*14. *&* 156.

Adjacii Conventum erigendi facultas datur, *tom.*2. *fol.*426.

Adeodatus Formoſa Archipr. ceſſioni Eccleſiæ B. Mariæ Gratiarum in loco *Gozzo* aſſentitur, *tom.* 3. *fol.* 305. quæ Conventui Fratrum unitur, *ibi.* cum conditione, ut hic unicè à Reverendiſſimo P. Miniſtro Gener. pro tempore dependeat, *ibi. f.*306.

Adrianus Maleaceus Eques torquatus in Eccleſia Monialium Ambiani quieſcit, *tom.5. fol.* 30.

Fr. Adrianus ex Widenau, Provinciæ Bavaricæ Provincialis, zelatur pro Lege Domini, & moritur morte juſtorum, *tom.*4. *fol.* 153.

Advocati ſcriben tes in cauſis Beatorum, qui? *tom.7. fol.*88.

Fr. Ægidius à Bazato Regem, & Reginam extatici raptûs habet teſtes, *tom.5.fol.*223.

Ad Ægypti Miſſionem deſtinatus Fr. Hieronymus à Caſtro Ferrettorum, actualis Procurator Generalis Ordinis & Curiæ, cum Sociis à Summo Pontifice commendatur Patriarchæ Alexandriæ, *tom. 7. fol.*300. ejus Vicario, *ibi. fol.* 301. Secretario, *ibi.* ac Georgio Comus, *ibi.* Rectoribus Eccleſiarum Ægypti nuntiatur adventus Capucinorum Gallorum, *ibi. fol.* 302.

Æſerniæ Legatum pium in reparationem Domûs, & Eccleſiæ convertitur, *tom.* 3. *fol.* 100.

Æſii Cadaver Fratribus id non ſociantibus ad Eccleſiam deferri ſancitur, *tom.* 2. *fol.* 223.

In Æthiopiæ Miſſione FF. Agathangelus Vindocinenſis, & Caſſianus Nannetenſis Martyrium ſubeunt, *tom.* 5. *fol.* 84. quod deſcribitur, *ibi.* de eorum Beatificatione conſulitur, *ibi. fol.* 83. *&* 109. & *tom.7. fol.*304.

Servus Dei Fr. Agathangelus Vindocinenſis, uti dictum.

Sor. Agnes de Rovray Monialis, dono conſilii fulget & virtute, *tom.* 5. *fol.*42.

Agnus Dei. *Vide Cera Papalis.*

Agonia Domini (*Oppidum.*) Methodus celebrandi Miſſas ſuperfluas præſcribitur, *tom.*4. *fol.*340.

Agrigenti Conventus Fratrum transfertur, *tom.* 3. *fol.* 160. Situs ad Capitulum inibi ſpectans iis conceditur, *ibi.* Prior quoad aquam conventio firmatur, *ibi.* Sacra ſupellex ex Eccleſia auffertur, *ibi f.*163. & in reos &c. excommunicatio ſertur, *ibi*.

Albani Privilegium Altaris perpetuum, *t.2. fol.*32. ejus extenſio, *ibi.* Legati pii commutatio, *ibi fol.*65.

Albania. *Vide Candia, Dalmatia.*

Fr. Albanus Enſishemianus, Hagenoenſem Civitatem in fide conſervat, *tom. 5. fol. 229.* & ejus grata memoria conſervatur, *ibi.*

Fr. Albanus Monacenſis, Provinciæ Bavaricæ, inſtituit Monachii Pactum Marianum, *tom. 4. fol. 153.*

Albergatus, Antonius Nuntius Apoſtolicus & Epiſcopus &c. Fratres noſtros Coloniæ firmat, *tom. 4. fol.* 278. Confraternitatem Dominicæ Paſſionis approbat, & inſtituit, *ibi. fol.* 282. ad quam Principes Encyclicis invitat, *ibi. fol.* 283. & motiva, ob quæ in Eccleſia noſtra inſtituta eſt, exponit, *ibi. fol.* 285.

S. Alberti (*Terra.*) Pro Hoſpitio Domum Fratribus ibi dari jubetur, *tom. 2. fol.* 236.

Albertus, Archidux Auſtriæ, Præfectus Confraternitatis Dominicæ Paſſionis eligitur, *tom. 4. fol.* 289.

Fr. Albertus Raſſenſis, Provinciæ Tyrolenſis, Commiſſarius Generalis munus obit, *t. 4. fol.* 123.

Albertus Princeps de Walſtain. *Vide Walſtain.*

Alcami Veteris Conventûs ſitus venditur, *tom. 3. fol.* 149. necnon & alia petia terræ, aliàs pro fabrica empta, *ibi fol.* 155.

Aldenarthi prope Capellam Fratribus Hoſpitium conceditur, *tom. 4. fol.* 316.

Alenconii in Eccleſia Fratrum, Altaris tabula arte claret, *tom. 5. fol. 95.*

